779161

Phil. arr. supl
465

Kiss Bánk

62

több nem jelent meg

DEBRECEN * EGYETEMI KÖNYVTÁR



Non ego sum Veterum, sum Non-aspecta Novorum.
Seu vetus est VERUM diligo sive novum.

GUILIELMI KRUG

PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORIS

SYSTEMA PHILOSOPHIAE CRITICAE.

IN

COMPENDIUM REDEGIT,
LATINE INTERPRETATUS EST, AC EDIDIT

STEPHANUS MÁRTON,

PHILOSOPHIAE AC MATHESEOS PROFESSOR.

TOMUS I.

Philosophiam Fundamentalem, Logicam, Metaphysicam et Aestheticam in se complectens.

VIENNAE,
TYPIS ANTONII PICHLER.
1820.

DEBRECEN * EGYETEMI KÖNYVTÁR

M.N. MÚZEUM KÖNYVTÁRA
II. Nyomt. N[illegible] 16
1917 ev

SPECTABILI

PERILLUSTRI AC GENEROSO

DOMINO DOMINO

CAROLO PÁZMÁNDY,

COMPLURIUM INCLYTORUM

COMITATUUM TABULAE IUDICIARIAE

ASSESSORI CONSULTISSIMO,

ERUDITIONIS

AC LITERARUM FAUTORI

MUNIFICENTISSIMO,

DOMINO

IN PRIMIS COLENDO PIE DEDICAT

HOC OPUS

INTERPRES AC EDITOR

SPECTABILIS DOMINE,

MAECENAS AMPLISSIME!

Cum praesens isthoc Opusculum, Systema Philosophiae Criticae in se complexum, et mea qualicunque opera Latinitate donatum, inque publicam lucem, ad usum Popularium meorum emissum, NOMINI TUO inscribendum putavi: feci hoc, partim ut debitam dudum erga TE observantiam meam, non vulgari documento contestarer, partim ut, tantum Humanitatis Decus, quantum ea sibi, nunquam non ex studio bonarum Artium, beneficoque Philosophiae lumine pollicita est, in TUAM Tutelam conferrem. Neque temere. Cum enim Viri Docti, omnes suas curas, cogitationes ac vires, Veri, Boni, Pulchrique inveniendi, ac amplificandi caussa, quod non est res subsecivorum temporum, ad publicam Humanitatis utilitatem referre, consecrareque debeant: aut ipsi sibi desunt, quod durior foret Officii violatio, aut de Maecenatibus eis prospiciendum est, qui eorum conatus ac studia, animo excipiant benevolo. Unde fit, ut nemini dubitare liceat, rem omnem literariam, simulac cura, diligentia, providentiaque Maecenatum, ad eam fovendam accessit, caput continuo extulisse, et floruisse insigniter. Nam, quod, ut raram Temporum felicitatem notare Historiarum monumenta satagunt, dum quatuor duntaxat aetates, per tot secula, Alexandream puta apud Graecos, Augusteam apud Romanos, Ludoviceam apud Gallos, Friderice amque apud Borussos soleant celebrare, non aliam ob caussam factum reor, quam quod, cum munifica tantorum Principum solertia, Eruditos, Eruditionemque insigni benevolentia complecteretur: omnis quoque sine mora Doctrinarum Scientia, iam Athenas, iam Romam, iam Parisios, iam Berolinum, non commigrasse modo, sed convolasse videretur. Adeo verum est, quod ioculariter quidem, vere tamen dictum exsistimo: Musas, sine Liberalitate Principum frigere, munificentia autem eorum, easdem recreatas, vel ab inferis ad vitam revocari.

Quodsi, quemadmodum unica Solis vi foecundante, terrae nostrae, in usus animantium, frugibus et baccis abundant; ita Doctrinarum quoque studiis, communem

Reipublicae felicitatem elaborari et extolli; Mentem humanam vario Scientiarum lumine collustrari, animos ad Virtutem colendam, exercendamque pertrahi, eaque adeo, ornamenta hominum esse maxima, ac solatia, negari prorsus nequit: sane, neque etiam dubitandum erit, oleum lucernae iis infundendum esse, monente Anaxagora Philosopho, qui lucerna opus habent. Quare, cum Patriae meae dulcissimae, cui et vitam, et reliquam vitae meae conformationem debeo, gratificaturus, Hecatomben facere nequeam, atque hoc quidquid est literarii muneris, in tesseram profundae Venerationis offero: credo a TE, MAECENAS AMPLISSIME! rerum Patriae nostrae Studiosissimo, facile mihi indulgeri, ut me Supplicante, Immortalis KANTII memoria, seu, quod idem est, Philosophia Critica, his pagellis inscripta, in TUIs aedibus commoretur. Quocirca, neque etiam quidquam amplius a TE peto, quam, ut conatus meos, ad Philosophiam Criticam illustrandam, et amplificandam conversos, aequi bonique consulas, tenueque meum, in re tam magna, Studium, Patrocinio TUO dignere. Certe, si quid vota valent mea, Philosophia, quam profiteor, NOMEN TUUM, non modo serae posteritati, sed etiam immortalitati commendabit.

Quod superest, fervidis a Deo Optimo, Maximo precibus exorabo, ut Vitam TUAM, in tempus quam longissimum, prorogare florentem dignetur, ut quemadmodum Patriae utilitati, sic Literarum quoque Emolumento, consiliis, opeque TUA, quam diutissime adsis, ac praesis. Ita vovet die 15ª Iunii, a. 1819.

NOMINIS TUI
MAECENAS AMPLISSIME

cultor devotissimus
Stephanus Márton,
Philosophiae et Mathes. Professor.

PRAEFATIO.

Dum primum, triginta propemodum ab hinc annis, consilium Philosophiae recentioris, aliquomodo, et quasi e longinquo prospectu divinare mihi licuerat, felicitatene Naturae factum glorier, an temere, et coeca fortuna conceptum rear, equidem non determinârim, certe mature veni in opinionem, magnam Philosophiae, quae recentiori saltim aevo a Cartesio, usque ad Scepticam Humei sagacitatem, varia fortuna floruerat, imminere conversionem; sed eam salutarem et exoptandam. Est aliquid in quoque nostrum, quasi divinitus animis nostris inditum, et imperscrutabile magnarum quarumlibet rerum initium, cuius inpulsu tacito, ad hoc, aut illud inviti, ut prima quidem fronte videtur, volentes tamen, ut postea apparet, trahimur, et contraria frustra moliti rapimur. Principem hunc conatuum nostrorum, Nisum Naturae naturantis dixeris, qui, incertum, quo semine foecundatus, futuri foetus labores in nobis auspicatur. Atque hinc factum esse exsistimo, nullas me unquam perhorruisse difficultates, nullos labores ne improbissimos quidem reformidasse, quamdiu mea me spes non destituit, in Adyta Philosophiae, licet per mille anfractus, olim penetrandi. Fontes ergo Philosophiae, quam criticam dicimus, adeundos ratus, ipsa Kantii opera, diurna, nocturnaque manu pervolutanda iudicavi, in quibus, quamquam mihi tironi, et quod longe infelicius erat, opinionum dogmatisticarum nube oppresso, nusquam tuta videbatur via, ex qua olim exitum invenirem, ut quo magis pedem promoverem, summa et insuperabilia praecipitia, aditus scabros, et vix ingrediendos quidem offenderem, ac contemplarer, nullis tamen novorum subinde periculorum minis, a proposito dimoveri me passus, abstrusos in venis silicis tamdiu quaesivi ignes, donec unam, alteramque scintillam, longo licet temporis intervallo, tandem aliquando extunderem, voluptate inventi, quasi novo orbe detecto, satiari nescius. Interim autem, cum fere desperatis quandoque rebus, frustratisque tantis, et tam diuturnis laboribus, Fortuna consiliis aspirare non videretur, Principes quoque Kantii Interpretes, Viros Clarissimos, Rheinhold, Jacob, Schmid, aliosque, quam diligentissime consului, ac studui, ut ex bipartito hoc affrictu, novorum adhuc igniculorum eliciendorum oportunitatem consequerer, quod etiam factum est. Tali, tamque prospero rerum mearum initio animatus, sensim sensim, relicto tantisper Dogmaticismo, ut qui Oceani subeundi metu littus familiare lenunt, philosophari occoepi.

Perplacuit autem mihi, in primis his laborum meorum philosophicorum periculis, nihil antiquius Philosophaturo, recentioris Philosophiae auctoritate praecipi, quam ut is, se ante omnia cognosceret, unde mihi continuo subolebat, eidem, qui ad summam Cognitionum humanarum Certitudinem, ex Dogmatismi veterno excitandus, eluctari vellet, originarias, seu transcendentales Leges pervestigandas, tum, fines ac limites describendos esse, intra quos liceret

solum et sobrie, et utiliter philosophari. Quare, haudquaquam habebam satis, conceptibus iam me, rerum variarum, sensibilium atque suprasensibilium abundare, ratus, nondum me in iis, quod primas origines argueret, offendisse, tamque longe adhuc, a consilio Philosophiae recentioris remotum esse, ut qui vix prima eiusdem elementa degustare, ac tenere nuper instituerat. Atque, in hac sollicitudine, quam reiicere a cervice nequivi, commodum mihi acciderat coniectasse, ut quemadmodum Natura varias, et brutis, et hominibus quoque, propensiones quasdam primitivas (temperamenta vocant) indiderat, unde tot vitae, ac negotiorum discrimina, tot Ingenia ac Consilia, inter mortales dominarentur, quarum progenies reliquae essent inclinationes, quibus hominum genus est obnoxium: sic primitivos quosdam Conceptus, velut semina reliquorum dari oportere, non amplius potui dubitare, quos cum inter Categorias Intellectus, per Kantium propositos, laetus contemplarer, elementa Purismi videbar aliquomodo in meam potestatem redegisse. Certe nunc demum, ut ingenue fatear, quodque tenuitati virium mearum adscribendum videtur, primas, sed eas originarias Sensualitatis nostrae Leges pervestigaturus, a Functionibus Intellectus contemplandis ad Theoriam Sensualitatis regredi institui, didicique non difficulter, omnem Intuitionem humanam, ope repraesentationum Spatii et Temporis, non minus perfici, quam Cognitionem humanam omnem, duobus solum factoribus, Sensu et Ratione progigni intellexeram, eamque a mera cogitatione, quod olim Magni Philosophi ignorabant, infandum quantum differre advertebam. Occupato autem hac ratione initiorum philosophandi territorio, iam satis spatioso, facile penetravi, re vera Kantium, id ipsum inter Philosophos moliri, quod olim Copernico visum est constituere, ut Solem in centro Systematis Planetarii collocaret, circa quem reliqui Planetae rotarentur: sic universam rerum naturam, Leges Phaenomenorum suorum, ab originariis Mentis humanae Legibus obtinuisse, non autem ab his easdem, ei fuisse praescriptas, a qua sententia primum, Dogmaticismi contagio retractus, maiorem in modum abhorrebam.

Primitivis Intelligentiae Conceptibus, quos exemplo Aristotelis Categorias vocare Kantio visum est, hac ratione, et perspectis, et ad usus meos empiricos traductis, non modo in theatro Empiriae, secure iam versari posse mihi persuadebam, certitudine Cognitionum obiectiva, eorum subsidio feliciter obtenta, sed etiam leviores, quae intra ambitum experientiae fieri possent, demonstrationes, pertexere didiceram, originariis quippe illis naturae nostrae initiis nixus, quae ab Auctore nostri omnium, dotis nomine, cum nasceremur, accepimus. Idem fere est, quod Mathematici faciunt, cum veritates suas, ut ut abstrusas, ad indubitata usque Principia persequuntur, non multum, aut nihil Scepticos metuentes, ut non horum rationes contrarias, sed eas dogmatisticas, quae constructionem Intuitionis respuunt, sine negotio reiiciant. At Philosopho, cui in sola Apperceptione, sine praeiacente Intuitionis oportunitate, quod asserit, aut negat, construendum est, insultibus Scepticorum misere foret succumbendum, si his obiectivam Conceptuum primitivorum vim, atque realitatem pernegare visum fue-

rit, eo quod illi, tanquam prima Intelligentiae initia, non amplius ullam recipiant demonstrationem, nisi fax defendendae ac vindicandae veritatis, aliunde affulgeat. Ad quam opprimendae, ac debellandae, per Scepticos, Philosophiae calamitatem removendam, id solum refugii superest, ut a demonstratione, ad Deductionem Criticam, quam etiam Transcendentalem bene vocant, ascendendum putemus, quo sic, et legitimos Conceptuum primitivorum natales probare, et usum eorum empiricum, qui sine illis videbatur illegitimus, monstrare valeamus. Sensi equidem, ne quid dissimulem, profundioris Categoriarum Intelligentiae indaginis consequendae necessitatem, sed ad tantam subtilitatem assequendam, occultosque Naturae dedaleae recessus detegendos, et penetrandos, nondum mea tenuitas hoc tempore videbatur sufficienter esse armata, nisi empirico Intelligentiae stadio emenso, ad summa quaeque Rationis fastigia escenderem. Non erat mortale quod optabam, atque simulac eo perventum est, perlustrato Augusto hoc, quasi Sanctissimo Divini Numinis Domicilio, ubi scilicet Facultas Principiorum, seu ultima, quae homini data est, conditiones conditionatorum, seu Inconditionatum ipsum, quod etiam Absolutum dicimus, quaerendi Functio conditur: continuo nova illic philosophanti mihi illuxit regio, in qua, primitivas mentis humanae veritates, quae ultra omnem demonstrandi sagacitatem submotae sunt, deducere saltem critice, proinde dogmatisticae Scepticorum temeritati, summa quaeque veritatum momenta perneganti, obstruere hac ratione liceret, certitudine assertionum speculativarum, si modo eae summis Legibus Functionum nostrarum, ultimisque ac unicis possibilitatis earundem conditionibus respondeant; solide evictâ. Subiectivo, quod Regulativum quoque vocamus, Rationis Principio, in Analytica eiusdem detecto, ac constituto, dogmatisticaque eiusdem, fines Cognitionum humanarum, pro coeca libidine ampliantis, temeritate, intra iustos terminos revocata, caussa Veri Theoretici feliciter dicta est. Enimvero, etiamsi Ratio, omnium omnino veritatum, quas uspiam esse finxeris, Arcem possideat, ponas etiam, si placet, eam Omniscientiam Divinam, in cognitione finitorum esse assecutam: quodsi tamen eidem, intra Naturae sensibilis carceres restandum est, obiectivoque illa Principio destituta, ad suprasensualia adtolli nequeat, renunciata omni, qua potiri sibi videbatur dignitate, glebae se quasi abscriptam exsistimabit, nisi ex puerili hac Phaenomenorum palaestra, ad sedem Noumenorum evolet hinc altius. Religionem itaque, ut tesseram dignitatis, praesidiumque Maiestatis suae condendam sibi esse, dum liquido videt, exstruendae quoque eius consilium continuo occupat. Hinc primo statim labore, velut inspirata, Ideam Dei construit, exsistentiam eius elicit, adtributa determinat, operaque describit. Sed cum cogitata haec, sine cultu Numinis Sanctissimi, notitia, ut ut splendida Rationis Functio esse videatur: neque tamen destinationi illi, ad quam homo factus est, respondeat, ultimus Rationi labor supererat, ut semina Cultus Divini, ex Doctrina Moralium fideliter colligeret, cordibus hominum mandaret, nosque eatenus, foecundissimam officiorum, spei, ac fiduciae, felicitatis ultra limites mortalitatis consequendae segetem iuberet exspectare:

tali ratione nihil amplius desiderandum relictura. Quo facto philosophaturus, a limite Philosophiae Speculativae, ingressum sibi iam, in Philosophiam Practicam, meditatur.

Salutato mox, ut ordo laborum secum ferebat, Philosophiae Practicae limine: alia paulo rerum facies, se mihi contemplanti offerebat, quam quae in Philosophia Speculativa obtinebat. Nam Institutio quidem ipsa Practica, longe magis ad communem Intelligentiae captum, quam Popularitatem dicimus, accedere videbatur, quod in Philosophia Speculativa, nulla prorsus ratione fieri poterat, ea procul dubio de caussa, quod in genere hominum condendo, non aliud Deitati consilium fuisse credendum sit, quam ut, nemo non nostrum, cum possit, moraliter melior, ac bonus evadat, si quidem, ut universi hominum docti, eruditique efficiantur, nae id, tam a Consilio Supremi Numinis, quam a fine, conditionibusque culturaeHumanitatis, vehementer abhorrebat. Profecto, non Philosophiam modo, sed ipsam adeo Sapientiam, de Coelo hodiedum videtur is devocare, atque in domibus hominum collocare, qui exemplo Socratis, Iura hominis, et Civis, officia cuiusque nostrum ethica, ut et spem, fiduciamque futurorum, ante oculos hominum posuerit. Enimvero, neque tamen opinandum est, in Philosophia Practica constituenda, nullas esse difficultates, et eas quidem magnas ac graves, ut ut eae, minores sint, quam cum quibus in PhilosophiaSpeculativa colluctandum erat. Nam summae illae,et quas puras dicimus,ScientiaePracticae conditiones, quasDogmaticismo, hic quoque, ut supra reiecto,criticumPhilosophaturi studium detexit,ac constituit,a quibus scilicet, universa omnium veritatum practicarum series descendere debet, adeo in secretoNaturae sinu procul retrusae,collocataeque profunde sunt, ut non unquam remissa duntaxat laborum pertinacia, rarâ mentis subtilitate, ac felici acumine, idque prolixo temporis intervallo retro acto, liceat ad sacratissima haecAdyta penetrare, ac prorumpere; neque minori cum temeritate, quam si Physici, cum laboranti Naturae, arcana eius instituta rimantes insidiantur, primum illud Conceptionis punctum vellent observare, ac tenere, quo homo esse incipit, ut artificium fingendi hominis, ab ea condiscerent. Ut nihil dubites, eum demum Philosophum vere Criticum dicendum esse, qui longissime supra omnes illas demonstrationes, quibus Philosophi hactenus usi sunt, transcendentali adhuc primarum Veritatum Deductione perfungi noverit, ut si hodie liceret, inspirante, et revelante Deo, Theoriam creationis Universi, rerumque omnium, quas fecit, ab ipso Creatore, si nobis referret, percipere. Et populari veritatum practicarum notitia, quoad hominum genus, et scientifico earumdem Systemate, quoad Humanitatem opus est, ut si Socratem ac Platonem coniunctim Hominum Doctores tibi cogites, Naturae Oeconomiam imitando, quae et Solem nobis dedit, cuius ignibus globum nostrum interdiu collustraret, neque tamen etiam ellychnia nostra improbaret, quibus tenebras, molestiamque noctium nostrarum solemus, absente Sole, dispellere.

Sacram Rationis Practicae Curiam ingressus, principio statim, nihil nisi felicia quaeque auguratus, non sine admiratione vidi, institutionem ipsam, non a vago dogmatisticoque Boni Malique Conceptu, sed

ab ipsa Legis vi ac potestate pura, omni quippe sensuum affectione immuni, quam in supremo collocatam fastigio Maiestatem dicimus, inchoatam esse, inque inconditionata agendi necessitate eam contineri. Non quidem statim perfecte vidi, quo digitum intenderet Criticismus: neque tamen diu ignorabam, non tantum hic Conceptum Practicum communem, sed eum primitivum et originarium, aut si mavis, Ideam Practicam in Principium normativum proponi, quemadmodum in territorio Categoriarum factum est, sed etiam Legem Practicam, a Regulis Arbitrii, normisque Prudentiae subiectivis, tanquam conditionatis, statutariisque Legibus, discerni. Nihil vero erat, quod attentionem meam maiori potuisset cum voluptate demulcere, quam cum animadverterem, ex Imperio Rationis categorico, immediate, atque indubitate, eliciendum videri, actiones nostras universas practicas, Spatii et Temporis Legibus minime subiectas, carceribusque Phaenomenorum haudquaquam adscribendas, proinde Noumenis accensendas, adeoque liberas esse, ut non parum simul dolerem Dogmaticos, in adstruenda Libertatis realitate, tam multum laborasse, et tam parum effecisse, cum via critica, conscientia Legis Moralis, Ideam Libertatis postulet, ac vindicet sola, manifesto Argumento, quod, quemadmodum Petrefacta, monentibus Physicis, duplicis Naturae vestigia in se continent, quam sc. exuerint, et quam ex parte induerint: sic homo, qui in Speculativa Philosophia Phaenomenon, in Practica Noumenon est, non dubia prodit indicia, finitam hanc, qua his in terris vegetat exsistentiae suae rationem, cum sublimi illa, quae nullis temporis vicissitudinibus esse potest obnoxia, exsistendi ratione, practico sui, Legisque Moralis charactere, in contiguitatem adduci. Posito vero sic feliciter pro Fundamento, Rationis Practicae imperio, et eo quidem categorico, Functio iam in homine erat detegenda, quae ex natura correlationis, absolutum Rationis Imperium in se recipiat exsequendum. Hanc, Arbitrium nominamus. Et cum inconditionata Legis Auctoritas, Universalitatem quoque simul involvat, ac post se trahat, Arbitriumque, Libertatis quippe suae sibi conscium, cum normas agendi sibi eligit, solam materiam saepissime secutum, a Legis Sanctitate dissideat, nec aliter illi cum hac conveniat, nisi normae suae sponte adscitae, Legis formam, seu Universalitatem queat impertiri: oppido patet, Principium omnis practicae agendi rationis tali Canone recte conprehendi: *Sic age, ut norma Arbitrii tui, in Legem Universalem cogitata, haudquaquam ipsa sibi repugnet.* Qui itaque, a materiali agendi Principio, Philosophis dogmatisticis familiari, ad Principium Practicum Formale, tali ratione eluctatus est, nae is, ad unicum omnis practicae agendi rationis fontem, ad decreta scilicet Rationis pure Practicae, quae internam actionum hominis honestatem, non a praesenti sensuum fruitione, neque etiam a sequelis, propensionibus nostris arridentibus, metiuntur, appulisse est existimandus.

Imperium Rationis categoricum, omne Sensualitatis consilium, contagiumque inimicum repellens, ut continuo obsequium Arbitrii excipiat, necesse est; cum secus, frustrato Rationis imperio, nulla actio consequeretur. At vero, quomodo Arbitrium, Sensualitatis quoque po-

testati, ac illecebris obnoxium, parere voluntati Rationis imperantis, in tanta virium humanarum fragilitate queat, et an non tyrannicae crudelitatis Argumentum esse videatur, obsequium ab Arbitrio, quod praestare vix possit, exigere: nae hunc nodum solvere, hoc opus, hic labor est. Equidem, non paucorum audivi querelas, vehementer contendentium, caput Philosophiae Practicae, quod secundum Criticos, de Elatere Rationis Purae agit, tantis difficultatibus obsitum, tantaque caligine obductum videri, ut sensum eius, quis sit, ne, qui sagacissimus quidem fuerit, possit divinare, tantoque minus perspicere, ac penetrare. Quibus ego respondere solebam, quodsi hi, Dogma Religionis Christianae, de Spiritus Sancti auxilio, quod nobis, cum ad Mentis nostrae collustrationem, tum ad Voluntatis emendationem, animosque nostros erigendos, incitandos, consolandosque in Divinis Oraculis prommittitur, seposita crassiori superstitione, quae meram Passivitatem, ut sic dicam, redoleret, serio ad animum revocaverint, viam experientur sibi emuniendam, ad hoc Naturae nostrae Moralis secretum dextre intelligendum, eo quod, vis Rationis naturalis, supernaturalis illius auxilii, Analogon quoddam sit: Est ea scilicet, Categorico Rationis Practicae Imperio, connata vis ac potestas, certe esse debet (Postulatum Critici vocant), ut non solum verba Legis Arbitrio, illa frigide, et pro sua auctoritate gravi annunciet, ac detonet: sed etiam, ut sensu Maiestatis suae, qua pollet, Mentemque percellit, amorem quoque simul illi erga Legem, inspiret, necesse est; cum secus, dura ac inflexibilis, ut videtur, Legis rigiditas, in se sumta, despoticum duntaxat saperet iugum, nisi Arbitrium quoque simul, ipsa sibi quasi succurrendo (et Arbitrio et Ratione ipsa, pro uno eodemque, ac indiviso Principio reali, sumtis) ad praestandum Legi obsequium adiuvaret, sponteque sequens molliter pertraheret. Hunc Legis imperantis subiectivum, quem vocant concursum, in quoque Subiecto peculiariter agentem, Critica, Elaterem Rationis Practicae, seu motivum subiectivum, (nam obiectivum quoque motivum eadem Lex praestat), appellat, quo Lex Arbitrium, inspirata ei deamatae Legis voluptate, ad obsequendum movet, moveturque ipsum, simulac Idea Legis, seu Legalitas Universalis, non servilis illa, sive voluptatis, sive utilitatis consideratio, promtam in eo, Legi, propter solam Legis venerationem obsequendi, voluntatem in eo excitârit. Atque, non ab re positum fuerit, id quoque adhuc, hoc loco commemorasse, hanc eandem Legis severitatem, cum pari eiusdem, quoad Arbitrium sublevandum, lenitate consociatam, nobis in Theoria Religionis Christianae proponi, cum Deus, in negotio scilicet emendationis nostri moralis, ex parte quidem una, ut Legislator et Iudex severus consideratur, ex parte autem altera, quod seposito tantisper Legislatoris rigore, ad se nos vocat, benigneque invitat, Pater solet sensu eminenti nuncupari. Quae omnia, cum Indolem Practicam, veramque animo nostro concilient Moralitatem, seu, spontaneam Legi propter Legem parendi, facilitatem, Legalitati meae, seu, Pharisaismo e diametro oppositam: nemo potest dubitare, Criticam philosophandi rationem, quam inpraesentiarum laudamus, vel ideo Dogmaticismo praeferendam esse, quod eius Praecepta, cum iis, quae in Di-

vinis Oraculis, hoc in negotio nobis exhibentur, tam amice conspirent.

Sincerum Arbitrii erga Legem obsequium, de quo nunc statim sumus commentati, si imperium Rationis pro consilio reputes, Obiectum Moralitatis, iure meritoque nuncupâris. Quo in Argumento, ita Critica versatur, ut posteaquam docuisset, quid Bonum, Malumque morale sit, id non ex sensibus, eorumque Elateribus ad Arbitrium, neque ex rebus obiectis, earumque relatione ad Tactum, omninoque, non ex experientia posse cognosci, sed unice ex sola Ratione, eiusque relatione mutua ad Arbitrium: optimo iure infert, Bonum atque Malum morale, non externum, sed internum quidpiam esse debere, idque tale, quod non coeco animi mechanismo, sed Libertate Arbitrii effectum videatur; proinde cum Bonum et Malum morale, originarie, in Arbitrio sit radicatum, adeoque utrumque proprium, atque personalissimum hominis factum, a Libertate profectum esse oporteat, sane, utrumque nonnisi Subiecto agenti inhaeret, qualitatemque Arbitrii exponit. Quae omnia, iterato exemplo, liquide monstrant, criticam philosophandi Methodum, minime a Cognitione Obiectorum esse auspicandam, ut ad Theoriam Facultatis cognoscendi inde progrediaris, quod Methodo philosophandi dogmatisticae proprium est, verum ab investigatione solida, et adaequata Facultatis cognoscendi, ad Obiectorum Cognitionem, progressum esse informandum. Quare, cum Ratio sit Principium, Absolutae Universalitatis, proinde, cum per solam Ideam Legislationis Universalis actuosa est: intelligitur, eam, propriae suae Ideae inniti, hoc est, ei Autonomiam competere, unde tale Principium quoad Arbitrium emergit: *Sic age, ut velle simul possis, Regulam Arbitrii tui, qua Legem, ex propria omnium Legislatione proficisci.* Quod ubi Criticae e voto successit, omnem Epicureismum, atque Eudaemonismum, nullo negotio prostravit, Personalitatemque hominis, cum Libertate Arbitrii Morali, vindicavit. Tum quia, cum de Summo Bono, quaestione per Secula vexatissima, Problemateque Humanitatis gravissimo, nunquam tamen ex asse adhuc soluto, sententiam suam ita Critica pronunciasset, ut illud, in Beatitate contineretur, hoc est, in tali verae Virtutis possessione, quae digna felicitate videretur, ex repensione Dei benefica, olim, et post fata corporis obtinenda: quid quaeso homini exoptabile uspiam fuerit, quod hic desiderandum relictum putes. Denique cum Entia quaeque rationalia, ipsâ illâ, quam de se habent, Ideâ, iam invicem coniuncta, et Systema quoddam ideale, velut corpus quoddam spirituale, vel potius Regnum morale, inter se constituere putanda sunt; nullumque Regnum inter homines, nisi latrocinium tibi repraesentaris, quod non a summa Principis Maiestate, Legum Sanctitati congruenter videatur gubernandum: patet, per Philosophiam Criticam, nihil salutarius in Humanitatem potuisse consuli, quam quod fidem in Deum, fidemque Inmortalitatis, sanctitati Indolis moralis, non ieiunae Speculationi, quae nequissimo cuique patere potest, superstruendam existimarit, ut qui sanctitate Officiorum non dico violata, sed neglecta, vitam videatur degere mere animalem, eum, vel sola notitia Summi Numinis, Inmortalitatisque, tamdiu indignum vide-

ri, quamdiu se, non in Civem Regni Moralis, adoptandum elaborarit. Tali, tamque salutari Organismo praedita, cum esset Philosophia Critica, cumque Institutiones suas, Religione Morali, tanquam suprema manu imposita, clauderet, si vel omnia alia, quae in laudem eius dici cumulate possent, taceamus, id unum ad eam collaudandam abunde sufficit, quod cum palmarium eius Institutum practicum, cum Sanctitate Evangelii congruat, videri prima fronte posset, quasi studio, et consilio ita fuisset condita, ac instructa, ut quoad eius fieri, per finitudinem Rationis humanae posset, a Divinorum Oraculorum sententia, quod sanctissimam morum conformationem, Dignitatemque hominis religiosam attinet, ne hilum quidem abluderet.

Praefari haec, forte paulo prolixius, quam sine laesa Lectorum patientia fieri posset, propter duas mihi rationes placuit. Una earum est, ut omnes ii, ex Adolescentibus nostris, qui Candidati Eruditionis habendi sunt, videant incessum meum, quem a principio in studio philosophico, nullo Magistro vivo usus, habui; nihilque reformident, praeeuntem sequi, persuasi, hac, aut simili via eos, fine, quem in philosophando sibi iam proposuerunt, sine dubio potituros, quibus si tenuitate conatus, et exempli, prodesse possim, satis me eorum profectu praemiatum, et beatum esse putabo. Neque enim mihi unquam, arrogare in animo erat, ut hoc quidquid est laboris, Eruditis offerre audeam, qui si libellum generosa patientia sustineant, satis habebo.

Caussa autem altera, ob quam mihi longius praefandum videbatur, illa est, ut rationes meas, non singillatim, sed quasi in Orbe systematico clausas, ante oculos omnium eorum ponerem, qui libenter avent cognoscere, quid sit, cur Philosophia Critica, vermiculoso Dogmaticismo, ex cuius servitute et incertitudine, in Libertatem, solidamque Scientiam vindicati sumus, praeferenda videatur. Rerum quidem Criticarum non ignari, ne dubitandum quidem putant, de die in dies, Studium Philosophiae Criticae, non obstantibus misere stridulis Ignorantium vociferationibus, et contumeliis, quas in Aedem Sapientiae impudenter coniiciunt, (Ars non habet osorem nisi ignorantem) invalescens, ita brevi consolidatum iri, ut machinationes contrarias, sine labore eludat: neque tamen arroganter dicunt, Philosophiam, quae in Idea tantum inest, immortali Immanuelis Kantii labore, exhaustam iam esse, cuius potius conatus, et consilium, eo convergunt, ut criticum studium, quod is primum aperuit, maiora semper capiat incrementa, neque tamen unquam consummetur, vel ideo magni faciendum, quod contrarias Antagonismi rationes, quibus impugnatur, non modo non reformidat, sed ut impugnetur, exoptat, et ideo quidem, quia, non vana spes est, ut, quemadmodum Aurum, quo diligentius ignibus maceratur, eo splendidius clibanum relinquit: sic Philosophia Critica, quo plures experitur hostes: eo maiores, currente contentione literaria, colliget sibi vires, maiori ac maiori aucta semper dignitate, et prospectu. Certe, aut omnia me fallunt, aut sola Critica philosophandi Methodus, apta nata est, cum, ut Scepticos prosternat, et ad internecionem deleat, tum ut Incredulos, et Irreligio-

sos, ad pudendum, perpetuumque silentium redigat, certitudine quippe Cognitionis humanae evictâ, et Moralitate ac Religione ita constituta, ut ambo haec Humanitatis clenodia, aeterno praesidio circumsepta esse videantur. Saltem, a 24 inde seculis, ex quo scilicet tempore, Philosophia, circa excolendam Humanitatem indefesse versatur, nunquam licuit eam, in tam amica, cum Divinis Revelationis Oraculis harmonia positam contemplari, quantam hodie, inter utrumque hoc Institutum Deitatis salutare, obtinere, laeti conspicamur. Unde liquido perspiciant omnes necesse est, quam firma spe teneri nobis ac duci liceat, officiosos subditos, bonos, Patriaeque amantes cives, vere pios, fructuososque Christianos, hac sola via posse, in commodum utriusque Reipublicae, et Civilis et Ecclesiasticae, educari, qua in re, sexcenta sunt testimonia, omni exceptione maiora, quae nobis, a Doctissimis Educatoribus, hac in palaestra, ut versatissimis, ita usu quoque edoctis, sponte ac liberaliter porriguntur. Adiiciam adhuc et illud, quod summum ingratitudinis, atque iniquitatis crimen mihi incurrisse viderer, si, cum criticam philosophandi rationem tanti facerem ipse, neque tamen Popularibus meis, eius cognoscendae oportunitatem sponte offerrem; et eo quidem magis, quod cum publice constet, Smyrnae iam, in Asia Minori, Philosophiam Criticam, ad ductum Viri Clarissimi Krugii, Lingua Neo-graeca, per Virum Clarrissimum Kuma praelegi ac tradi, illic scilicet loci, ubi quondam Homerus, Heroas suos cecinit, Thalesque primam Philosophiae Scholam aperuit: infanda futura erat infamia, si Philosophia Critica in Hungaria, adeo peregrina videretur, ut nonnisi nomine tenus nosceretur.

Quod autem ex omnibus Philosophis, quibus abundat Germania, opus in primis Guilielmi Krug, Viri Clarissimi, Philosophiaeque, in Academia Lipsiensi Professoris, interpretandum delegerim, non est cur institutum hoc meum, prolixius defendere debeam, partim quidem, quod Vir hic, summa quaque laude dignissimus, totum Philosophiae Criticae Systema, iam perfecerit, et absolverit; partim autem, quod illud, tantam gratiam ab omnibus in Orbe erudito retulerit, ut, cum eius legendi avidi, unde sitim suam restinguerent, vix iam haberent, impressio eiusdem Viennae Austriae videretur iteranda. Quo vero consilio, quibusque Legibus mihi praescriptis, in laudatissimo hoc opere Krugiano interpretando, versatus fuerim, paucis expediam. Scilicet: Systema Krugianum, totum quantum, summa religione ductus, integrum retinui, neque mihi permisi, ut vel minimae interpolationi locum facerem. Textum Paragraphorum, ordinemque eorumdem, sine inmutatione conservavi: Scholia tamen, quandoque prolixiora, quod credo Clarissimum Auctorem, haudquaquam mihi improbaturum, exiguitati pretii libro comparandi consulturus, salva tamen perspicuitatis, et nexus cogitationum lege, in compendium redigenda iudicavi. Cumque, quod nemini ignotum videtur, ea est Linguae Latinae in Hungaria celebritas, ut Philosophia, ob terminos technicos, quibus Eruditio, intuitu scientifico carere nequit, longe commodius possit in ea proponi, quam in Lingua Hungarica, culturam quidem popularem, iam utcunque auspicata, nondum tamen ad fastigium

scientificum, ad quod per Naturam destinata est, evecta: utilius procul dubio in rem publicam videbatur, si Philosophiam Criticam, nunc quidem in his Literaturae Hungaricae initiis, latine potius, et interpretarer, et ederem. Dedi quidem operam, ut in Puritatem Latinitatis haudquaquam inpingerem: cum tamen, ut nemini ignotum est, fieri nequeat, ut non peregrina quoque interdum vocabula, adhibenda sint iis, qui iacturam bonarum cogitationum non libenter faciunt: spero rei literariae Iudices, non magnopere mihi vitio esse versuros: si, cum omnem meam aetatem Studiis Philosophicis, pro ratione Officii impendere debuerim, ad cognitionem rerum philosophicarum, parem eloquentiam latinam adferre non potuerim. Nihil moror, quin ii, qui, in utraque hac, et philosophandi, et eloquenter latine scribendi palaestra, mihi multis parasangis antecellunt, et melius, et felicius apud Populares meos, de re philosophica mereantur. Neque etiam dubito fore, quibus Latinitas, quâ usus sum, difficilis esse videatur. Sane, vix ulla esse potest interpretatio, praecipue, si illa Linguâ mortuâ instituatur, quae originariam Auctoris loquendi rationem assequatur: velim tamen, ut qui hinc ansam criminandi aucupari voluerint, difficultatem intelligendi, prima, eaque superficiaria, dictorum lectione enatam, minime gentium stylo esse imputandam, credant, sed eam a subtili, a sensibusque vehementer remota, adde etiam si placet, insueta adhuc nobis, critice philosophandi ratione, quae ad secreta fere Conclavis Divini, ut sic dicam, penetrat, proficisci intelligant. Ridiculum certe iam hodie videtur, ab Eruditis, et Philosophis, et Mathematicis, Systema Copernicanum, tam diu potuisse recipi, alienum a Ratione exsistimantibus, ut tellus nostra rotetur circa Solem: quanto magis absonum, et a Ratione abhorrens videri prima fronte debet, Dogmatico, si Criticum audiat docentem, Naturae rerum ab Intellectu humano Leges praescribi, non eas per hunc, a Natura latas accipi, ut ne verbum quidem adiiciam amplius, de Idealismo Critico, quo nihil magis rationabile statueris, quin rem sanctissimam, ludibrio eorum prostituendam exponam, qui tantarum rerum dignitatem, ob tenuitatem virium suarum, nondum exercitatarum, recipere nequeunt. Vos vero Candidatos Philosophiae, hortor atque moneo, ne vilem quamdam neniam legi a vobis existimetis, si ad Philosophorum libros legendos acceditis, proinde eos, nocturna versate manu, versate diurna. Certe, si qua unquam fuit Philosophia, quae ad eam condiscendam Virum expoposcit: sane Philosophia Critica est, quae, ignavum, Fucos, pecus a praesepibus arcet. Qui itaque ante omnia castissimum veritatis amorem, perspicuam cogitandi dexteritatem, solidum iudicandi acumen, defaecatam argumentandi solertiam, laborem improbissimum, indefessamque patientiam, ad studium philosophandi criticum adtulerit: is solum sibi persuadeat, viam ei regiam, ad Augustum Philosophiae Domicilium, esse patefactam.

PHILOSOPHIA FUNDAMENTALIS

SEU

ARCHOLOGIA PHILOSOPHICA.

Conspectus.

Indroductio	§. 1 —	4.
I. PARS. Doctrina Elementaris . . .	§. 1 —	84.
1. SECTIO. Doctrina Elementaris problematica.	§. 5 —	19.
2. SECTIO. Doctrina Elementaris apodictica.	§. 20 —	84.
a. CAPUT. De supremis Cognitionis philosophicae Principiis	§. 23 —	54.
b. — — De absolutis philosophandi Limitibus	§. 55 —	68.
c. — — De Forma Actuositatis Mentis originaria.	§. 69 —	82.
d. — — De Summo et ultimo Actuositatis Mentis fine.	§. 83 —	84.
II. PARS. Methodologia.	§. 85 —	132.
1. SECTIO. Methodologia didactica. . .	§. 86 —	119.
a. CAPUT. De Generibus Verihabitionis et gradibus Persuasionis.	§. 87 —	114.
b. — — De Methodo philosophandi. .	§. 115 —	119.
2. SECTIO. Methodologia architectonica .	§. 120 —	132.
a. CAPUT. De Conceptu Philosophiae. .	§. 121 —	126.
b. — — De Partibus Philosophiae. .	§. 127 —	132.

PROLEGOMENA.

Philosophia, a reliquis scientiis, in quas mens humana, omnem suam cognitionem, per territoria descripsit, quasique articulatim divisit, solo nomine haud quaquam distinguitur: si quidem, nomenclatio ejusdem etiamsi originariam illius significationem ac potestatem, ab etymo graeco repetitam consulas, nullum determinatum characterem in se continet. Nam, sapientia illa, cujus amor, nomine philosophiae nobis commendatur, principio tam late patuit, ut universam artem humanam, scientiamque in se comprehenderit. Materia ergo, seu vis argumenti, philosophiam a ceteris scientiis discernat, necesse est.

Neque tamen perinde est, ac si, a mero arbitrio dependeat, quem tibi de Philosophia Conceptum informes. Nam, et argumentum, et ambitus Scientiae cujusque, ab Idea ejusdem pendet, atque Idea haec, in normativo illo inest Principio, secundum quod, valor, pretiumque ejus, rite possunt aestimari. Quare Idea inprimis, et tota quanta scientiae cujuslibet, tenenda prius est, quam eam, aut elabores, aut de ea, judicium ferre queas. Et quia determinatus, plenusque Philosophiae Conceptus, a Philosophia demum fundamentali, ubi haec perfecta fuerit, exspectari debet: Candidato Philosophiae in limine huius, generalia tantum illa Praedicata proponenda sunt, quibus adiutus, in territorio novo, et hucdum ei ignoto, quod nunc primum ille ingreditur, locum in cogitando possit invenire (s'orienter). Ea sunt sequentia:

Philosophia debet esse Scientia, h. e. aliquid in ea, et per eam, sciendum, ac cognoscendum est, quod in alia Scientia, et per eam, scire non licet, et cognoscere. Ut enim Scientia quaeque: sic Philosophia quoque, et Subiectum cognoscens, et Obiectum cognoscendum, peraeque sumit, per quod ea, in quantum hoc ei proprium est, ab aliis scientiis, essentialiter differt.

Philosophia, Systema quoddam cognitionum sit, necesse est. Nam quemadmodum aliae scientiae, ita Philosophia quoque, ex pluribus cognitionibus singillatim positis, et comparatis con-

stat, sed quae omnes, ad unum Obiectum constituendum amice conspirant, eatenusque homogeneae sunt, quod ipsum est, quod Systema vocamus.

Philosophia, ut quaelibet alia scientia, certis determinatisque dogmatibus continetur, quae, ut decreta, et consequentiae, invicem cohaerent, atque postremo, uni forte, aut pluribus Enunciatis, sed immediate certis, velut supremis, et ultimis Principiis innituntur.

Philosophia est liberum mentis humanae Productum, quae cum nemini originarie, sive data, sive connata est: nae ea, cuique nostrum proprio Marte quaerenda, et comparanda esse videtur. Atque cum libera haec mentis nostrae actuositas, solis Conceptibus, non constructione Conceptuum, ut Mathematicae opponatur, occupata in functione est: tum demum Philosophari dicimur.

Sed Philosophari nihil aliud est, quam in semet ipsum converti, ad se attendere, ut te ipse cognoscas, et intelligas, utque per hoc, pacem in te, tecumque ipse facias. Scilicet: convertimur in nos ipsi, cum ab eo, quod non ad nosmet ipsos pertinet, abstrahimus, h. e. cum το externum, cogitando derelinquimus, ipsique nosmet ipsos ad id, quod mere internum est, retrahimus; — attendimus ad nos, cum studiose ad το internum, quod intra nos peragitur, reflectimus, pro immediato quaerendi, et investigandi Obiecto, nosmet ipsos constituendo; — cognoscimus nosmet ipsi, cum totam nostram facultatem actuosam, rite aestimare novimus, h. e. leges, limites, finemque universae nostrae actuositatis non ignoramus; — ipsi nosmet ipsos intelligimus, cum omnium eorum, quae cogitamus, cognoscimus, et agimus, rationabilem reddere valemus caussam; — denique Pacem in nobis, nobisque cum ipsis facimus, cum omnis actuositatis nostrae harmonicae, eiusque relationis ad totam nostram destinationem, conscii sumus.

Quare; Abstractio et Reflexio primum, propria nostri et cognitio, et intelligentia secundum, Satisfactio nobis ipsis, per nos praestita, tertium illud momentum est, quod hic in summa versatur quaestione. Primum horum instrumentum est secundi, et tertii, secundum autem in fine nostro proximo, quemadmodum tertium in fine remotiori, eoque summo inesse putandum est.

Quaesieris fortasse: Quomodo id peragitur, ut attentione in nos reflexa, nosmet ipsi cognoscamus, et intelligamus. Respondeo. Modus philosophandi, seu το πως, intuitive explicari simpliciter nequit: et eum sine periculo veritatis ignoramus. Nam cum functio philosophandi, in sponte

actuosa Cognitionum productione consistit, sed eae, neque immediata datorum Obiectorum sensatione, neque communicatione sola aliorum in animo exsistunt: satis est eas, simulac in apertam lucem emerserunt, per Conscientiam tam irrefragabiliter nobis annunciari, ut de iis salva Ratione haud ambigas. Est ergo functio philosophandi ars, quae solis Regulis, aut sola imitatione, neque doceri, neque disci potest: sed partim dotes naturales, h. e. connata quaedam, et propria ad philosophandum, Naturae dispositio, partim bona voluntas, seu sincerus veritatis amor demum id efficiunt, ut ars illa felicem sortiatur exercitationem.

Credo interim te in opinione esse: Conversionem illam, intra nos efficiendam, mysticam quamdam redolere intuitionem? Re vera, functio philosophandi, est species intuitionis suimet ipsius, et quidem talis, quae in profundissimas mentis humanae latebras penetrare satagit: unde Philosophia mysticum quandoque habitum prae se fert. Sed Philosophus hanc sui intuitionem, aliter prosequitur, aliter Mysticus. Ille frigida considerantia, et secundum certas, immutabilesque Leges agit: hic, id quod in sensu interno effictum sentit, fervefacta et abnormi cum phantasia, ita rimatur, tantaque cogitationes suas caligine obducit, ut somniare potius, quam cogitare de obiectis certis videatur. Certe si Philosophus quoque, pari oestro percitus, imaginationi suae vagae frena relaxat: non est mirum, mystico eundem Somniatori, quam Philosopho videri similiorem.

Obieceris etiam: Repugnare sibi, Facultatem cognoscendi generatim per solam cognoscendi facultatem posse cognosci? Nequaquam. Nam omnis omnino cognitio humana, tam theoretica, quam practica, quidquid demum eius Obiectum, Consiliumque fuerit, solida sui ipsius cognitione philosophica potest per Conscientiam, velut universalem omnium actionum nostrarum interpretem et effici, et promoveri, et perfici; si quidem solus ille, Reflexione sua potest secure ex se ad alia obiecta transire, qui prius ad se ipse reflexit, perque hoc facultatem suam cognoscitivam, eiusque Leges pernoscere didicit. Quare cognitione sui philosophica, quisque scrutator, vice pyxidis magneticae fungi potest, quippe qua munito licebit immensum Obiectorum Oceanum quam tutissime pernavigare.

Si pergis opponere: Tu ergo id, quod nondum scis, per hoc vis cognoscere, quod adhuc ignoras — respondeo: Sane Philosophus, se ipse nonnisi per semet ipsum potest cognoscere: sed hoc non sibi repugnat, quemadmodum tu opinaris. Scilicet subiectum cognoscens, semet ipsum, omneque id, quod in eo est, inter philosophandum pro obiecto constituit. Cum ergo Philosophus naturalem suam, et necessariam agendi rationem, seu Leges actuositatis suae investigat et repraesentat, is ipse non

aliter, quam secundum has Leges agere potest. Cum autem is se, libera sua reflexione in se conversa, supra communem conscientiam extollit, secundum quam, iuxta Legem quidem agitur, ut tamen eius conscio esse non liceat: tum in altiori hoc loco propriam suam actionem inspectat, perque hoc propriam sibi sui cognitionem producit, quae ad illas actuositatis suae Leges refertur, et cognitio sui philosophica appellatur.

Denique, si ex me quaeras: Nonne convenientius Naturae foret, externa prius cognoscere, et postea Leges actuositatis nostrae condiscere, ut omnis Philosophiae historia, quotidianaque experientia hanc mentis humanae evolutionem esse, satis lucide monstrant? respondebo: Profecto verum est, et quotidiana experientia satis superque evincitur, Rationem, in quoque hominum generatim, alia, quam cognitionis sui via, primum evolvi; ipsamque adeo Rationem philosophantem, ut Historia Philosophiae docet, alia directione progressam esse, cum primum se extollere inciperet. Enimvero hic quoque evolutionis Rationis incessus, in usu eius tam communi, quam philosophico, naturali, et necessariae mentis humanae agendi rationi prorsus accaccomodatus est, indeque facile explicabilis. Scilicet Ratio, principio ad externa attendit, vires suas in iis periclitatur, ac exercet prius, quam ad se ipsa reflecteret. Mox ut cognitioni suae Unitatem et Absolutionem impertiat, Principia quaerit, seque ipsa in altum extollit. Heic Ratio, per multa secula, immensosque acta labores, cum non modo veritatem, quam tanto studio, tamque diuturno quaesierat, reperire tamen non posset, quin potius mille erroribus implicata, prorsus iam in coepta palaestra fatisceret, relicta tandem peregrina regione, in quam abnormi sua phantasia rapta est, quasi misso coelitus oraculo, ad cognitionem suimet ipsius philosophicam salutari consilio revocatur, novam postliminio philosophandi viam hinc auspicatura. Atque hoc ipsum illud est, quod olim per Socratem primum, mox per Platonem, Aristotelem, aliosque, qui ex Scholis Graecanicis prodierunt Philosophos, recentissima autem aetate per Leibnitium, Lockium, Humium iterato consilio tentatum, denique nostris temporibus per Immanuelem KANTium, commonstrata nobis feliciter critica philosophandi ratione, perfectum est.

Primus itaque, et proximus philosophandi finis, ut hactenus disputatum a nobis est, in Cognitione, Intelligentiaque suimet ipsius positus est. Enimvero, est quoque alius quidam finis, isque remotior, et altior, quem cum in Prospectu habemus, ad eum remis, velisque consequendum, sanctissimo Rationis Imperio sollicitamur. Sed ille finis, non alius est, quam Pax in se, et secum ipso facienda, h. e. harmonia in cogitando, quemadmodum et volendo, in cognoscendo non minus, quam in agendo, ad assequen-

dam in nobis finalem Humanitatis destinationem directa. Hac autem Pace, quâ summo Hominis bono, duplici via licet potiri. Primum quidem, cum is se, totum quantum ductui Naturae permittit, solumque ducem, et in cogitando, et in agendo Intellectum, quem vocant communem, seu naturalem sequitur, qui, quamdiu sanus, h. e. re vera naturalis, et non studio corruptus est, hominem ad Pacem hanc manu ducit.

Sed inest praeterea homini, Principium propriae suae actuositatis, quo is Dux sibi ipse cum Conscientia esse potest; inest illi tacitus, infinitae evolutionis, initiorum Naturae in se stimulus, qui, dum in eo expergiscitur, propriaeque actuositatis Principium ipso facto evigilat: tutelatu Naturae homo se emancipat, tentaturus, quid ipse, ex se facere queat, si ad summa scientiae fastigia irremisso conatu contendat. Quo dum pervenire annititur, scire vel maxime avet, quid est, quod ei faciendum est, ut voti sui olim damnetur? Eum oportet philosophari.

Quodsi, quae nunc statim dicta sunt, paucis complecti placet, oppido patebit, Subiectum in Philosophia cognoscens, Obiectumque cognoscendum, unum idemque esse, — Hominem puta. Nam, cum qui philosophatur, proprie ad sui ipsius cognitionem duntaxat grassatur, atque ita grassatur, ut eam pro Principio omnis reliquae cognitionis suae reputare debeat: necessario consequitur, ut, qui se ipse cognoscat et intelligat, possit quoque omnium, quae cogitat, aut agit sufficientem reddere rationem; adeoque Philosophiam nihil aliud esse, quam Scientiam originariorum initiorum, et destinationum hominis, in qua queant unice, illae cogitationum, et actionum nostrarum rationes quaeri ac detegi, quae Rationi humanae perfectam valeant praestare satisfactionem.

Summum Philosophiae pretium statuendum esse, facile ex Natura eius apparet: licet in Classificatione Scientiarum sodalitia, ubi nonnisi politicum, seu lucrativum eius pretium in consilium adhibetur, ultimus ei locus sit assignatus. Est enim illa, certe esse debet, inter omnes omnino scientias iure proprio, praecipuum quoddam, si non unicum, instrumentum, et intellectualem et moralem hominis culturam promovendi, perficiendique. Id vero cum Philosophia praestat, aeque benefica existimanda est, intuitu et mentis et voluntatis nostrae, quemadmodum cum utrosque hos actuositatis humanae fontes originarios, qui saepe per divergentes flexus totam vitam permeant, in communes alveos derivat, ac coniungit. Verbo: Philosophia, primogenita haec Palladis filia, neque venalis quaedam ancilla, eoque minus pellex quaedam usuraria censenda, neque etiam pro sordida serva habenda est, quae superbae suae Dominae, aut facem tantum praeferat, aut eam presso pede, rituque mancipii ideo subsequatur, ut fluida stolae illius syrmata gestando, parasiticam venerationem, quam ab hac extor-

quet, inverecunda fronte, quoquoversum profundat. Certe castissima haec sapientiae Dea, nobilis illa et generosa virgo esse putanda est, quae ab iis solum amari se, et aestimari gestit, qui Veritati et Virtuti, aeterno foedere iunctis, sanctum et inviolabile nuncuparunt Sacramentum.

Universa Philosophia, velut Totum quoddam scientificum, in plures partes, ex quibus illud conflatum est, distribuitur. Particulares has inter Scientias primum locum occupat Archologia philosophica, seu Philosophia Fundamentalis. Est autem Archologia, Primitiva illa scientia, quae, quid cognitio philosophica sit, generatim anquirit, et quae primae conditiones, quae partes sint Philosophiae expedit, proinde basis ea est Philosophiae theoreticae, et practicae communis, ipsa nec mere theoretica, nec mere practica tantum, sed theoretica et practica simul. Huic opponitur philosophia reliqua derivativa, quae tota ab hac pendet, haec ab illa independens est, verumque Philosophiae Organon esse existimanda est.

Philosophia isthaec Fundamentalis, quam etiam Archologiam nuncupare placet, in duas partes dividitur, in Doctrinam videlicet Elementarem, et Methodologiam.

PHILOSOPHIA FUNDAMENTALIS.

PARS I. Doctrina Elementaris.

Introductio.

§. 1. Initium philosophandi.

Philosophari incipio. Id cum ago, in Statum Ignorantiae, (αγνωσια) quasi nihil adhuc sciam, me mihi principio statim transponendum video, eo quod, nunc primum scientiam quampiam, in me ipse progignere allaboro. Quare Philosophia haud quaquam a dubitatione, (σκεψις) verum ab Agnosia ordienda videtur; si quidem, ut addubitare quidpiam possis: scire te iam aliquid prius oportebat, saltim titulum scientiae praetendere. Sin autem nihil quidquam scire te fateare: erit quoque Rationi congruum, ut nulla adhuc in te locum habeat dubitatio.

§. 2. Status Agnosiae relativus.

Quamquam autem, in statum Ignorantiae me ipse transtulerim, nihilo tamen minus, cum functionem philosophandi auspicor, scientiam rerum quarumdam, iam in antecessum me ipsum habere animadverto; cum secus, ne in mentem quidem venire mihi potuisset, ut aliam quampiam scientiam compararem. Unde merito quaeri potest: Quid per hoc innuam, cum dico, transferre me in statum Ignorantiae, et Scientiam tamen in me velle progignere? nunc statim expediam.

§. 3. Vis Agnosiae.

Scilicet, in statu Ignorantiae, sponte mea locatus, omnem meam, quae in promtu est, scientiam suspendendam esse exsistimo, h. e. aliquamdiu eam, ut quidpiam sumendum esse, cuius certitudo indaganda prius, et probanda omnino est, ratus, ab incertitudine scientiae meae, ad indubitatum certitudinis eius gradum, mihi esse contendendum, idque non sine spe successus.

§. 4. Partes Doctrinae Elementaris.

Scientiam adhuc incertam, problematicam voco: contra eam, quae certa fuerit, apodicticam nuncupabo. Quare Doctrina quoque elementaris, in duas Sectiones dispescenda esse videtur, in Problematicam scilicet, et Apodicticam. Illa incertitudinem Scientiae meae mihi proponet: haec ad summam, ad quam modo homini adspirare licet, omnium mearum cognitionum certitudinem consequendam grassabitur.

SECTIO I. Doctrina Elementaris Problematica.

§. 5. Ego: Non—ego, seu Mundus.

Est aliquid, quod de me ipso, est etiam, quod de quopiam, extra me posito, scio, atque utrumque invicem discerno. Me ipse

hominem, et quidquid praeter me, externum esse animadverto, Mundum appello.

§. 6. Subiectum repraesentans, Obiectum repraesentatum.

Cum et me, et Mundum, invicem discrimino: profecto utrumque mihi repraesento: proinde me ipse pro Repraesentante, et quidquid extra me positum est, id pro Repraesentato habeo.

§. 7. Animus et Corpus.

Pari ratione duo sunt, quae in me ipso discernanda videntur, partim scilicet internum illud aliquid, quod Animum, seu Mentem voco, partim autem externum illud aliquod, quod Corpus meum nomino; per quod, quia immediate ad me pertinet, simul cum externo illo, quod non immediate ad me ipsum spectat, in coniunctionem devocor.

§. 8. Facultates et vires actuositatum Animi et Corporis.

Porro: certas quoque in me ipso actuositates distinguo, et alias quidem earum, ad το meum internum, alias vicissim, ad το meum externum referendas puto: ea propter, certas quoque mihi ipse facultates, Receptivitates, et Vires attribuo, hasque, ut fontes actuositatum illarum, considerandas exsistimo.

§. 9. Natura universa.

Haud absimiliter in Mundo ipso, quocum me circumscriptum esse animadverto, varias res distinguo, atque inter illas quidem, partim tales reperio, quas, intuitu organicae earumdem structurae, motuum vivorum, rationalisque actuositatis illarum, ut entia eiusdem mecum speciei considerare debeo; partim vero tales quoque detego, quae a me essentialiter differunt. Complexum omnium harum rerum, Naturam appello, et me ipse, in quantum ad res has pertineo, ut partem Naturae sumo.

§. 10. Exsistentia, Non—exsistentia. Spatium, Tempus.

Distinguo το esse, a τω non esse, et quemadmodum ipse mihi, ita rebus quoque extra me positis, Exsistentiam adscribo. Cum autem id, quod est, animadverto, idem illud, aut ut extensum simultaneum, aut ut extensum succesivum, considero. Quare, quidquid uspiam exstare sentio, partim ad Spatium, in quantum id, variis iuxta se positis constat, partim ad Tempus refero, in quantum hoc, variis post se invicem positis, continetur.

§. 11. *To* Substantiale. Accidentale. Caussa.

In variis Obiectis, quae in Spatio et Tempore sita percipio, το substantiale, et Perdurans, a mutabilibus, ac caducis distinguo, rationemque eius, quod est, et accidit, nunquam non in externo aliquo, quod pro Caussa eius reputo, quaerendum puto.

§. 12. Possibile, Actuale, Necessarium.

Id quod est, atque accidit, ut actuale, ab eo, quod esse et

accidere posset, quamobrem etiam possibile dicitur, distinguo, et quaedam actualia, pro contingentibus, quaedam contra, pro necessariis habeo.

§. 13. Activa, et passiva nostri determinatio.

Distinguo id, quod patior, ab eo, quod facio, — id quod agere debeo (müſſen) ab eo, quod me facere oportet (ſollen) — id, ad quod a Natura propensus sum, ac impellor, ab eo, ad quod per Conscientiam obligor, meque ipse determino, — id quod alicubi, et aliquando feci, ab eo, quod facere potuissem, si modo voluissem.

§. 14. Obligatio. Libertas. Coactio.

Quare, iam Obligationes, et Officia mihi ipse adscribo, simulque Arbitrium et Libertatem tribuo, ab hacque, Coactionem et Necessitatem Naturae discerno.

§. 15. Ordo. Leges actionum, et eventuum.

Eam ob caussam, duplicem Ordinem et Regularitatem distinguo. Unam earum ad id refero, quod in Natura est, acciditque, et quod a Legibus pendet, secundum quas esse id, et fieri debet: alteram autem refero ad id, quod ego ipse, aliique homines facimus, aut omittimus, et quod a Legibus pendet, secundum quas facere nos omnes, aut etiam actiones quasdam omittere oportet.

§. 16. Sentire. Cogitare. Ratiocinari.

Distinguo deinde id, quod ego meis sensibus (intuendo, et sentiendo) percipio, ab eo, quod solum cogito: saepe tamen argumentor quoque ab eo, quod percipio, ad aliud aliquid, quod non quidem percipio, eo tamen non obstante, id sumo, cum id necessario, ad Perceptum pertinere videatur.

§. 17. Sensibile. Intelligibile.

Quid? quod generatim, id quoque quod perceptibile est, distinguo ab eo, quod quamquam in sensus neutiquam cadere potest, et tamen, ut quidpiam altius, et supra sensus longe sublimius, ultraque carceres finitatis et caducitatis positum, (intelligibile) velut in prospectu locatum, e longinquo mihi iam praesentire videor.

§. 18. Verum falsum, iucundum, utile, honestum, iustum.

Denique, varia etiam instituo discrimina, intuitu eius, quod ut verum et falsum, — iucundum aut iniucundum, — utile aut damnosum, — pulchrum aut deforme, — honestum aut inhonestum, — iustum aut iniustum, — bonum aut malum, — perfectum aut imperfectum etc. esse iudico, et cum in uno horum naturalem invenio complacentiam, in alio contra, naturali adfligor displicentia.

§. 19. Soliloquium Philosophaturi.

Quae cum ita sint, problematica hac Scientiae suae conditione considerata, et pensitata, Philosophaturus, has sibi iam proponit quaestiones: Quid est, cui omnia haec, et singula discrimina innituntur? Itane omne id est, an secus, quemadmodum mihi ipse

repraesento? Sumne ego ipse, et estne revera aliquid externi extra me, an tantum omnia in inani repraesentatione, phantasia, vanaque specie versantur? Quem ad finem sum autem ego, si modo sum, et quem ad finem sunt cuncta, si modo sunt, quae circum me percipio? Omnisne mea existentia, scientia, actioque, certo quodam consilio prorsus destituta est, an determinatum quempiam finem habet, quem me mihi ponere oportet, et quisnam finis ille fuerit? — Quare profunde, quantum fieri potest, in me ipse descendam, exploraturus quidnam? quantumque mihi liceat, omni virium contentione, in iis, quae me spectant, perscrutari ac detegere, qui tanto, tamque irresistibili ardeo desiderio, parique indigentia stimulor, veritatis ac certitudinis consequendae, cui ne conando quidem renunciare possum. Quodsi contingat, contigit enim multis, magnisque viris, ut dum ad liquidam veritatem, persuasionemque firmam contendo, in errores delabar, novisque dubiis intricer: quid est tamen, cuius amittendi periculo, vel in lubrica hac statione, crucier? cum id ipsum, in lucro ponendum iam videatur, si sciam ac pervideam, quousque mihi mea scientia progredi liceat, ubique sint carceres, qui ulteriorem meum prospectum intercipiant, et sufflaminent. A cursu certe retentus, ac retractus, facile animum tranquillabo. Nam etiamsi contra spem meam, speculatio mea, non optato terminaretur exitu: nihil est, cur animum despondeam, spemque philosophandi penitus abiiciam, cum interna Conscientiae meae vox, quid tuto mihi, missa speculationum subtilitate nimia, facere liceat, in promtu expediat, cuius iussu imperviis rerum indaginibus pervestigandis supersedebo, secure iis cariturus. Aut si pono, vi Speculationum me victum in orbitam veterem rediturum, quid tum fiet? Errando discam. Certe sincerum veritatis scrutatorem, lapsus speculationis, minime aut flagitiosum efficiunt, aut designant, si quidem falsa Speculatio, non ideo statim mala esse putanda est, nisi forte insanias, quod ea rem acu non tetigerit, nec omnium puncta tulerit.

SECTIO II. Doctrina Elementaris Apodictica.

§. 20. Transitio.

Quoad Problemata illa gravissimi momenti, quae Philosophaturum proposuisse sibi vidimus, ut ad certitudinem eorum desideratam venire liceat, quae scienda in illis annunciata sunt, in primis illa, ad paucas Quaestiones cardinales reducenda sunt, cum ab harum decisione, reliquarum quoque omnium decisio pendeat.

§. 21. Quatuor Quaestiones cardinales.

Eae Quaestiones sunt sequentes: Quid demum id est, unde mihi, in meis indagationibus philosophicis exeundum, quidve fuerit, cui cognitio, ad quam adspiro, velut sustentaculo firmiter queat inniti? — Quousque mihi, in meis investigationibus progredi licet, et annon iis, certus quidam finis poni debeat? — Quam multiplex est mea actuositas, aut quotuplici demum ratione mihi actuo-

so esse liceat? — Quid est, quo universam meam actuositatem referre oporteat, aut, quid illud est, quo ea palmario dirigenda videatur?

§. 22. Argumenta Capitum Apodicticae.

Quam obrem, in primo Apodictices Capite, quaenam suprema sint omnis philosophicae cognitionis Principia docendum est — in secundo absoluti philosophandi limites erunt describendi — in tertio originariae, universae Mentis nostrae actuositatis Formae, videntur delineandae, et exhibendae — denique in quarto Capite, quis summus, ultimusque omnium nostrarum actuositatum finis sit, indagandum et exquirendum restabit.

CAPUT I. De supremis Cognitionis philosophicae Principiis.

§. 23. Suprema philosophandi Principia quid sunt?

Nomine supremorum Cognitionis philosophicae Principiorum, eiusmodi rationes et decreta intelligimus, quae immediate, et per se certa sunt, proinde in summis et ultimis eorum omnium conditionibus insunt, quae respectu philosophico adfirmantur, aut pro vero habentur.

§. 24. Principia absoluta et relativa.

Quamdiu id genus Principia suprema exhiberi nequeunt, tamdiu, quantumvis ab una cognitione ad aliam, hinc ad tertiam, quartamque mox provocarem: nunquam tamen in serie cognitionum, Primum illud haberem, cui cum plena securitate possem insistere, et inde ulterius progredi: si quidem ad certitudinem cognitionis absoluto opus est Principio, non relativo.

§. 25. Investigationis Principiorum Problema.

Danturne huius generis Principia absoluta, an nulla? h. e. re vera nostra cognitio, unine, an pluribus ultimis Principiis, ita superstructa est, ut nullus ulterior regressus locum amplius habere queat, nec eo etiam ad soliditatem earum opus sit? Quid si Natura cognitionis humanae, essentialisque Subiecti cognoscentis constitutio, regressum quemdam in infinitum postulat? Quid si progressus cognitionis nostrae, in eo ipso consistit, ut indesinenter regredi, continuoque ad altiores conditiones ascendere, aut contra ad profundiores rationes descendere nos oporteat? quin aut in summum, aut in infimum Principium unquam offenderimus!

§. 26. Dari Principia suprema demonstrari non potest.

Id hoc loco in primis clarum est, ei, qui, esse suprema quaedam cognitionis philosophicae Principia pernegaret, nulla ratione posset demonstrari, illa re ipsa exstare, cum ad omnem demonstrationem rite construendam, inventis iam Principiis opus est, quo in casu, cum id genus Principium, monstrandum duntaxat neganti esset, demonstratio foret superflua.

§. 27. Nulla dari Principia suprema probari nequit.

Sed ex altera parte, id quoque perspicuum est, Oppositum quoque ob eam ipsam caussam, a nemine unquam posse probari. Is enim, qui onus demonstrationis in se reciperet, ad Principia me relegaret, proinde id, quod verbis adstrueret, facto ipso refutaret. Ex eo autem, quod nec is, nec ego, ullum tale Principium detegere, producereque valeremus, minime liceret sine praecipitantiae, arrogantiaeque vitio, inferre, nullum quoque omnino esse uspiam Principium.

§. 28. Quid in hac ambiguitate faciendum?

Ancipiti hoc periculo clauso, quid nunc faciendum est? Quaestionem, de absolutis philosophandi Principiis motam, velut indecisam simpliciter mihi negligere fasne est? Profecto ego id, ne velle quidem possum, si modo ad solidam cognitionem adspirem, quae sola potest Rationi meae ex asse satisfacere. Indigentiam scilicet, quamdam in me ipse animadverto. eamque nunquam non sollicitam, quae me sine intermissione ad Principia absoluta quaerenda impellit, quaeve, ut quaerere possim, sumendum est saltem, talia re quoque vera esse. Id autem cum demonstrare haud valeam, simpliciter Principia postulo, h. e. pono illa esse, qui illorum inveniendorum periculum facere volo. Quae si mox feliciter detexero, monstranda tantum illa postmodum erunt, ut facto constet, cognitionem nostram philosophicam, re ipsa securis et inconcussis Principiis inniti.

§. 29. An non Postulatum hoc Rationis Hypothesim sapit?

Neque quisquam exsistimet, Enunciatum isthoc: Esse Principia cognitionis philosophicae, cum Postulatum Rationis appellamus, idcirco ad Hypothesium Classem referri. Non enim hoc pro arbitrio, sed necessitate determinati sumimus, eo quod nemo philosophari velle potest, quin id pro possibili sumat, fore, ut functione philosophandi, ad absolutum cognitionis Principium offendat. Scepticus ipse, cum philosophari incipit, priusque, quam philosophando Resultatum isthoc se putet invenisse: Nihil esse in omni cognitione philosophica absolute certi, Postulatum illud, pro tali fateatur, necesse est. Ubi autem Principia iam inventa sunt, et Scepticus illa impugnat: nae ille, contra factum pugnat, non contra Postulatum. Haec est ratio, cur nullus unquam Scepticorum, impossibilitatem certitudinis absolutae, in cognitione probare potuerit, aut possit: si enim id perficere posset, absolutam haberet certitudinem, qua niteretur, h. e. ipse sibi adversaretur.

§. 30. Suprema Principia ubi quaerenda?

Sumto itaque, esse suprema quaedam cognitionis philosophicae Principia: ea procul dubio in me ipso quaerenda sunt. Nam cum illa, Principia cognitionis esse debeant, cognitionem autem

quamque, etiamsi illa ad obiecta externa referatur, velut in me peractam considerare debeo: intelligitur Principia, nonnisi in Subiecto philosophante quaerenda, et invenienda esse.

§. 31. Principia philosophica Reflexione ad interna deteguntur.

Quare, missis inpraesentiarum obiectis externis, ab iis quidem abstrahendum, et ad *ro* internum duntaxat reflectendum puto, ut me ipse ante omnia cognoscam, spe ductus non vana, hac sola via brevissima, me ad optatum finem esse perventurum; neque metuendum ratus, fore, ut in tanta obiectorum varietate, ipsemet dispeream. Imo vero memet ipsum, ut efficiendae cognitionis obiectum principale, mihi ipse designabo, et proponam, ut si alia quoque praeter me Obiecta cognitionis data fuerint, mea solum intererit rationes de iis mecum conficere.

§. 32. Quid hic praecipue determinandum?

Principia cognitionis philosophicae universe inventuro, id principio constituendum videtur, quodnam illud Principium sit, quo universa demum cognitio philosophica possibilis efficiatur, h. e. ipsa cognitionis philosophicae conditio fundamentalis, hoc loco erit exhibenda.

§. 33. Conceptus Principii realis.

Atque hoc illud ipsum Principium est, quod Principium Reale (Principium essendi) cognitionis philosophicae appellabo, ut hoc a Principiis illis distinguatur, quae deductionem determinatae cuiusdam cognitionis philosophicae, ex alia reddunt possibilem, h. e. quae conditiones sunt, valoris cognitionum philosophicarum, inter se, et secum invicem coniungendarum.

§. 34. Conceptus Principii idealis.

Principia isthaec, Principia Idealia (Principia cognoscendi) vocabo, eo quod ipsae Repraesentationes et cogitationes sunt, quae in verba comprehendi, utque Enunciata proponi possunt, quo sic ad fundanda alia etiam Enunciata, usui esse queant.

§. 35. Differentia Principii realis, atque idealis.

Quae, inter idealia Principia, ipsumque Principium reale, intercedit differentia, in eo posita est, quod Principia idealia sensu proprio decreta sint: contra Principium reale neutiquam in Enunciato versatur, (licet in illud verti queat) verum in ratione cognitionis, et proinde decretorum mest, quae ad cognitionem pertinent. Consequenter ipsa Principia idealia, ut Producta Principii realis consideranda sunt, et ab hoc, velut Producente essentialiter diversa. Unde id quoque elucet, unum idemque Principium, et reale, et ideale esse simul non posse, adeoque in Philosophia, saltim hoc respectu, de pluribus Principiis quaestionem esse informandam.

§. 36. Quodnam est reale philosophandi Principium?

Reale cognitionis philosophicae Principium, sum Ego ipse, qui philosophor, quippe Subiectum philosophans. Ego itaque me ipse in hoc Principium per hoc constituo, quod philosophor, ut id amplius evincere opus non sit. Et cum in philosophando, ab obiectis externis abstraho, adque interna in me ipso reflecto, ut me ipse cognoscam, iure pronunciari potest: *To* Ego, in quantum id se ipsum, in Obiectum cognitionis constituit, esse reale cognitionis philosophicae Principium.

Obs. Doctrina Scientiae (Wiſſenſchaftslehre) Fichteana, ut notum est, asserebat, esse *το* Ego in se, et per se Subiecto-Obiectum, — esse *το* Absolutum, — esse denique unicum philosophicae et omnis reliquae cognitionis humanae Principium. Quae tria Systematis Fichteani Enunciata, adeo characteristica et fundamentalia in eo esse putanda sunt, ut qui ea admitteret, omnia etiam alia quaeque eius dogmata, si modo cum consequentia cogitat, admittere deberet. Sed hoc loco satis sit, brevitatis caussa commemorasse, Doctrinam Scientiae Fichteanam tria illa dogmata, vitio Fallaciae obtinuisse. Nam Enunciata illa, certo quidem respectu vera sunt, i. e. secundum quid, cum scil. *το* Ego, uti Subiectum philosophans cogitatur: sed simpliciter sumta, falsa sunt. Totum itaque Systema Fichteanum, Sophismati Amphiboliae innititur, a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter concludendo.

§. 37. Transitio ad Principia idealia.

A Principio reali, ad Principia idealia transeundum est. Nam Principia isthaec a Principio reali essentialiter differre, ex iis, quae proxime dicta sunt, sine negotio perspicitur.

§. 38. Requisita Philosophiae.

Ad naturam Principiorum idealium describendam, novo discrimine opus est. Nam cum ex functione philosophandi, cognitio philosophica existat, necesse est; hinc autem Scientiam oriri oportet: quam Philosophiam nuncupamus: facile intelligitur duo esse, quae ad hunc finem requirantur, partim scilicet actum sciendi de eo, quod cognoscendum est, partim modum sciendi, vi cuius integrum systema effingatur.

§. 39. Principiorum idealium duplicitas.

Principia philosophandi idealia duplicis sunt generis, puta, materialia et formalia. Principia cognitionis philosophicae materialia sunt, ex quibus actus sciendi in genere existit, velut ex decretis, quae materiam cognitionis illius determinant. — Principia vero formalia sunt, ex quibus ipsum Scientiae Systema progignitur, velut ex decretis, quae cognitionibus philosophicis formam scientificam impertiunt. — Quare differentia Principiorum materialium, et formalium, paucis, ita quoque potest institui: illa cognitionem philosophicam constituunt, haec ordinant; illa sunt Principia philosophandi, haec Philosophiae.

§. 40. Materialium Principiorum qualitas, et locus originis.

Materialia philosophandi Principia, sensu proprio, prima decreta esse debent, h. e. talia, quae quidpiam enuncient, quod immediate certum sit, proinde, quod neque demonstrationis capax est, neque etiam eius indiget, consequenter, ita comparatum esse debet, quod a me in dubium trahi, aut negari, quin ipse mihi repugnem, studioque memet defraudare coner, nequeat. Atqui nihil est, quoad me, tam immediate certum, quam id, cuius quovis momento mihi ipse conscius sum. Ergo nonnisi in propria mea Conscientia, Principia Cognitionis materialia, vestiganda esse sponte liquet.

§. 41. Data Conscientiae materialia.

Qui ad Conscientiam, dum ea actuositatem suam exercet, sedulo attendit, eiusque functiones acribus oculis tenet, et observat: fieri nequit, quin in promtu sentiat, Synthesim του esse, et του scire, in ea perpetuo coniunctas deprehendi, sine quibus, το Subiectivum, et το Obiectivum, locum in homine habere non possent. Scilicet cum dico: Ego sum mei conscius, esse aliquid, quidquid demum id fuerit: profecto nihil aliud per hoc innuo, quam existentiam et scientiam huius existentiae, intima coniunctione, relationeque mutua copulatas, velut duplicitatem originariae Subiectivitatis, et Obiectivitatis in lucem devenisse, — quemadmodum iam Graecus Philosophus olim sic pronunciavit: συνθεσις του ειναι, και του ειδεναι, εν εμαυτω.

§. 42. Data Conscientiae, Reflexione elaboranda.

Quod in Conscientia, et per eam, ita annunciatur, tamquam quod immediate percipere, recognoscereque liceat: id ego rem in facto Conscientiae positam appello. Et quia materialia cognitionis philosophicae Principia, in Conscientia, velut communi eorum fonte, perquirenda videntur: mihi in primis inter philosophandum, ad res illas in facto positas reflectendum est, ut eas, quam purissime licet, apprehendam, exhibeamque. Quod ipsum, tanquam primam Subiecti philosophantis functionem, primam Reflexionem appellabo.

§. 43. Prima Philosophantis Reflexio.

Sed prima haec Subiecti philosophantis Reflexio, in eo consistit, ut a particulari, quod in quaque re facti inest, abstrahas, et unice ad id reflectas, quod in iis commune esse animadverteris, quo hoc, in verba comprehensum, velut universale quoddam Enunciatum proponi, aliisque Enunciatis, vice fundamenti inservire, et pro decreto possit usurpari. Res facti Conscientiae singillatim sumtae sunt, v. c. si dico: imaginem Caesaris Josephi intueor ac contemplor, podagrae dolores sentio, conceptum Immortalitatis cogito, consilium de messe auspicanda agito, domum exstruo, etc.

§. 44. Quodnam est materiale philosophandi Principium.

Et quia Enunciata isthaec, nonnisi Materiam philosophature offerunt, continuata meditatione mox elaborandam, ea duntaxat materiam cognitionis philosophicae determinare censenda sunt, h. e. materialia sunt Principia. Denique quia eadem Enunciata prima Reflexione sunt inventa, Principia primi ordinis, et quia Principiis formalibus inveniendis inserviunt, Principia originaria appellari merentur. Hinc iure aio: Res facti Conscientiae, in quantum in Conceptum comprehenduntur, verbisque exhibentur, sunt Principia cognitionis philosophicae materiali - idealia.

Obs. Difficultas, consensum mutuum inter Philosophos, de rebus facti Conscientiae, obtinendi, Theoriam quamque philosophicam peraeque premit, — quantumvis Philosophi omnes, tacite eas saltim, sumserint, et nonnisi de consequentiis earumdem inter se decertarint. Certe Cartesius cum dixit: Cogito, ergo sum, verbo suo cogito, nihil aliud innuere voluit, quam indubitatum Conscientiae factum, velut Principium materiale Philosophiae a se conditae, fundamenti loco suppositum. Ita Kantium et Fichteum, sua Principia materialia habuisse, dubitari nequit. Quod si tamen Scepticus, irrefragabile hoc Conscientiae testimonium repudiaret: nae is, tanquam eui non est sanum sinciput, sibi soli esset relinquendus. Nam contra, Principia negantem, ut Canon habet, disputari non potest.

§. 45. Materialia philosophandi Principia sunt plura.

Cum res facti Conscientiae, summopere variae sunt, et quaeque earum per se certae: intelligitur, plura quoque esse Principia philosophandi materialia, quae omnia, et singula, eiusdem valoris esse putanda sunt. Haec itaque ex altiori quodam Principio, neque deduci possunt, neque etiam ulla opus habent deductione: unde supremum quoddam cognitionis philosophicae Principium materiale, eo sensu, quasi per hoc, universa Philosophiae materia determinaretur, est absurdum. Nam functio philosophandi, non nuda quaedam analytica datarum cognitionum Expositio esse debet, sed synthetica sit Productio cognitionum, quae nondum exstant, necesse est. Quare constructio Philosophiae, continua quadam Reflexione, ad varias res facti Conscientiae directa opus habet, ut ea, argumentationi philosophicae, per totam hanc scientiam, pro fundamento queat substerni.

§. 46. Formula supremi Principii materialis.

Interim, materialia quaeque cognitionis philosophicae Principia, quae certas, easque simul universales res facti Conscientiae exprimunt, ad unum tamen Enunciatum reduci possunt, quod ipsum rem facti Conscientiae maxime universalem, h. e. eam exhibet, quae in quaque alia continetur, sed non quamlibet aliam in se, verum sub se tantum comprehendit. Scilicet, in universis Conscientiae rebus facti, una Actuositas est, quae generatim continetur. Quare Enunciatum isthoc: Ego sum actuosus, pro supremo cognitionum philosophicarum Principio materiali habendum est.

Obs. 1. Enunciatum isthoc: Ego sum actuosus, nonnisi in tantum supremum appellatur Principium, in quantum illi, omnia reliqua Enunciata subordinari possunt, si quidem Enunciata isthaec: Ego intueor, sentio, cogito, loquor, scribo, aedifico etc. proprie, nihil aliud significant, quam hoc: Me ipsum esse, qui, intuendo, sentiendo, cogitando etc. sum actuosus, h. e. qui *το* Subiectivum, et Obiectivum originarie, et synthetice in Conscientia mea coagmento. Quamobrem illud, tanquam Enunciatum universale, his quae nunc statim induximus, Enunciatis particularibus, inesse putandum est. Neque vero, sive illud, sive haec, ulla demonsratione opus habent, cum utraque, iam in Conscientia determinatae actuositatis intuentis, peraeque continentur. Nonnisi Abstractione a particularibus instituta, et Reflexione ad universale conversâ opus est, ut Enunciata illa, quae in hac Conscientia iam implicite continebantur, explicite queant cogitari.

Obs. 2. Quamquam autem variae, eae quidem nimium quantum diversae esse possunt, res facti Conscientiae, quae, velut Enunciata immediate certa, cognitioni philosophicae, pro fundamento subsunt: attamen, realis quaedam cohaerentia inter illa locum habeat, necesse est, quando quidem, et omnia illa, ac singula, ex uno, eodemque Principio reali pendent, et res facti unius eiusdemque Conscientiae fundamentalis exprimunt. Quare haud quaquam dici potest, sumtione plurium materialium Principiorum aequipollentium, Unitatem cognitionis philosophicae sublatum iri.

Obs. 3. Doctrina quoque Elementaris Rheinholdiana, ut omnibus notum est, fundamentum Philosophiae, in ipsa Conscientia requirebat, idque recte. Enim vero, errabat is in eo, quod universam Philosophiam, ad unum idemque Principium, quod reale et ideale, materiale et formale simul esset, reducere satageret, quod est absurdum; — deinde vero etiam in eo errasse putandus est, quod in Enunciato Conscientiae, non rem facti eiusdem, sed more Dogmaticorum, cogitationem mere logicam expressit. Idem prorsus consilium erat Fichteo et Schellingio, Viris clarissimis, in Philosophia condenda. Sed in Kantio, nulla expressa habetur declaratio, unde constaret, eum, a certo quodam Principio fecisse initium philosophandi, — forte, quia sagacissimus hic omnium, qui unquam fuerunt, Philosophorum, intime persuasus erat, nullum omnino dari, nisi vitio Dogmatismi fingi, Principium Philosophiae, ut hoc tamen in Mathematicis obtinet: quare nobis solam criticam relictam esse viam ad recte philosophandum, ut methodo tantum regressiva, sit consultum, ad originarias Mentis Repraesentationes contendere, ac pervenire.

§. 47. Transitio ad Principium philosophandi formale.

Materialia cognitionis philosophicae, quomodo sub ductu Principiorum materialium detegenda sint, nunc statim expositum est: restat, ut, qua demum arte eadem cognitio philosophica, via Principiorum formalium, idealium, scientificam, seu systematicam formam consequatur, dilucide explicemus.

§. 48. Altera philosophantis Reflexio in quo consistit.

Principia philosophandi formalia detecturo, denuo, ad Principia materialia reflectendum est, ut comparatione eorum instituta,

legalis eorumdem relatio mutua cognoscatur, et hac ratione in varietate cognitionum philosophicarum, certa quaedam unitas obtineatur, secundum quam, eae, postmodum queant coordinari, Id, secundam Reflexionem, seu functionem Subiecti philosophantis alteram, nominabimus; Enunciata vero illa, quae hinc emergunt, Principia secundi ordinis habenda erunt, et ea quidem derivativa, eo quod ex decretis primi ordinis, exsistunt.

§. 49. Actuositatum Mentis uniformitas.

Cum res facti Conscientiae meae, ex mea ipsius, quâ Subiecti repraesentantis actuositate, exsistunt, et inter eas, ut ut vehementer variae sunt, certa quaedam similitudo, affinitas et nexus obtinet: profecto in actuositatibus quoque mentis meae, similem uniformitatem et regularitatem locum habere necesse est, ut singulae meae actuositates, sub certis actuositatis generibus comprehendantur, quae vicissim a certis Legibus pendent, et iis, quae per originariam Naturae meae destinationem sunt constitutae.

§. 50. Quid sunt Principia formali-idealia.

Quod si nunc has Leges, seu supremas Regulas liceat invenire, quibus universae res facti Conscientiae meae invicem iunguntur ac cohaerescunt: tum vero Enunciata haec, illa ipsa Principia formalia forent, quibus quaerendis detegendisque operam do, eo quod varias cognitiones philosophicas, ad illa, velut commune earum centrum referre, systemaque cognitionis hac ratione effingere possem. Quare iure videtur pronunciandum: Leges actuositatis meae, in quantum eae, in Conceptus rediguntur, verbis exhibentur, esse formalia cognitionis philosophicae Principia idealia.

§. 51. Num ad Philosophiam constituendam Principio formali opus est?

Si certas actuositatis meae species perquiro, et cognitiones, quas per eas inveni, ope supremae actuositatum illarum Regulae inter se coniungo, in peculiares cognitionis philosophicae partes, h. e. in singulas scientias philosophicas offendo, quarum quaelibet, suo proprio gaudet Principio formali v. c. Logica, Metaphysica etc. Quae Scientiae vicissim, ut Totum quoddam Scientiae systema, quod Philosophiam appellamus, constituant, necesse est. Quare pro singulis illis scientiis rursus commune quoddam centrum: h. e. supremum universae cognitionis philosophicae Principium formale instituendum est, si modo cognitio isthaec, re vera formam systematicam obtinere debeat. Ergo Philosophia sine Principio formali impossibilis est.

§. 52. Finis Philosophiae, formali Principio annunciatur.

Cum itaque Philosophia, velut Scientia, functione philosophandi, quippe determinata quadam actuositatis meae ratione exsistit: intelligitur supremam actuositatis huius Regulam, supremum quoque simul Philosophiae Principium formale esse debere. Et

quia mea philosophandi functio, fine illo, quem mihi in illa propono, ducitur: profecto, suprema huius actuositatis Regula, per supremum eiusdem finem, qui simul et Philosophiae finis esse debet, determinetur, necesse est. Ergo supremum Philosophiae Principium formale, eiusmodi Enunciatio futura est, quae supremum philosophandi finem, determinata quadam formula describet.

§. 53. Supremus philosophandi finis qualis esse debet?

Quamquam functio philosophandi, a proprio sui cuiusque arbitratu pendeat, ut quem quisque sibi voluerit finem, deligere quoque pro lubitu possit: attamen, simulac ad Naturae humanae destinationem attendo, talis conatibus meis finis proponendus est, qui quoad me, in summo, gravissimoque sit momento, contentioneque illa, quam spes eum consequendi postularit, dignus esse videatur, quemque in aliis quoque entibus rationalibus, peraeque sumere queam, si modo fuerint, qui mecum philosophari voluerint, meaque ego ipse philosophemata cum illis communicare in animum inducerem.

§. 54. Formula supremi Principii formalis.

Hoc itaque est, quod ego volo, qua in re etiam finis meus positus est, ut universam meam actuositatem cognoscam, et quidem non in sola eius varietate, sed etiam in summa, quae modo possibilis est, unitate, h. e. scire velim, num et in quantum absoluta quaedam harmonia, universae meae actuositatis re ipsa locum habeat, an possibilis tantum ea sit? Nam, si actuositas mea, ipsa sibi repugnat, et eatenus ipsa semet sufflaminat: nae id peracerbe memet inquietaret. Quare, peculiari quodam invitamento, me ad id animatum sentio, ut harmoniam illam investigem, sumamque, hoc ipsum illud esse, in quo essentialis Subiecti cuiusque philosophantis Tendentia consistat, debeatque consistere. Ergo supremum omnis cognitionis philosophicae Principium formale, tali Formula finio: Absoluta τοῦ Ego harmonia, in omni sua actuositate est supremus philosophandi finis, — aut etiam hac: Absolutam in omni mea actuositate quaero harmoniam.

Obs. 1. Supremum Principium formale, non est datum, sed factum Principium, quod quisque sibi, qui philosophari vult, libere quidem ponit, neque tamen pro vaga libidine, sed communi humanitatis utilitate victus. Scilicet harmonia in cogitando et cognoscendo, quemadmodum in volendo et agendo, Consensus in suis Repraesentationibus, et conatibus, sunt id genus momenta, quae unumquemque ad se devinciunt, qui Verum et Bonum amat; quae tamen nomina, sine harmonia illa, inania esse putanda sunt. Quare functio philosophandi, non solum speculativâ, sed vel maxime practicâ continetur Tendentia. Atque haec est ratio, cur felix philosophandi eventus, tantum ab indole, quantum a dotibus philosophandi pendeat!

Obs. 2. Supremum Principium formale, non deductioni omnium

cognitionum philosophicarum, ex unico aliquo Enunciato, tanquam communi earum fonte aut radice fiendae inservit, sed reductioni earumdem ad finem communem, velut commune earum centrum, aut focum. — Ex alio vero comparationis momento, Relatio variorum Philosophiae Principiorum, ita quoque determinari potest: Est scil. supremum Principium formale clausura fornicis Philosophiae, quemadmodum supremum Principium materiale, basis eiusdem esse putanda est. Principium vero reale, ipsum esse Architectum oportet. Ut itaque non una eademque res Architectus, basis, et clausura esse potest: sic unum idemque Principium reale, ideali-materiale, idealique-formale esse nequit. Si quis tamen Enunciatum habere vellet, in quo tria haec Principia diversa, aeque comprehenderentur, hocque supremum Philosophiae Principium appellaret, id in hunc modum proponi posset: Ego sum actuosus, et absolutam in omni mea actuositate quaero harmoniam.

CAPUT II. De absolutis philosophandi Limitibus.

§. 55. Synthesis Conscientiae empirica, seu particularis.

In Conscientia, simulac illa, actuosa in nobis esse incipit, synthesim τοῦ esse, et τοῦ scire, seu, Obiectivitatem, et Subiectivitatem, quippe τὸ reale, et τὸ ideale in coniunctione indivulsa nobis contemplantibus simul offerri, iam supra (§. 41.) docuimus. Sed cum Synthesis isthaec, qua Sensus interni Obiectum, ad quidpiam omnimode determinatum referatur, ad id scilicet, quod exstat, et ad actum sciendi de eo, quod exstat, v. c. cum hoc aut illud arte factum contemplor, hunc dolorem sentio: nihil impedit, quominus mihi synthesim isthanc, particularem seu empiricam liceat appellare. Unde legitime inferendum videtur, in Conscientia quaque nostrum, cum actuosi sumus, omnimode determinatam hanc τοῦ esse et τοῦ scire synthesim, ut rem in facto positam irrefragabiliter reperiri.

§. 56. Synthesis Conscientiae empirica, transcendentalem supponit.

Determinatae hae, τοῦ Obiectivi et Subiectivi, Syntheses, quae sine intermissione ulla assidue mutantur, haud quaquam possibiles forent, nisi τὸ esse, et τὸ scire, iam in nobis originarie, seu, a priori coniunctae essent. Nimirum, determinata quaeque τοῦ esse, et τοῦ scire Synthesis, quae in aliquo temporis puncto, in nobis exsistit, me, in Reflexione ad me ipsum instituta, ad originariam quamdam τοῦ esse, et τοῦ scire synthesim, tanquam conditionem illius, sine qua non, — reiicit, et haec ipsa Synthesis, pro facto originario, seu, a priori reputari debet, h. e. pro tali, quod in nullo determinato temporis puncto potest quasi digito monstrari, sed quod, cuilibet determinato temporis articulo, in quo mihi rei cuiuspiam conscius sum, necessario antecedit. Quamobrem Synthesis isthaec transcendentalis quoque synthesis appellari

potest, ut a determinata illa Synthesi discernatur, quae empirica est, et ad contextum Experientiae pertinet.

§. 57. Synthesis Conscientiae transcendentalis est absolutus philosophandi limes.

Quandoquidem empirica τοῦ esse, et τοῦ scire Synthesis, prima illa Conscientiae oportunitas esse putanda est, vi cuius, illa in nobis incipit, et quasi ex somno in statum vigiliae emergit: haec autem transcendentalem τοῦ esse, et τοῦ scire Synthesim, ut originarium Conscientiae factum, inconditionate supponit, eo quod absque hac omnes reliquae, Conscientiae functiones, locum habere nequirent; factum vero originarium illud est, quod a nullo antecedente deduci, ex eoque explicari potest, cum ipsum illud, in originaria omnium reliquorum Conscientiae factorum conditione inest: intelligitur Synthesim transcendentalem, esse absolutum philosophandi terminum, ut, quaelibet Philosophia, quae terminum hunc migrat, h, e. quae possibilitatem Syntheseos illius explicare, et comprehendere satagit, in immensam Speculationum abyssum, inaniaque somnia semet implicet, — in iis, quae sumit pro arbitratu agat, — in assertionibus arrogans, verbo, transcendens fiat, necesse est, cum ipsum adeo transcendentale, seu originarium escendat et transvolet.

§. 58. Synthesis Conscientiae originaria, an comprehendi potest?

Proinde, originaria Conscientiae Synthesis, in τῷ esse, et τῷ scire complexa simpliciter incomprehensibilis esse censenda est, h. e. nulla prorsus ratione explicari unquam potest, quomodo, et per quid sensus exsistentiae et sciendi in nobis coniungantur, si quidem Conscientia, id solum nos docet, utrumque, ubi rei alicuius conscii nobis sumus, coniunctim in Conscientia apparere, atque ob id ipsum, utramque, τοῦ esse, et τοῦ scire Repraesentationem, originarie, seu, ante quemlibet Conscientiae empirice determinatae actum, iam consociatas fuisse oportere, cum secus, nulla Conscientia empirice determinabilis posset in nobis habere locum. Consequenter ipsa quoque haec Incomprehensibilitatis Syntheseos originariae Recognitio, et quae inde exsistit ultronea Speculationis, termino illo facta circumscriptio, in conditione sunt absolute necessaria, felicis in philosophando successus.

Obs. 1. Omnis Philosophia postremo, aliquid offendat necesse est, quod inexplicabile et incomprehensibile fuerit, eo quod, Explicatio, et Comprehensio, tam minime in infinitum progredi queunt, quemadmodum Demonstratio quaeque. Hinc fieri nequit, quin subiectum quodque philosophans, ad locum, inter philosophandum venire debeat, ubi ulterior explicatio, et comprehensibilitas cessant. Adeo hoc quidem verum est, ut Doctrina scientifica illustris Fichtei, quae alioquin quidlibet explicare et comprehendere sategit, Inexplicabilitatem, et Incomprehensibilitatem, in suo Systemate sumserit. Locus autem, ubi hanc Incomprehensibilitatem attingimus, est originaria exsistendi et sciendi Synthesis, qua quippe functione Conscientia semet, in organum omnis Explicabilitatis

et Comprehensibilitatis constituit. Proinde, το derivativum esse et scire, ex originario illo explicari potest: sed το originarium esse et scire, omnem Explicabilitatem respuit.

Obs. 2. Philosophia Fichtei, qui in regiones ultra omnem Conscientiae Prospectum positas evagatus, primam eius potentiam, το esse explicare ac demonstrare, ipsamque Conscientiam inde deducere allaboravit, nec ei ipsi, nec orbi philosophico, e voto successit, eo quod, cum naturales et necessarios philosophandi limites migraverit, nonnisi voraginosas Speculationes confinxisse existimatus sit. Nam cum Mechanismum Conscientiae demonstrare contendit, et fere ad eundem modum, quo horologium demonstratur, sensu proprio Possibilitatem Syntheseos originariae, τουesse, et του scire perspicere enixus est. Sed hoc, ut hactenus male cessit, ita in posterum quoque nunquam prospere successurum est, cum Synthesis illa, velut factum originarium, inexplicabile, et incomprehensibile esse iudicandum est.

Obs. 3. Ex eo autem, quod originaria, seu synthetica exsistendi, et sciendi repraesentatio, absolutum philosophando limitem ponat et statuat: quoad Philosophantem id Officii emergit, ut is, ex actuositatibus immediate in se perceptis, ope Reflexionis, universales et necessarias actuositatis suae Leges universe cognoscat. Is ergo, ex rebus in facto Conscientiae positis, quidpiam elicit, cuius ante Reflexionem conscius non erat. Neque tamen Philosophans per hoc Conscientiam ipsam explicare et comprehendere putandus est. Nam possibilitatem Syntheseos originariae, per cognitionem Legum actuositatis suae nemo perspicit, cum his Legibus, Forma duntaxat actuositatis nostrae determinatur, Synthesis autem illa in originaria omnis actuositatis conditione inest, cuius modo conscii sumus, estque factum inexplicabile. Atque haec ratio est, cur Conscientiae nonnisi nominalis Definitio possit dari; nam realis, seu genetica eius Definitio, quae, quomodo Conscientia exsistat, monstraret, impossibilis esse censenda est.

§. 59. Duplex de Realitate exsistentiae Problema.

Si ad sensum exsistendi, et sciendi, quorum originariam Synthesim, pro absoluto philosophandi limite idcirco declaravi, ne in transcendentes speculationes illaqueatus, extra oleas oberrem, amplius adhuc reflecto: non possum dubitare, exsistentiam a me, non minus ad me, quam ad res extra me positas referri. Pono ergo, et Me (το Ego), et res extra me sitas (το Non-ego) exstare, eo quod, utrisque certam realitatem adscribo. Sed quo iure?

§. 60. Solutio Problematis duplex.

Cum το esse, seu id quod est, Reale; et το scire, seu Repraesentationem eius quod est, Ideale nominare fas est: quaestio proxime posita, sic quoque exprimi potest: Quomodo se habent, το Reale, et το Ideale, ad se invicem? — Ad quam quaestionem duo in primis responderi possunt, scilicet: Aut unum, in, et per alterum positum est, proinde unum ab altero functione philosophandi potest deduci: aut vero ambo originarie posita sunt, et invicem coniuncta, proinde id genus Deductio impossibilis est.

§. 61. Prior Problematis solutio duos casus admittit.

Interim, si priorem Problematis solutionem sumimus: vicissim duo casus emergunt possibiles. Scilicet:

1. Possum το Reale, velut originarium quidpiam, seu το Prius ponere, et το Ideale, tanquam το Posterius, ex eo deducere velle. Systema Philosophiae, quod hinc exsisteret, Realismus appellari deberet. Sed
2. Possum quoque το Ideale, velut originarium quidpiam, seu το Prius ponere, et το Reale, tanquam το Posterius, ex eo deducere conari. Systema Philosophiae, quod hinc exsisteret Idealismus appellari deberet. — Enimvero, restat quaerere: Utrum horum Systematum pro vero adoptandum videatur?

§. 62. Prospectus Realismi, et Idealismi prognosticus.

Id quidem in antecessum facile elucet, utrumque hoc, et Realismi et Idealismi Systema, pro mero agere arbitratu, si aut το Reale, aut το Ideale, in Principium Deductionis constituatur. Nam, si in se, et per se, utrumlibet consideretur: unum non minus potest, quam alterum, et pari quidem iure, hanc adfectare dignitatem. Nisi ergo in ipso Deductionis progressu, secundus aliquis eventus, praerogativam alterutri horum Systematum addixerit: profecto sententiam diiudicatricem solus arbitratus licentiosus, idque temere pronunciabit: a Reali ne, an ab Ideali, Deductio sit auspicanda?

§. 63. Realismus, sensu theoretico, non est verum Systema.

Quod si το Reale, velut originarium, seu Prius pono: tum vero Reale, sine Ideali pono; si quidem το Ideale, ex Reali demum, velut certa quaedam eius determinatio, aut species, erit deducendum. Sed Reale, sine Ideali nihil aliud est, quam quod Materiam, seu, massam corpoream vocant, in qua quippe nullam Repraesentationem, et Conscientiam invenio, sed solam quietem et motum deprehendo, quae duae res semet, ad necessarias Attractionis, ac Repulsionis leges accommodant. Quare Realismus, est Materialismus, neque quod promittit, praestat: cum ostendere nequeat, quomodo Ideale ex Reali exsistat, h. e. quomodo possit fieri, ut res materiales semet ipsae, aliasque res sui generis repraesentare, et per hoc Conscientiam de se, aliisque rebus similibus habere possint.

Obs. Realistam quemque, si modo consequenter, quod dicunt, secum ipse agit, Materialistam esse debere, sponte patet. Nam si το Reale, velut unice originarium quidpiam sumitur: tum Ideale quodque, hoc est, omnis Repraesentatio et Conscientia, in cogitationibus tolluntur, ut nihil nisi Materia postremo remaneat, res quippe Spatium complens, quiescens, seque movens. Quamquam vero non omnes Realistae, professi Materialistae fuerint: sed hoc, aut Inconsequentia eorum in cogitando factum est, aut quod sagaciter praeviderent, Realismo conse-

quenti, Moralitatem in periculum devocari. Hi quidem sponte, volentesque, propria principia deseruerunt: ast illi, sive quod Consequentes inter philosophandum esse voluerunt, sive quod Moralitatem parum curandam putarunt, Materialismum profiteri non dubitarunt. Ipsi autem Realistae, postquam Deductio Idealis, ex Reali, minime eis e voto succedere videretur, vicissim in duas scissi sunt Sectiones, eorum scilicet, qui Materiam, quâ talem, et eorum, qui Materiam duntaxat organisatam, in Principium *tou* Idealis constituerunt. Verum neutra pars hucdum, quidquam protulit, quo suam sententiam probasse videretur; neque etiam in futurum metuendum est, fore, ut Materialismum queant stabilire, quamdiu non docuerint, quid Caussae sit, quod cum complura inveniantur corpora organica, et inorganica: in iis tamen, nullum Repraesentationis, et Conscientiae vestigium, liceat deprehendere.

§. 64. Realismus sensu practico, non est verum Systema.

Sed Realismus, invitamento quoque meo practico, simpliciter adversatur. Probe enim mihi videndum est, memet ipsum, secundum hoc Systema, nihil aliud esse, quam rem materialem, proinde me unice, physicis Naturae legibus subesse, adeoque Ideae, esse me Ens substantiale, ac liberum, consequenter intuitu indolis meae, determinationumque propriarum, a Naturae necessitate independentem esse, renunciandum foret. Atqui, quamquam mihi hanc Ideam nondum probare liceat: attamen sensu humanitatis interno ductus, indubitate percipio, me mihi pro tali ente habendum, qui legibus quidem Naturae conditionate, legibus autem moralibus inconditionate subordinatus sum, secundumque hanc Ideam, mihimet inpraesentiarum agendum, in futurum sperandum esse: Systema autem Realismi, si illud reciperem, gravem omnino, et in cogitando, et in agendo in me cieret dissensionem, pugnamque mecum ad internecionem pugnandam. Ergo salva Idea dignitatis Naturae humanae, quam de me ipso habeo, quaeve in me principatum ultra omnem naturam physicam liberaliter contulit, Realismum approbare, adsciscereque in Normam agendi non possum.

Obs. 1. Non est diffitendum, fuisse Viros doctos, et graves, qui, omnes Realistas Moralitati fuisse perniciosos, ex benevolentia saltim pernegarent. Enimvero benevolentia isthaec, nihil ad rem facit. Nam obiectio ipsa, duntaxat Systema, seu Theoriam premit, non hominem, qui Moralitati addictus, aut eius Praxim, quae egregia esse potest, cum Theoria ipsa nullius momenti esse videatur. Sane fuerunt, suntque hodiedum Realistae, qui Moralitati et verbis, et factis sacramentum dicunt: sed quaestio in eo versatur, an hoc sacramentum ex eorumdem Systemate queat explicari, quod omnino negandum est; cum consequens Realista Materialista simul esse debeat, adeoque actiones hominis Mechanismo Naturae subiiciat, proinde Moralitatem, quae in solo Libertatis territorio provenit, simpliciter tollat, necesse est. Hoc autem loco id solum probandum erat, Realismum, propter practicam eius Tendentiam, recipi ac defendi nequire.

Obs. 2. Realismus, si legitima cum Consequentia constituitur, et proponitur, postremo, intuitu Religionis, in Pantheismum degenerat.

Nam si in Systemate realistico mentio Religionis fiat, quae, fructus unico Moralitatis esse potest: profecto Universitas rerum ipsa, pro Deitate, seu, Ente realissimo, infinito, et supremo habeatur necesse est, cum secundum hoc Systema, impossibile sit, Intelligentiam a Mundo independentem cogitare, a qua Mundus ipse, quoad exsistentiam suam dependeret. Quare Theismus Realistae consequentis, simpliciter Pantheismus esse debet, quod accidit Spinozae, qui inter omnes Philosophos originarios, quos quidem Historia Philosophiae exhibet, solus Realismum maxime consequenter professus est.

§. 65. Idealismus sensu theoretico verum Systema non est.

Quodsi το Ideale, velut originarium, seu Prius pono: tum vero το Ideale, sine Reali pono; nam το Reale, ex Ideali demum illo deducendum est, h. e. ostendendum, quomodo fiat, ut repraesentationes meae, ad determinata obiecta, ac si ea, res essent reales, extra me, referantur? Sed Ideale absque Reali re vera nihil est, cum, si, quidquid Reale est, cogitando tollo, neque Subiectum amplius, h. e. id quod repraesentat, et per hoc sibi conscium est; neque Obiectum ullum, quod repraesentatur, cuiusque conscio Repraesentanti esse liceat, supererit. Quamobrem, si et Subiectum et Obiectum sublata sunt: omnino Repraesentatio quoque, et Conscientia, necessario tolluntur, proinde nihil superest. Idealismus ergo nihil aliud est, quam Nihilismus, et quod promittit, non praestat, cum ostendere nequeat, quomodo το Reale ex Ideali progignatur, h. e. quomodo Repraesentationes determinatarum rerum realium, possibiles sint, si quidem originarie, nihil reale, neque obiective, neque etiam subiective tale exstet.

Obs. Idealismum, si modo consequenter, ut aiunt, exhibetur, in Nihilismum abire, ipse Fichte Idealistarum recentiorum princeps, ingenue fassus est. In Libro puta, quem de Destinatione hominis inscripsit, haec ille: „Nihil omnino, inquit, exstat uspiam durabile, neque „extra me, neque etiam in me ipso, verum assidua duntaxat vicissitudo „est, quae est. Ego ipse nihil uspiam scio de ulla exsistentia, imo ne „de propria quidem. Omnino nihil est quod exstet. Ipse adeo ego nihil „scio esse, et neque exsto etiam ipse etc." Qua posita sententia, perspici certe nequit, quomodo tamen Deductio του Realis, et τω Ideali potuerit extundi. Sed ad eam praestandam, duplicem agendi rationem Idealistae proposuerunt. Puta: Antiquiores ad Deitatem recurrerunt, vi cuius Repraesentationes in nobis producantur: recentiores autem, per το ipsum Ego, secundum necessarias Intuitionis sui leges, Repraesentationes producendas putarunt; — quarum opinionum illa, non minus αφιλοσοφος est, quam haec. Caeterum Idealismus prior Berkeleyanus, posterior Fichteanus appellari potest, cum, duumviri hi clarissimi, Berkeley et Fichte, Coryphaei Idealistarum recentiorum habendi sint. Idealismus Berkeleyanus a Principio suo mysticus, seu theologicus: contra Fichteanus ille anthropologicus, seu egoisticus possunt dici. Uterque est assertorius, et ille Cartesii problematicus duntaxat. Et Berkeleyanus et Fichteanus Idealismus peraeque sunt transcendentes, (non item transcendentales) quia absolutum philosophandi terminum migrant.

§. 66. Idealismus sensu practico verum Systema non est.

Sed Idealismus, invitamento quoque meo practico, adversatur. Probe enim video, nullum mihi Obiectum, secundum hoc Systema superesse, intuitu cuius actuosus esse possem, quoniam Mundus, velut Sphaera actionum mearum moralis, re vera extra me non exstat. Atqui mea mihi Conscientia, et semper, et gravissima cum auctoritate imperat, ut intuitu obiectorum, quae me circumdant, certa quadam ac determinata per Naturam meam ratione actuosus esse debeam; quae tamen Conscientiae imperata, proinde ipsam adeo Conscientiam quoque, pro phantasmatibus arbitrarie confictis habere deberem, si id, ad quod Conscientia sua Postulata dirigit, re ipsa non exstarent. Atqui ego, quamquam de Conscientia, eiusque Postulatis, in his Scientiae meae philosophicae initiis, nondum sufficienter, et scientifice sum informatus: attamen sensu meo interno impulsus, irresistibiliter percipio, mihi palmario secundum Conscientiae imperata agendum esse, et tanta quidem cum severitate, ut me ipsum contemnere memet oporteret, si secundum ea, vel in paucis agere nollem; si quidem hoc facto, vi Idealismi, internecina quaedam inter meam Speculationem, Praximque moralem intercederet dissensio. Ergo, salva mea conscientia, salvo eius dictamine sacro sancto, Idealismum approbare, et recipere nequeo.

Obs. 1. Auctor recentioris Idealismi Fichte, bene sensit, Speculationem eius idealisticam, cum Moralitate insociabilem esse. Quare contra hanc criminationem, quam certus metuere debebat, semet muniturus, duo quaesivit effugia, cum per hoc quidem, quod declararet Idealismum, in mera versari Speculatione, neque esse eundem, a quoquam, in vita reali postulandum, tum etiam per hoc, quod Idealismum, contraria fide repellendum persvaderet. Enimvero Philosophia illa, quae Theoriam et Praxim dissociat, in meris somniis versari putanda est: et quae, non credendum esse docet, quod clare perspicias, ridicula est, in quam egregie convenit, responsum rustici cuiusdam, Mathematico, rotationem telluris circa solem ei demonstrare anniso, in haec verba datum: Equidem probe perspicio, ita id fieri oportere, neque tamen id credere possum.

Obs. 2. Idealismus egoisticus, intuitu Religionis, Deitatem, vel ut Intelligentiam a τῷ Ego independentem, a quo Mundus pendeat, admittere nequit, cum doceat, nihil omnino exstare extra τὸ Ego, Mundumque ipsum esse Productum τοῦ Ego. Quare ipsum illud τὸ Ego, foret Deus, et Theismus Idealistae, si modo is consequens secum est, aliud esse nequit, quam Autotheismus. — Idealismus antiquior, quem mysticum dicimus, discedit quidem hoc in merito ab egoistico illo recentiorum, cum is Deitatem, a τῷ Ego independentem sumit, vultque Mundum per hanc, in τῷ Ego produci. Enimvero, cum Idealismus hic mysticus, Deum hac ratione praestigiarum Auctorem, in homine faciat, nec probare valeat, praestigias has non in mero phantasiae lusu inesse: intelligitur Idealismum mysticum, et practico humanitatis Invitamento, et Conceptui Deitatis morali peraeque, et vehementer adversari.

§. 67. Verum philosophandi Systema, in transcendentali Synthetismo inest.

Quodsi itaque, tam Realismus, quam Idealismus, Philosophaturo, intuitu speculativo prorsus non sufficiant, intuitu vero practico, cum Ideis, sensibusque moralibus insociabiles sint: relinquitur το Reale, et Ideale, seu Obiectivum et Subiectivum, velut originarie in Conscientia posita, et secum invicem indivulso nexu coniuncta, consideranda esse, Deductionemque unius ex altero, videlicet, sive του Idealis ex Reali, sive του Realis ex Ideali, pro impossibili reputandam. Atque ex hac, duorum, omnis philosophicae cognitionis elementorum consociatione demum exsistit, tertium Philosophiae Systema, idque verum, quod, quam convenientissime Synthetismus transcendentalis appellari meretur; si quidem, hoc illud Systema est, quod Synthesim transcendentalem του Realis, et Idealis adstruit, proinde in transcendentali Realismo, transcendentalique Idealismo, in originaria, et propter hoc ipsum, indissolubili unione coniunctis versatur.

Obs. 1. Si essentialem Systematum philosophicorum characterem respicimus, ea, intuitu materiali (quemadmodum etiam formali) tria duntaxat esse possunt, puta: Realismus, Idealismus, et Synthetismus. Nam omnia reliqua Philosophorum Systemata, quae unquam inventa sunt, aut etiam invenientur aliquando, nonnisi diversae, atque Individualitate Philosophantium effectae modificationes sunt, trium illorum Systematum, quemadmodum etiam respectu constitutionis eorum fundamentalis, ad eadem ipsa reduci possunt, prout consonantes quique toni musici, ex Triade harmonica exsistunt. Differentia vero, relatioque mutua trium horum Systematum, ita instituenda esse videtur, scil:

a) Realismus est Systema theticum, Idealismus antitheticum, Synthetismus autem syntheticum, nec aliter inter se differunt, quam Thesis, Antithesis, et Synthesis. Primum arbitrarie ponit το Reale, velut Principium Deductionis του Idealis; — secundum, το Reale deducit ex Ideali, — tertium vero utrumque hoc coniungit, et omnem Deductionem unius ex altero pro nulla declarat.

b) Realismus et Idealismus, peraeque sunt transcedentes, eo quod, absolutum philosophandi terminum migrant: contra Synthetismus, est immanens, simulque transcendentalis, si quidem, intra terminum illum semet continet, quo palaestra philosophandi circumscripta est, neque ultra Transcendentale, seu το originarium, quod Empiriae fundamentum est, nititur escendere. Proprie itaque, nullus Realismus, nullus Idealismus transcendentalis est, sed transcendens: contra Synthetismus, vero sensu, ratio philosophandi transcendentalis, esse putandus est.

c.) Quod si, cum in philosophando Principia arbitrarie sumuntur, et transcendentia petuntur, dogmatice philosophari dicimur: profecto Realismum et Idealismum Systemata dogmatica esse facile intelligitur. Hinc Dogmatismus et Idealismus, male invicem opponuntur, quod fecit Fichte. Contra, si critice philosophari idem est, ac Principia sua non mero arbitratu sumere, sed ea diligenti investigatione praemissa, solide

constituere, seque ab omni transcendenti adsertione continere: sequitur Synthetismum esse verum Philosophiae Systema criticum.

Obs. 2. Systema quodque Philosophiae, quod ab originaria Unitate exit, ac progreditur transcendens est, et dogmaticum, proinde Systema quoque Schellingianum, tale esse putandum est: nec enim Identitas isthaec, aliter potest cogitari, quam id genus Unitas absoluta, quae το Reale et Ideale, pro originarie identicis declararet. Sed cum Unitas haec absoluta, ab omni Realitate, et Idealitate, seu, quod idem est, ab omni Obiectivitate et Subiectivitate abstrahit, nihilque proinde relinquit, ad quod amplius reflectere possim: intelligitur Systema Schellingianum, ad nihilum redire. Vera itaque Philosophia, ab originaria Duplicitate videtur esse auspicanda.

Obs. 3. Ad Quaestionem: Utrum Critica Rationis purae Kantii, initia philosophandi ab originaria Duplicitate ceperit? adfirmando respondendum est, si quidem critica eius philosophandi ratio universa, momento concideret, nisi Duplicitas isthaec ei pro fundamento inserviret, ut ut eam Auctor eiusdem, explicite non proposuerit. Id unum, si, quae consecuta sunt serio perpendimus, magnopere dolendum est, systema criticum, ab ipsomet Kantio, in primis his emendatae, et conditae Philosophiae initiis, Idealismum, licet transcendentalem tantum, fuisse appellatum, cum per hoc ipsum fuerint plurimi Philosophorum ad speculationes transcendentes, novaque Systemata dogmatica sollicitati: quantumvis, magnus Criticismi Auctor, toto pectore, ad Transcendentismum et Dogmaticismum eradicandos, incubuerit.

§. 68. Tria Indemonstrabilia Synthetismi transcendentalis.

Quamobrem Synthetismus transcendentalis, iure optimo sumit, et agnoscit, cuique homini sani intellectus, naturalem illam, ac necessariam, de sua ipsius exsistentia, — de exsistentia aliarum rerum extra illam sumta, — deque commercio, quod inter illum, et res has intercedit, Convictionem triplicem, adeo propriam esse, ut asserat, Persuasionem hanc, minime per Demonstrationes, a Ratione philosophante petitas, esse constituendam, ac firmandam, eam tamen eo non obstante, ob simplicem Sumtionem, longe firmissime, indubitateque esse certam, cum sit originaria.

Obs. 1. Intellectus sanus, cuius scil. Iudicium, neque propensione improba, neque etiam falsa Speculatione depravatum est, de Veritate, de Certitudine trium horum Enunciatorum: Ego sum, — exstant res extra me positae, — cum iisque in commertio sum positus, — intime persvasus est. Quod si Ratio philosophans quaerat: Quia est, cui, persuasiones hae innituntur? respondendum est: Originariae Obiectivi et Subiectivi Conscientiae Synthesi, quam unusquisque immediate, et irrefragibiliter in se ipse percipit, et ita percipit, ut ea omnino demonstrari, nec possit, nec debeat. Nam demonstramus tunc, cum Scientiam quampiam particularem ab alia altiori deducimus: sed ubi originarie, et immediate quidpiam scio, ibi demonsratio nec possibilis, nec etiam necessaria esse putanda est. Quod siquis tamen de veritate, certitudineque trium illarum Enunciationum

fundamentalium addubitaret, aut eam negaret: eat is illam, nostra pace, demonstratum, cum, ut Canon habet, Neganti incumbit probatio. Sed quaeso, unde is eam depromet? Proculdubio ex ipsa Conscientia, quae synthesim illam, iam ante demonstrationem tentandam dudum, imo eo ipso momento iam sumsit, cum prima naturalis suae actuositatis pericula faceret. Quare universa, Rationis philosophantis functio, intuitu trium illarum Persuasionum cardinalium mentis humanae, unice in eo posita est, eas in sua illarum originalitate, pro veris, et in dubiis recognoscere, et demonstrationem quamlibet praetensam, pro et contra, aut adductam, aut adducendam simpliciter denudare. Consequenter

Obs. 2. Enunciatum isthoc: Ego sum, demonstrari nec potest, nec debet. Nam, si aut posset, aut deberet, id a me ipso, et propter me ipsum foret faciendum: si quidem demonstrationem exsistentiae meae, ab alio, et propter alium, postulare tantundem esset, ac exsistentiam peregrinam pro certa, meam ipsius contra, pro incerta habere, quod absurdum est. Sed nihil minus stolidum esset, demonstrationem exsistentiae meae, a me ipso, et propter me ipsum postulare: ad hoc enim postulandum, mea ipsius exsistentia in antecessum pro certa est sumenda; quid? quod, ne dubitare quidem de ea possum, quin eam sumam. Quare Cartesius, cum celebratum illud: Cogito, ergo sum statuit, non animadvertit in voce: Cogito existentiam suam iam implicite sumtam esse, eumque perinde dicere potuisse: Volo, ergo sum, — scribo, ergo sum etc. Hinc, cum immediate sciam, me esse, nulla quoque opus est demonstratione: nam cum hanc exhibere vellem, propria prius mihi Conscientia mea tollenda esset, quod in ridiculo versari, quis non videat? Pariter

Obs. 3. Exsistentia rerum extra me positarum demonstrari nec potest, nec debet. Nam cum eas immediate percipio, quemadmodum me ipse: sane demonstratio exsistentiae earumdem tam minime demonstrationis capax est, quam illa mei ipsius. Scilicet, quando quidem in qualibet demonstratione, nexum duntaxat Repraesentationis cuiusdam, cum alia exponimus, et cognitionem ex Cognitione elicimus: intelligitur ibi, ubi de existentia rerum, vi perceptionis nostrae immediate informamur, omnem demonstrationem impossibilem esse.

Obiecceris: A Repraesentationibus, quas de rebus habemus, ad exsistentiam earumdem realem argumentari, est saltus in Conclusione. R. Neg. et Antec. et Cons. Nam nos, solas nostras de obiectis externis Repraesentationes percipere, et tum demum ab earum exsistentia, ad existentiam rerum argumentari, simpliciter falsum est. Cum enim quidpiam, sive intuendo, sive sentiendo percipimus, rem ipsam intuemur, aut sentimus, non Repraesentationem rei meram. Proinde non a perceptis Repraesentationibus, ad res non perceptas argumentamur, sed ipsas re vera percipimus.

Obi. An non Obiecta quaeque externa, sola imaginatione conficta, somniataque esse putanda sunt, quemadmodum Sceptici et Idealistae problematici volunt? R. Nequaquam. Nam palam est, nullum nos omnino discrimen inter obiecta imaginaria, realiaque facturos fuisse, et facere posse, si modo de realitate externi cuiuspiam, originarie persuasi non essemus; idque quod re vera percipimus, pro realiter ex-

stante habituros, quin de demonstratione solliciti essemus. Haec est ratio, cur demonstrationes quaeque, quae pro existentia rerum externarum tentatae sunt, male successerint, quod idem Kantio quoque accidit, qui ex vicissitudine Repraesentationum nostrarum, ad Substantialitatem rerum conclusit, — enimvero per saltum! — nam mysticus Idealista, qui ad Deum recurrit, nondum hoc argumento potest convinci.

Obs. 4. Mutuum mei, et rerum externarum commercium, demonstrari nec potest, nec debet. Nam, tam mihi immediate conscius sum, memet in res externas, et has in me agere, quam illas re vera exstare, quid? quod absque reciproca hac actuositate, nec meae propriae, nec existentiae rerum possem esse conscius. Realitas quaeque, per efficientiam se annunciat, ipse ego nonnisi vi actuositatis ad Conscientiam mei pervenio, et sola mutua actuositate, est, quoad me determinata actuositas possibilis, si quidem actuositas, absque opposito nisu, in infinitum se, sine directione, dissiparet. Sed, quemadmodum Synthesis originaria inexplicabilis, et incomprehensibilis est, eo quod, deduci ex altiori Principio nequit, ipsaeque persuasiones fundamentales, quâ originariae, cum ipsa Synthesi datae, deductionem non admittunt: sic inexplicabile, et incomprehensibile quoque est: quomodo ego actuosus sum? quomodo res externae actuosae sunt? quomodo actuositas unius, cum actuositate alterius concurrere, renisum praestare, eum superare, et superari vicissim possit? — quod idem Idealistae recentissimi sumere coacti sunt.

Obs. 5. Cum de exsistentia Obiectorum externorum immediate sumus persuasi: diligenter tenendum est, persuasionem hanc, proprie, duntaxat ad Obiecta determinata referri. Quare, si quis quaerat: Cur tu tibi homines alios extra te, resque organicas et inorganicas repraesentas, respondendum est: Ideo hoc fieri, quia haec omnia immediate percipio. Hinc Mundus sensibilis, seu complexus omnium perceptibilium, secundum Principia Synthetismi transcendentalis, est Obiectum datum, in quod homo actuosus est. Contra Idealismus, cum perceptibilia quaeque, ex Conscientia, a priori deducere allaborat, nihil omnino agere putandus est, eo quod Deductio isthaec, ad primum Obiectum individuale, quale est v. c. huius hominis, huius arboris, canis Lysiscae etc. irrita fit, consequenter ea tenus, ut is absolutum philosophandi limitem indirecte saltem, aut tacite recognoscat, necesse est.

CAPUT III. De Forma originaria Actuositatis Mentis humanae.

§. 69. Activae et passivae Mentis determinationes.

Vi commercii, quod nos inter, et res externas obtinet, certas in nobis, si ad nos ipsi reflectimus, determinationes deprehendimus, quae aut per aliquid extra nos positum effectae, aut saltim opportunitate subministratâ sunt excitatae. Interim conscii quoque simul nobis sumus, per nos, certas determinationes extra nos effectas esse. Quare quemque nostrum, ad 70 externum, partim passive, partim active se habere, suus cuiusque sensus dubitare non patitur. Activitas vero, simulac limitatur, nunquam non cum pas-

sivitate debet, est coniuncta. Activitas in positiva, passivitas in negativa nostri efficientia inest. Denique vero conscii quoque nobis sumus, per nosmet ipsos in nobis certas determinationes progigni, seu, quod idem est, nos, per nosmet ipsos determinari posse. Actuositas haec nostra intra nos ipsos orsa, hoc respectu Spontaneitas appellatur.

Obs. Cum in limitata nostra efficientia, certa quaedam Passivitas cum Activitate coniuncta est; cumque illa, ex limitibus illis exsistit, quibus actuositas nostra quippe finita, subiecta est: intelligitur pro determinationibus passivis et activis, sensu stricto, duas diversas Facultates, velut fontes earumdem, titulo Receptivitatis et Spontaneitatis sumi non posse. Nam facultas mere passiva, qualis est Receptivitas, cogitari nequit: Spontaneitas vero proprie, non Facultatem quamdam Activitatis, sed ipsam activitatem, seu, functionem per se agentem denotat, v. c. cum de re aliqua studio, consilioque meditamur, aut in futurum quidpiam decernimus.

Spontaneitas et Libertas minime identicae putandae sunt. Nam Spontaneitas actum determinationis sui generatim indicat, nulla scilicet ratione habita, num Subiectum activum in eo, ad Naturae Leges semet accommodet, an minus: Libertas vero, sensu proprio et stricto, est species determinationis sui, a Mechanismo, seu Naturae necessitate prorsus independens, atque nonnisi intuitu Moralitatis locum habet, proinde Rationem ipsam, eiusque imperium supponit. Quare Spontaneitas, non homini tantum, sed etiam brutis competit, cum scilicet se pro arbitrio movent, alimenta sua quaerunt etc, at cum ex instinctu, adeoque sub potestate, dominatuque Necessitatis Naturae se determinant, non libere agere censenda sunt, et cum ita loquimur, solam immunitatem a coactione externa, seu physica volumus intelligi.

Quod nos ipsi, nosmet ipsos, ad actum determinare possimus, id vero Conscientia dictante, immediate percipimus: enimvero, utrum cum libertate, sensu proprio, nosmet ad agendum determinaverimus, id vero longe aliud est, neque tale quid, quod percipere liceat, sed ratiocinando demum eruitur, quod in doctrina morali praestandum erit. Hoc loco sufficit notare, Libertatem et Spontaneitatem Conceptus, esse essentialiter invicem diversos.

§. 70. Determinationes Mentis empiricae et transcendentales.

Cum ad eas nostri determinationes reflectimus, quarum nobis, sive eae per nos ipsos, sive re aliqua externa intra nos productae sunt, immediate conscii sumus: facile perspicitur, certas quoque determinationes alias nobis necessario inesse debere, quae non hac ratione in nobis effectae sunt, sed quas originarias esse oportet. Scilicet, ipsa Possibilitas, certas quasdam determinationes, in serie temporis, successive in nobis adoptandi, iam ante sumtionem harum determinationum, intra nos determinata esse debet. Quare certae quaedam, sed eae aliae determinationes, quae iis, quae iam in nobis productae sunt, velut conditiones possibilitatis earum antecedant, seu iis pro fundamento subsint, in nobis reperiantur, necesse est. Proinde fundamentales hae determina-

tiones, iure optimo, determinationes originariae, transcendentales, seu a priori vocabuntur: contra eae, quae postmodum, et per vices ex originariis exsistunt, adeoque in, cum, et per experientiam efficiuntur, determinationes derivatae, empiricae, seu a posteriori possunt nominari.

§. 71. Essentia hominis.

Fundamentalem humanae naturae characterem, seu, Essentiam hominis, determinationes originariae efficere putandae sunt: adeoque eae simul sumtae Constitutio, seu Indoles Mentis (του Ego) originaria vocari possunt. Atque propter hoc ipsum eae essentiales, proinde etiam universales, et necessariae determinationes sunt: cum contra, determinationes empiricae, non ad Essentiam hominis pertinent, consequenter etiam, in quibusque hominibus, nec eadem ratione inesse debent. Ratio determinationum empiricarum exhiberi potest, eo quod, eae, ex originariis exsistunt: sed determinationum originariarum, nulla alia ratio reddi potest, quam quod homo per naturam sic, et non aliter fictus est ac informatus.

§, 72. Homo pure et empirice sumtus.

Homo intuitu determinationum sui originariarum et empiricarum, duplici modo considerari potest, scilicet, cum ut το purum Ego, in quantum ad solas Mentis determinationes originarias reflectimus: tum, ut το empiricum Ego, in quantum aliae quoque determinationes in Mente reperiuntur, quae ei non originarie competunt. Et quia quisque homo, in quantum re ipsa exstat, et suae exsistentiae, velut in tempore determinatae, conscius est, nunquam non cum certis determinationibus empiricis exsistit: intelligitur το exsistere, duntaxat de τω empirico Ego dici posse; contra Praedicatum exsistentiae realis, seu sensibilis τω puro Ego tribui nequit, cum id non res quaedam sensibilis, sed merus Conceptus, seu Ens Rationis est, quod scil. per id solum cogitatur, quod ab empiricis nostris determinationibus abstrahimus, et unice ad originarias reflectimus. Itaque το purum Ego nihil aliud est, quam Complexus determinationum originariarum, seu transcendentalium in nobis, quas ego pro fundamento omnium empiricarum cogito; unde etiam το absolutum Ego appellari potest, cum illud simpliciter ita sit, quia ita est, originarium vero quodlibet, omnem aliam rationem, unde pendeat, repudiat.

Obs. 1, Cum in Doctrina scientifica Fichteana, το Ego, minime pro re sensibiliter exstanti, sed pro pura actuositate sumendum esse contenditur: id quidem, si de τω absoluto, seu puro Ego intelligas, verum est. Nam hoc merum tantum Abstractum est, et quâ tale non exsistit, sed cogitatur tantum. Enimvero, si id de τω empirico Ego intelligitur, omnino falsum est, quum unusquisque exsistentiae suae in tempore determinatae, adeoque του sui empirici Ego, immediate conscius sit.

Obs. 2. Cum Philosophia hominem, ut το purum Ego debeat considerare: hoc ipsum illud est, per quod ea, ab Anthropologia essentialiter discernitur, si quidem haec illa scientia est, quae hominem, ut

το empiricum Ego spectat. Illa est Doctrina de homine transcendentalis: haec empirica. Anthropologiae partes sunt Somatologia et Psychologia, quae utraeque externa et interna hominis Phaenomena explicant. Quare Psychologia empirica, tantum abest, ut primam Philosophiae partem constituat, ut potius tota quanta, ex territorio Philosophiae purae excludenda videatur; si quidem Philosophia, a discrimine empirico animi et corporis penitus abstrahere debet, atque solo transcendentali respectu, το internum et externum in homine anquirit; cum de Relatione originaria τε interni, et externi, nihil determinare potest, nisi in vitium Transcendentismi incurrat.

§. 73. Triplices Mentis determinationes originariae.

Originariae Mentis determinationes, h. e. conditiones a priori determinationum, eiusdem empiricarum triplicis generis esse debent, sic tamen, ut una cum reliquis necessario coniuncta sit, omnesque simul unum Totum indissolubile efficiant. Constitui scilicet debet originarie

1. Possibilitas generatim, secundum quam nobis certa ratione actuosis esse liceat, h. e. ratio interna, seu fons cuiusque peculiaris modi actuositatis, quae semet in Conscientia nostra annunciat. Id Facultatem Actuositatis nominamus, qualis est v. c. Facultas cognoscendi.

2) Regula, secundum quam, quisque actuositatis modus se dirigit, h. e. ratio agendi Facultatis, si ea in realem transit actuositatem. Id Legem Actuositatis appellamus, qualis est v. c. Lex cognoscendi.

3. Ambitus cuiusque Actuositatis modi, h. e. Sphaera efficientiae, intra quam Facultas in sua actuositate clausa est. Id vocamus Limites Actuositatis, quales sunt v. c. Limites Cognitionis.

§. 74. Forma agendi originaria Mentis humanae.

Originariae Mentis determinationes, non aliud sunt, quam originariae actuositatis suae Facultates, Leges ac Limites. Sed hae determinationes, minime invicem in animo dissociatae cogitandae sunt, sed necessario coniunctae. Nam Facultas Actuositatis, sine Legibus cogitari nequit, cum ea, determinato quodam modo semper actuosa esse debeat, atque per has ipsas leges est etiam, universus efficientiae ambitus, huius Facultatis, determinatus. Ergo originaria agendi forma Mentis, in tribus his Facultatis, Legis et Ambitus determinationibus simul sumtis continetur; quando quidem Forma haec a Legibus Actuositatis pendet: ubi vero Leges actuositatis adsunt, Facultatem quoque et Limites actuositatis adesse oportet.

Obs. 1. Similitudo actuositatum determinatarum efficit, ut Facultatem in nobis sumamus. Scil. si actuositates determinatas, quarum successive efficimur conscii, invicem comparamus: observare licet, actuositates nostras, quamvis eae variae sint, magis aut minus similes inter se esse, proinde communi gaudere charactere, et in Repetitione, Successione, Coniunctioneque earum, certas regulas obtinere. Unde cogimur, certos agendi modos, sub quibus individuales actuositates com-

prehenduntur, discernere, et pro particularibus his agendi modis certas internas rationes Possibilitatis eorum sumere, quas Facultatem vocamus. Nominalis est haec Facultatis explicatio: nam realis impossibilis est.

Obs. 2. Facultates Mentis duplici ratione possunt considerari, partim, si solam earum determinationem originariam respicimus, partim, si empiricas illarum Modificationes, quas, dum ad Empiriam applicantur, assumunt, spectamus. Illae, purae, hae empiricae Facultates nominantur; purae vero, etiam transcendentales vocantur, eo quod in iis duntaxat, το originarium, quod omni Empiriae a priori pro fundamento est, consideramus. Quare, una, eademque Facultas illa semper est, quae in Individuis peculiarem notam assumit. Sed per hoc universalis, necessarius et essentialis eiusdem character non tollitur, verum modificatur tantum, quemadmodum lineamenta oris humani varia sunt: licet ea ad formam fundamentalem reduci possint.

Obs. 3. Facultates interdum, Capacitates quoque, et Virtutes nominantur, sic, ut Capacitates certam Receptivitatem, Vires, certam activitatem designarent. Proinde nomine Capacitatis magis passiva quaedam, seu quiescens, Virium autem nomine magis activa facultas intelligenda foret. Sed quia Capacitates et vires certas empiricas hominis determinationes, intuitu activitatis eius designant: tum, cum de originali functione loquimur, vox Facultatis magis accommodata ad rem esse putanda est. Hinc dotes naturales, ut habilitates etiam quaeque, ad το empiricum in homine pertinent, cum peculiares uniuscuiusque Subiecti sint dererminationes. Et quamquam dotes naturales, praecipue Ingenia (Genie) scientifica et artistica, connatae sint facultates: sed eae nonnisi in certo ad subiecta quaedam respectu, adeoque non universaliter et absolute possunt dici originariae.

Obs. 4 Cum modus, quo Mens, sua facultate actuosa est, proprie per Leges huius Facultatis determinatur: intelligitur Formam Animi, nihil aliud innuere quam legalem eius agendi modum. Et quia tam Facultates Animi, quam Leges earumdem, ut Multiplex quidpiam, considerandae sunt, cum varii actuositatis modi in Conscientia nostra semet annunciant: profecto Formae quoque agendi Animi, plures esse possunt, v. c. Formae Sensualitatis, Intellectus etc. dummodo nomine Formarum, nemo loculos inanes intelligat, unde Materialia empirica, iis impressa, effigiem quandam consequerentur.

Obs. 5. Homo in naturali stationis suae puncto, in quo scil. positus est, antequam philosophari incipiat, activitatis quidem suae conscius est, non vero etiam Formae, seu, Legum eiusdem, quas Reflexione demum ad se conversa condiscit. Quare Conscientia communis, a philosophica, discernenda est: illa naturalis est, haec artificialis; illa in omnibus hominibus, haec in Philosophante duntaxat locum habet. Conscientia communis, quamquam philosophicae antecedat, empirica est, eo quod in ea, nudae empiricae deteminationes Mentis occurrunt: contra Conscientia philosophica, transcendentalis vocanda est, quia Philosophus transcendentalium Animi determinationum conscius est, aut etiam pura Apperceptio dici potest, quod ea in Conscientia του puri Ego inest.

Licet autem Conscientia philosophica non aliter evolvi potest, quam

per Reflexionem ad facta Conscientiae communis directam; adeoque Conscientia empirica, est conditio, sine qua non, Conscientiae transcendentalis: attamen, Conscientia transcendentalis, minime ex empirica exsistit, sed ex Reflexione Subiecti philosophantis ad se conversa. Determinationes scilicet empiricae Animi, velut facta Conscientiae communis, Subiecto philosophanti oportunitatem duntaxat suppeditant, ad determinationes eius transcendentales reperiundas, ac cognoscendas, dum Philosophus Leges anquirit, secundum quas, determinationes empiricae, semet dirigunt, — ut verus cognitionis philosophicae fons sit, ipsa Ratio philosophans, non Empiria.

Obs. 6. Diversitate Conscientiae communis a philophica, discrimen quoque Intellectus communis, et Rationis philosophantis, simul constituitur. Scilicet homo, in puncto Stationis vitae naturalis, Legum activitatis suae, quâ talium, non est conscius, cum illas, velut Regulas universales in abstracto neutiquam cogitat. Et quia tamen semet ad illas leges accommodat: eas in quoque Applicationis casu in concreto, seu implicite cogitet necesse est, licet explicite illas cogitare non valeat. Quare homo, cum secundum Intellectum communem iudicat, et agit: sentit ille quidem Verum et Bonum, quin rationes utriusque exponere possit; proinde sententiae eius, sunt velut auctoritate suprema latae, nodos dubitationis dissecantes: contra in puncto Stationis Speculationis homo, legum illarum explicite, in summa Universalitate, velut Principiorum iudicandi, et agendi, est conscius, adeoque cum philosophatur, de Vero et Bono ideo argumentatur, ut rationes eorum inveniat, quae eius argumentationes in deductionibus sunt, quibus nodi dubitationum solvuntur. Ergo Intellectus communis, secundum Tactus agit, Ratio philosophans autem secundum Principia, dum res facti Conscientiae communis, ad principia certa et indubitata reducere satagit.

Inter Rationem philosophantem, et communem Intellectum, seu inter philosophicam, et communem Conscientiam, quod Caput rei attinet, h. e. quoad Resultatum philosophandi, perfecta consensio locum habere debet. Nam, quamquam philosophando magis solidam, distinctam, plenam, et determinatam rerum intelligentiam consequimur, ut prospectus Rationis philosophantis, a pospectibus Intellectus communis, si is sanus est, h. e. si is nec malis propensionibus, nec falsis opinionibus perversus est, in multis punctis divergere debeat: attamen inter Intellectum naturalem, Rationemque philosophantem, nulla directa Repugnantia obtinere debet, qualis fuit, v. c. in Philosophia Stoica, suicidium permittente, et dolorem non inter mala referente: quo facto, id genus Philosophia, merito suspicionem sano Intellectui iniicit, eam, in suis speculationibus, hypothesibus arbittariis, ac precariis, in transversum fuisse actam.

Neque tamen per hoc potestas conceditur Itellectui communi, ut semet pro Iudice Rationis philosophantis venditare, eamque in iudicio de Vero et Bono ferendo, antevertere audeat, qua arrogantia ille, Rationi philosophanti, gravem facesseret molestiam, eamque momento temporis exstingueret, cum potius sola Ratio philosophans potest, sententias Intellectus communis evincere, quod fieri nequiret, nisi ea, plena argumentandi libertate fruereturr. Et cum in omni re scientifica

Rationis est contra Rationem depugnare, non autem Intellectus communis: Provocatio ad Intellectum sanum, nihil aliud est, quam Confessio Ignorantiae, et Incapacitatis ad solide cogitandum et argutandum.

Caeterum, Intellectus communis, quem etiam Sensum communem appellant, minime cum Intellectu, seu Sensu plebeio confundendus est. Nam Intellectus plebeius, certis tantum hominibus, certaeque eorum classi proprius est, inestque in defectu culturae, aut in corruptione Intellectus naturalis falsa cultura effecta: contra Intellectus communis, etiam absque Philosophia, potest locales et temporarias Restrictiones vincere, quod etiam omni tempore, et ubique terrarum factum est. Quare Philosophia nonnisi Intellectui plebeio, non autem communi semet opponere debet.

§. 75. Facultas Mentis theoretica et practica.

Actuositas Mentis nostrae, in quantum ea, in Conscientia cuiusque nostrum, semet annunciat, si ad eam reflectimus, est duplex, puta: interna seu immanens, quae in Repraesentatione, cognitioneque rei cuiusdam consistit; et externa, seu transiens, quae in nisu in aliquid, actioneque in id directa inest. Illa idealis mere, seu theoretica est, et subiectivi quidpiam eâ progignitur: haec realis est, seu practica, et Obiectivi quidpiam eâ efficitur. Quare universa Actuositatis nostrae Facultas, in primis, in Theoreticam, et Practicam Facultatem, distribuenda videtur.

Obs. 1. Quaevis variorum, actuositatis modorum, discretio in homine, duntaxat Reflexione et Abstractione fit. Nam cum actuosi sumus: semper plures activitatis modi sunt inter se cuniuncti, et commune Resultatum progignunt. Scilicet, unum idemque Subiectum est, quod semper actuosum est, licet activitatem suam diversa ratione manifestat. Quare, absurdum esset opinari, Facultatem theoreticam et practicam, divisim et seorsum, in Animo exstare: cum ambae hae Facultates simul in nobis operentur. — Caeterum separatio isthaec logica, in cogitando, simpliciter necessaria esse putanda est, partim ut universum activitatis nostrae ambitum, partim autem, ut leges eiusdem penitius cognoscamus.

Obs. 2. Discrimen activitatis theoreticae, et practicae essentiale, in eo positum est, quod illa immanens, haec transiens sit. Nam, quamquam Repraesentationes et Cognitiones, ad externum quidpiam referantur, atque per externa ad actum sollicitentur: attamen in se, et per se, nullam Tendentiam ad extrinsecus posita habent; contra cum in quidpiam connitimur, atque id revera efficere allaboramus: tum vero activitas haec, quasi ex internis ad externa prodit; si quidem to internum et externum vi Syntheseos originariae, semper in commercio sunt; atque ipsae theoreticae et practicae activitates, ob id ipsum inter se coniunctae sunt, licet utrique activitatis modi, in se, et per se essentialiter diversi sint. Scilicet in theoreticis, Repraesentationes accommodant se ad Obiecta: contra in practicis, Obiecta semet ad Repraesentationes accommodant. Quomodo autem Subiectivum et Obiectivum semet invicem determinare queant, explicari et comprehendi, ut supra dictum, nequit.

Obs. 3. Facultas Animi theoretica, quam convenientissime, Facultas quoque Repraesentandi et Cognoscendi, appellari posset, eo quod, Repraentatio et Cognitio, maxime cardinales sint Facultatis theoreticae functiones. Haud absimiliter Facultas Animi practica, Facultas connitendi et agendi commodissime posset vocari, cum omnes facultatis practicae functiones, nisu et actione continentur. — Sunt qui Facultatem Animi practicam, Facultatem Appetendi nominant: tum vero terminus Appetitionis, tam lato sensu sumetur, ut ipsam Appetitionem stricte sic dictam, et Aversationem etiam, in se contineat.

Obs. 4. Philosophi quidam, ut notum est, inter Facultatem cognoscitivam et appetitivam, tertiam quoque, utpote Facultatem Persentiscendi interponendam putarunt. Enimvero, quamquam verum sit, inter Cognitionem et Appetitionem, Tactum intercedere: attamen quia Tactus, nunquam non ad alterutram harum Facultatum pertinet, scilicet ad theoreticam, aut practicam, sive in forma antecedentis, sive in forma consequentis: intelligitur, Tactum, non peculiarem quamdam, et a Facultate theoretica, practicaque separandam esse activitatem; adeoque Trichotomiam hanc logice erroneam esse, eo quod membra divisionis non satis invicem sint opposita.

§. 76. Sensualitas, Intellectualitas, Rationalitas.

In quaque Animi actuositate, sive theoretica, sive practica, tres gradus, veluti totidem Potentias licet discernere, puta: Sensualitatem, Intellectualitatem et Rationalitatem. Hae potentiae cardinales, si partim theoretico, partim practico intuitu considerantur: sequentes emergunt originariae Animi facultates, videlicet: Sensualitas, quae respectu theretico, Sensus, seu Sensualitas stricte sic dicta, respectu practico Instinctus appellatur, — Intellectualitas, quae respectu theoretico Intellectus, respectu autem practico Voluntas nominatur, — Rationalitas, quae respectu theoretico, Ratio theoretica, respectu vero practico, Ratio practica nuncupatur.

§. 77. Sensualitas theoretica.

Functio Sensualitatis theoreticae, est Perceptio, seu, immediata Obiectorum datorum Repraesentatio, quae, partim in Intuitione, partim in sensatione versatur. Unde Sensus, seu Sensualitas, Facultas quoque Percipiendi, item, Facultas Intuendi et Sentiendi, appellari potest. Et quia Intuitiones ac Sensationes, tam ad externa, quam ad interna referri possunt: Sensualitas theoretica generatim, in Sensum externum et internum potest distribui.

Obs. 1. Vox intuendi, etymologice, seu grammatice, sensum videndi designat: in Technicologia autem philosophica Repraesentationes sensibiles denotat, nulla habita ratione organi, a quonam eae profectae sint; eo quidem cum discrimine, inter Intuitionem et Sensationem posito, ut Intuitio quidem proxime ad Obiectivum, Sensatio contra, ad Subiectivum referatur, v. c. fornacem intuemur: calorem eius sentimus, — formam Compositionis musicalis intuemur, impressionem autem, quam ea in nos facit sentimus, — corpus quodque, quod manu com-

plectimur, intuemur: gravitatem autem, et duritiem eius, sentimus. Denique, significatione latissima, vox Intuitionis, quamlibet Repraesentationem sensibilem in se comprehendit, sive ea ad Obiectivum, sive ad subiectivum referatur.

Obs. 2. Sensualitas theoretica est facultas immediatarum Repraesentationum: immediate autem repraesentamus, quod percipimus. Ut autem percipiamus, Animus certa ratione afficiatur prius, necesse est, h. e. mutationem quamdam perpetiatur, quâ ad percipiendum quasi impellatur, ac moveatur. Caeterum Obiecta, ita intuenda ac sentienda sunt, quemadmodum id, originariae Animi Formae agendi congruum est, cum facultatis cuiusque actuositas, certis legibus alligata est, et absque legibus originariis, nulla Uniformitas et Legalitas in Perceptionibus nostris obtineret. Quare, in quaque Repraesentatione sensibili, aliquid, quod Animo datum est, vicissim quod ab eo productum sit, inveniri debet: quorum illud Materiam, hoc Formam appellamus; quibus duobus elementis essentialibus, Repraesentationes sensuales, omnes ac singulae continentur, semper invicem conjunctis, et per solam Abstractionem et Reflexionem separandis.

Obs. 3. Tam externe, quam interne, licet nobis quidpiam percipere. Nam, quidquid immediate in nobis peragitur, proprie duntaxat internae Perceptionis Obiectum est, quantumvis id, cum externis, in remotiori relatione positum esse queat. Quare, tam amicum absentem, quam Palatium confictum, proprie in nobis ipsis percipimus, quamvis utrumque extra nos positum volumus. Hinc Sensualitas vicissim, in externum et internum Sensum distribuitur. Ad Sensum internum spectat Phantasia, quae fons est infinitarum Perceptionum internarum, atque aut reproductiva, aut productiva est. Phantasia reproductiva Vis memorialis, Phantasia autem productiva, Vis imaginandi posset appellari.

§. 78. Sensualitas practica.

Functio Sensualitatis practicae est Instinctus, seu, immediatus in Obiectum quodpiam nisus, qui partim appetendo, partim aversando, semet manifestat. Et quia nisus sensuales, partim in appetitionibus, partim in aversationibus versantur: Instinctus, commode quoque potest vocari, sensualis annitendi Facultas, aut Facultas appetendi, et aversandi. Determinationes Animi particulares, ex Instinctu profectae, quibus hic certa ratione actuosus est, Inclinationes nuncupantur.

Obs. 1. Conscii nobis ipsi sumus, nosmet Repraesentationibus nostris, causas esse posse exsistentiae Obiectorum, harum repraesentationum, h. e. nos practice esse activos; sed etiam conscii nobis ipsi sumus, actioni cuique, internum quemdam nisum, ad id re ipsa efficiendum, quod repraesentamus, antecedere; denique conscii quoque nobis sumus, esse quasdam inter repraesentationes nostras, vi quarum Tactus voluptatis, et taedii, in nobis excitantur. Atqui, simulac id genus repraesentatio in nobis exsistit, quae similem Tactum excitat: illico ad certam activitatem exercendam impellimur. Ergo proprium quemdam actuositatis fontem, qui Instinctus est, in nobis sumamus necesse est.

Obs. 2. Instinctus, nihil aliud est, quam interna quaedam, et

universalis, Nisus conditio, vi cuius is, Tactu voluptatis et taedii, ad certas actuositatis species incitatur, ut sunt v. c. instinctus edendi, bibendi, dormiendi, honoris consequendi, conservationis generis sui etc. Manifestationes huius, in se spectati, sunt, prorsus involuntariae: Si quidem Nisus, absque antegressa, ad mediatas actuositatis consequentias*, reflexione, immediata activitas est, ad iucundum, aut iniucundum directa. Sed haec directio duplex est. Videlicet, Instinctus, aut in id intentus est, ut Obiectum, cuius repraesentatio animum voluptate demulcet, cum Subiecto coniungat, aut in id, ut illud, si taedium concitat, ab eodem repellat. Affectio prior, Facultas Appetendi, posterior Facultas Aversandi potest nominari.

Obs. 3. Ex Instinctu exsistunt Inclinationes, seu peculiares Instinctus modificationes, vi quarum, certi Nisuum sensualium modi, nobis proprii efficiuntur. Sed Inclinatio empirica Instinctus, originaria nostri affectio est. Inclinatio vocatur etiam Propensio, si ea, admodum habitualis evasit, v. c. inclinatio ad potus spirituosos, in Propensionem ad Ebrietatem degenerat. Caeterum Instinctus saturatur, cum petitam consequitur voluptatem: dolore contra excruciatur, si ea excidit. Et quia Instinctus, necessario semper id, quod iucundum est, seu, voluptatem quaerit ac appetit: omnis Instinctus simpliciter egoisticus esse putandus est, ut falsum plane sit, quod quidam voluerunt, Instinctum in egoisticum, et minime egoisticum, aut se continentem, distribui.

§. 79. Intellectualitas theoretica.

Functio Intellectualitatis theoreticae, seu Intellectus, est Cogitatio, seu mediata Repraesentatio, quae in eo consistit, quod in illa, varia repraesentationum data, ad unitatem Conceptus coniungantur. Repraesentationes Intellectus, Conceptus, seu Notiones vocantur, et in Relatione ad Repraesentationes Sensualitatis, h. e. ad Intuitiones et sensationes, elementa sunt Cognitionis humanae. Est ergo Cognitio, commune quoddam Productum, Sensualitatis theoreticae et Intelligentiae simul.

Obs. 1. Cogitatio (a cogendo, vel coagitando dicta, quod Mens plura in unum cogat) ab Intuitione et Sensatione, essentialiter differt. In cogitando scilicet Repraesentationes, mediante Intuitione et Sensatione, datae iam sunt: quae in cogitante demum elaborari debent, eo quod, ab Intuitione et Sensatione, nonnisi rudis indigestaque illarum materia, animo cogitanti offeratur. Haec itaque cogitandi operatio in eo versatur, quod Animus, datas has sibi repraesentationes, percurrit, varia iis communia, velut partiales quasdam repraesentationes, seu notas Obiectorum, in totalem repraesentationem adunat, quae una iam, sed ex pluribus coalita Repraesentatio est, quae Conceptus vocatur. Quare Conceptus, duntaxat mediate, scil. per repraesentationes, ex quibus ille effectus est, ad Obiecta Intuitionis refertur. Repraesentatio immediata, intuitiva, seu sensitiva: mediata contra, discursiva (quoniam mens discurrit quasi, inter notas, ad eas in unam repraesentationem concipiendas) appellatur. Repraesentatio sensibilis, semper individualis: contra Conceptus, est communis repraesentatio.

Obs. 2. Quod compositum est, decomponi quoque idem potest, saltim per se, non est indecomponibile. Quare Conceptus, velut com-

posita quaedam Repraesentatio, ut in sua elementa, seu varia illa, ex quibus coaluit, resolvi possit, necesse est. Atque, haec quoque Animi operatio, est Cogitatio, sed secundaria tantum, seu derivata, (quippe inversa cogitandi ratio) primariam, seu originariam, qua Conceptus principio generatus est, supponit. Utrique hi cogitandi modi, ut Analysis et Synthesis, inter se esse putandi sunt: unde etiam cogitationes analiticae et syntheticae vocari possunt. Cogitationes syntheticae antecedunt, analyticae sequuntur. Cogitatio synthetica, est productiva, analytica exponens, — illa dilatat, haec illustrat tantum cognitionem, — illa est transcendentalis, haec logica Animi operatio. In logico Intelligentiae usu, Conceptus, seu Cogitationes, ut iam praeexsistentes sumuntur, atque, duntaxat Relatio eorum mutua, intuitu Identitatis et Repugnantiae quaeritur, non autem origo eorumdem investigatur, quod Metaphysicae proprium est.

Obs. 3. Intelligentia est Facultas cogitandi. Sed cogitatio est mediata repraesentandi ratio, mediata vero isthaec repraesentandi ratio, est Conceptus: ergo Intellectus, est Facultas Conceptuum, quemadmodum Sensus, in facultate Intuitionum, seu, repraesentationum sensibilium inest. Et quia Conceptus coniunctione variorum exsistit: dici quoque potest, Intellectum esse facultatem, coniunctione datarum repraesentationum, ad Conceptus perveniendi. Unde simul liquet, intuitu Conceptuum, Materiam et Formam, non tantum posse, sed etiam debere distingui. Forma quidem, per originarias cogitandi leges determinata est: Materia vero, in datis ad coniungendum repraesentationibus consistit. Sed quia rem quampiam, nonnisi in tantum rite intelligere dici possumus, in quantum, accuratum de ea nobis informamus Conceptum: intelligitur, cur Intellectus, apud Latinos hoc nomine vocari meruerit, scilicet, ab actu, quo Conceptus inter generandum exsistunt, cum intelligere re ipsa, seu genetice nihil aliud sit, quam interlegere, quoniam electio fit, inter varias Obiecti cognoscendi notas, aut etiam, quod plures, diversae inter se notae, ad Conceptum effingendum colliguntur.

Obs. 4. Cognoscere aliquid, tantundem est, atque obiectum datum, velut determinatum quodpiam Obiectum repraesentare. Quare ad Cognitionem, velut determinatam repraesentationum nostrarum, ad Obiecta data Relationem, duo in primis requiruntur, puta: ut Obiectum ipsum detur; h. e. percipiatur; deinde ut Obiectum determinari, h. e. intra certos limites claudi, et tum, ab aliis Obiectis discerni possit. Datur vero Obiectum, per Intuitionem et Sensationem: determinatur autem ope Conceptus, qui notas in se continet, quibus ab aliis demum Obiectis queat dignosci. Unde intelligitur, Sensum ac Intellectum, suas in cognitionibus nostris formandis habere partes; et ea quidem ratione, ut si in cognitione, Conceptui, Intuitio antecedat, adeoque το Subiectivum, per το Obiectivum determinetur, Cognitio theoretica efformetur; contra, si Intuitioni Conceptus ipse antecedat, adeoque το Obiectivum, per το Subiectivum determinatur, practica in nobis generetur Cognitio. Ubi autem neuter horum casuum obtinet: ibi nulla quoque Cognitio, sensu proprio locum habeat necesse est. Quod si tamen asseratur, esse, aut fore quidpiam, intuitu cuius nulla Intuitio sit possibilis: tum vero id genus Obiectum, non sensibile, seu phae-

nomenon, sed intelligibile tantum, seu noumenon fuerit, cuius existentiae assertio proinde, non obiectiva, sed subiectiva nitetur ratione. Ubi enim Obiectum, Intuitione mediante exhiberi sensibiliter non potest: ibi sensu stricto, Scientia locum habere nequit, sed sola fides, quae si practicis superstructa fuerit rationibus, indubitatam credenti conciliabit convictionem, et eam quidem talem, quae persuasioni theoreticae nihil cedat.

Obs. 5. Sensibilis repraesentandi et cognoscendi Facultas, potest quoque dici inferior, quemadmodum intellectualis repraesentandi, ac cognoscendi Facultas, superior recte nominatur: eo quod Intelligentia, in cogitando magis activa, in intuendo et sentiendo contra, magis passiva esse videatur. Neque tamen dicendum est, Sensualitatem, in sola Receptivitate, Intellectum in mera Effectivitate versari: si quidem, et cum extrinsecus afficior, Repraesentatio tamen, Sensualitatis meae Productum est; et Intellectus, dum Conceptus format, quoad data repraesentationum varia, aliquomodo passive se habere censendus est.

Dici interim, ne id quidem potest, Intellectum Sensualitate perturbari, aut plane, etiam atque etiam decipi. Enimvero, cum Sensualitas ope Intuitionum, ac Sensationum, nonnisi Materiam Cognitionis Intellectui suppeditat, in cognitionem ab hoc demum elaborandam: intelligitur, Confusionem et errorem, vitio Intellectus, non vitio Sensualitatis, cognitioni nostrae admisceri. Adde: errore Iudicium praesupponi: cum errare tantundem sit, ac falso iudicare. Atqui actum iudicandi functioni Intelligentiae, non autem Sensualitatis, adscribimus. Ergo nulla quoque erroris culpa, etiamsi erramus, in Sensualitatem potest coniici.

Ubi nullus est Intellectui locus, ibi, ob Conceptuum defectum, nullus quoque Cognitionibus locus esse potest. Quodsi bruta Intellectu destituuntur, nulla quoque cognitione pollent. Interim, quia non dubia Cognitionis vestigia, praecipue in quibusdam brutorum Speciebus, detegere licet: tribui eis quoque Intellectus empiricus, sed in minori, quam hominibus, gradu potest. Id ergo, quo homo a brutis differt, non ab Intellectu, sed ab ipsa Ratione repetendum videtur, qua bruta simpliciter carent, ut hoc ex absoluta loquendi incapacitate, irrefragabiliter licet concludere. Quare, etiamsi Analogon quoddam Intellectus empirici, brutis tribuatur: attamen, quemadmodum Intellectus transcendentalis, sic ne Analogon quidem Rationis iis adscribendum.

Caeterum, Problema Systematis Fichteani, de Intellectu intuitivo, intellectualique Intuitione, ad Quaestiones spectare videtur, quae ne sanum quidem sensum admittunt: unde Concertationem illam philosophicam, de possibilitate Intuitionis intellectualis, libenter Logomachiis adnumeramus. Nam, si Intellectus intuitivus is demum esse debeat, qui a Sensualitate revulsus, sensualiter tamen actuosus fuerit, Intuitioque intellectualis illa foret, quae ab Intellectu rescissa, Intelligentiae tamen functiones exerceret: praestabit ingenue fateri, non magis haec a nobis intelligi, quam lignum ferreum. Sin autem intellectualis isthaec Intuitio, nihil aliud est, quam ea Animi actuositas, cuius ope me ipse in sensu interno intueor: tum vero, quia hoc idem est, quod nos functionem philosophandi diximus, contra Fichteanos non pugnabimus.

§. 80. Intellectualitas practica.

Functio Intellectulitatis practicae, seu Voluntatis, est ipsa Volitio, h. e. mediatus in Obiectum quodpiam nisus, qui in eo cernitur, quod Animus, secundum Conceptum quempiam finalem, proinde secundum Regulam sponte sibi in normam agendi adscitam, in mediis (instrumentis) quae ad repraesentatum finem realisandum (efficiendum) spectant, determinandis, ac applicandis actuosus est. Quare, quemadmodum adnisus Voluntatis, in intellectualibus conaminibus inesse putandus est, et volitiones appellantur: ita Voluntas quoque iure poterit intellectualis connitendi facultas nuncupari. Determinationes animi, ex actu Voluntatis profectae, vi quarum is, certa ratione actuosus est, Sensus Animi (Indoles practica, Geſinnungen) nominantur, et practica cogitandi ratione continentur. Quandoquidem autem Instinctus, cum indole animi practica, nunquam non in negativa saltim Relatione positus est: intelligitur, Sensualitatem et Intellectualitatem practicam, communes habere partes, in practica nostri cogitandi ratione.

Obs. 1. Volitio et Non-Volitio, a Facultate appetendi et aversandi, essentialiter differunt. Scilicet Instinctus, quâ talis, in quantum simpliciter iucundum petit, iniucundum fugit, coecus est, proinde inconsideranter, et temere agit; Subiectum vero in actu Instinctus constitutum, nullius finis, nulliusque Regulae actuositatis suae, quae ad hunc finem referretur, conscium est: patet, Appetitionem et Aversationem, ut Instinctus sequelas, nihil aliud esse, quam meras Attractiones et Repulsiones, ὁρμην και αφορμην Stoicorum. Enimvero, nos quoque nobis ipsi, vi practicae nostrae activitatis, libitos quosdam fines proponere, h. e. Conceptus de Obiectis formare, ex iisque quidpiam in scopum actionis designare possumus. Id cum fit; continuo de mediis cogitandum, quae ad finem destinatum ducant, unde Regula exsistit, secundum quam finis intentus possit re vera effici. Atque intellectualis haec connitendi facultas, quae secundum Conceptus et Regulas actuosa est, dicitur Voluntas sensu lato.

Obs. 2. Cum Obiecta, in quae Voluntas directa esse potest, duplicis sunt generis: Voluntas quoque duplici charactere praedita est. Nam primum, Obiecta talia esse possunt, quae, ut media Iucunditatis queunt spectari, licet iniucunda per se sint, v. c. medicina amara; aut pro mediis Iucunditatis possunt haberi, quamvis iucunda per se sint, velut venenum dulce. Id genus Obiecta, utilia et damnosa, bona et mala vocantur: licet relative tantum talia, intuitu scilicet Instinctus, si ei conveniunt in sequelis, aut vero eidem repugnant. Hic nunc prodit Voluntas in medium, velut Instinctus per Reflexionem ductus, si quidem ea, quemadmodum Instinctus, ad iucunda et iniucunda, quamquam nonnisi mediate, ad utilia et damnosa directa est: cum contra Instinctus, in quantum immediate iucundum et iniucundum spectat, coecus esse putandus est.

Deinde Voluntas, alia quoque praeter haec, Nisus sui Obiecta habere debet. Nam, cum conscii nobis sumus, esse res quaspiam iucundas et utiles, quas tamen nos facere renuimus et nolumus; contra esse res quoque alias, quas absque tamen fruitionis et commodi respectu,

proinde contra sensum Instinctus, et facere ipsi volumus, et ut alii quoque idem faciant, simpliciter postulamus: profecto id hinc irrefragabiliter eliciendum videtur, esse quidpiam absolute, et simpliciter bonum, ac malum, quod unumquemque facere aut intermittere oporteat. Proinde, hic demum apparet Voluntas, quâ Facultas ab Instinctu independens, tanquam id genus facultas practica, quae secundum alios fines, aliasque Regulas semet dirigit, quam quas Instinctus Reflexione ductus, sequitur. Voluntas, in quantum in sua actuositate, ut Instinctus, Reflexione quasi manu ductus apparet, Arbitrium vocatur; in quantum autem, ut Facultas ab Instinctu independens se sistit, sensu stricto Voluntas appellatur. Nam, casu in priori, electio locum habet: sed in posteriori, nullus electioni locus relictus est, si quidem, unum dantaxat est simpliciter et absolute bonum, quod velle oporteat. Quod si autem Voluntas non id agit, quod Lex ei agendum praescribit: id vero argumento est, Voluntatem non positive, sed negative fuisse actuosam, eo quod elegerit, cum eligere haud debuisset, consequenter, mere arbitrarie eandem fecisse, cum secundum Legem ei fuisset faciendum.

Obs. 3. Quidquid relative bonum est, ad Felicitatem spectat: contrà quidquid absolute bonum est, in Moralitate inesse putandum est. Scil. Felicitas est, το bene esse; Moralitas autem, το bonum esse: utroque in sua perfectione pro qualitate Subiecti agentis reputato. Quare Felicitas, tum demum locum habet, si Instinctus, in sua possibili extensione, intensione et protensione saturatur: ut iure dici queat, Instinctus quosque singulos, et Inclinationes hominis quasque, in uno ad Felicitatem grassandi instinctu coniungi, licet, pro varietate Subiectorum, variae, eaeque saepenumero invicem repugnantes res, in ea simul comprehendantur. Unde id quoque sine negotio intelligitur, intuitu Felicitatis, si pro summo actuositatis fine eam ponas, nullam universalem agendi Regulam, ex eius Conceptu deduci ac statui posse: contra Moralitas, Regula universali determinabilis esse debet, cum ea in το absolutum directa est, quippe quod, respectu quorumlibet Subiectorum peraeque, et necessario bonum est. Enimvero, Regula isthaec, non a Voluntate proficiscitur, cuius est unice Legi Auctoritatis Superioris obsequi: verum, ab ipsa Ratione illa praescribitur, quam etiam ob eam rem, practicam Rationem appellamus.

Obs. 4. Cum Instinctus, per sensibiles Voluptatis et Taedii repraesentationes, contra Voluntas, per intellectuales certarum obligationum repraesentationes, determinabilis est: Instinctus, inferior, Voluntas superior connitendi et agendi Facultas appellari potest. Si Instinctus est actuosus: Subiectum passive se magis; sin Voluntas est actuosa, Subiectum agens, magis active se habet: in neutro autem casu, aut mere passive, aut mere active, Subiectum agere censendum est; eo quod humana actuositas, velut finita, in Passivitate et Activitate invicem coniunctis, inest. Sola infinita actuositas potest, pro pura actuositate cogitari: sed de qua, vel Conceptum nobis informare, absurdum est.

§. 81. Ratio theoretica, et practica.

Denique, si ad universam nostram actuositatem reflectimus; Facultatem quoque in nobis detegimus, quae το Absolutum, ipsum

sibi in finem actuositatis suae constituit, et eatenus, ad Infinitatem contendit. Facultas isthaec Ratio vocatur, estque peculiaris quidam fons repraesentationum et decretorum, quae per eminentiam, Ideae ad Principia vocantur. In quantum vero Ideae hae, et Principia haec, ad το theoreticum referuntur, ipsa Ratio theoretica nuncupatur: in quantum autem ad το practicum referuntur, practica nominatur.

Obs. 1. Ratio est, quae, quod in homine maxime sublime, ac praeclarum est, indicat, scil. id, cui tota hominis dignitas innititur, quo is semet essentialiter, adeoque specie, non solo gradu, a brutis distinguit, quoque, ex sensuali rerum ordine, in suprasensualium entium seriem transponitur. Nimirum, Ratio est, quae το supremum et ultimum, intuitu universae actuositatis hominis, ei proponit, quodque in τω Absoluto et Inconditionato cernitur. Repraesentationes et decreta, quae Ratio intuitu Absoluti format, ac constituit, per eminentiam Ideae, Principiaque vocantur, quod vero per Ideas repraesentatur, Ideale dicitur, estque Productum Rationis, quod Intellectus conceptibus suis comprehendere nequit: intelligitur, cur το Ideale, velut ab altiori quadam Inspiratione datum, nonnisi percipi potest, intelligi non potest. Et quia το Absolutum ab homine, velut Ente limitato, ad infinitam longinquitatem remotum est, ut ei continuis progressibus appropinquare quidem, sed illud assequi nunquam possit: inest Rationi per naturam Tendentia ad Infinitatem, unde etiam Perfectibilitas Naturae humanae sponte consequitur.

Obs. 2. Actuositas Rationis, seu, Tendentia animi humani ad το Absolutum, duplici via semet manifestat, scil. principio quidem intuitu Repraesentationis et cognitionis, cum Ratio, velut theoretica quaedam Facultas, το supremum sibi ac ultimum in Ideis et Principiis proponit, quo sic ei absolutam, in repraesentationibus humanis harmoniam, obtinere liceat: deinde autem intuitu Nisus, et actionis Rationis, qua sibi, velut practica quaedam Facultas, το supremum et ultimum in Ideis et Principiis proponit, absolutamque, in humanis conatibus, harmoniam quaerit. Illic Ratio in qualitate Facultatis repraesentandi, et cognoscendi, supra Sensum et Intellectum exaltatae: hic autem, in qualitate Facultatis connitendi, et agendi, supra Instinctum ac Voluntatem evectae, apparet.

Obs. 3. Leges Rationis sunt duplices, puta: physicae et ethicae. Scilicet, cum Principia Rationis theoreticae, ad solam repraesentationem, et cognitionem referuntur; complexus autem omnium, quae sunt, intuitu suae exsistentiae, suaeque qualitatis, pro possibili cognitionis Obiecto reputatur, sensu materiali Natura vocatur: profecto Principia Rationis theoreticae, ut Leges physicae, considerandae sunt, secundum quas Animus, per se, seu, vi necessitatis Naturae suae (sensu formali talis) semet dirigit. Contra Principia Rationis practicae, ad nisum et agendum referuntur, proinde non ad id, quod est, sed ad id, quod esse, fierique oportet, h. e. Ratio practica, cuique homini solam illam actionem, quae in se et per se, absque respectu fruitionis, et utilitatis bona est, absolute, categoriceque imperat. Sed omnis nostra actio, aut ad Felicitatem, aut ad Moralitatem refertur. Atqui actio nostra ad

Felicitatem obtinendam directa, duntaxat relative bona est, quia non in omnibus casibus, omnique respectu consentire secum potest, si quidem quae Felicitati accensentur, ea ab individualibus, et momentaneis Subiecti cuiusque determinationibus pendent: contra, actio ad Moralitatem directa, semper et in omnibus casibus, secum ipsa convenit, unde etiam a quoque Subiecto rationali, postulari et approbari simpliciter debet. Ergo nonnisi moraliter bonum est, Bonum absolutum, et Principia Rationis practicae, pro Legibus ethicis habenda sunt, secundum quae Animus quidem semet propter Naturae necessitatem non accommodat, accommodare autem semper obligatur. Atqui, sanctissimo huic Rationis imperio, in solenni verbo OPORTET manifestato, respondet Volitio.

Obs. 4. Theoreticaene Rationi, an practicae, Primatus competit: solet quaeri. Enimvero, sensu proprio, neutri prae alia ullus potest competere Primatus, cum Ratio, quâ talis, intuitu Principiorum suorum, prorsus secum ipsa conveniens est, et haud quaquam dissidens, quasi Ratio theoretica, et practica, duae diversae essent Curiae, quae respectu Auctoritatis legum suarum, quemadmodum duo diversi Magistratus, de loco superiori possent inter se contendere. Attamen, si nomine Primatus, id intelligas, Rationem, in quantum Principia actionum constituit, altiorem quamdam Functionem exercere, quam, cum Principia cognitionis statuit, proinde consecutiones, quae ex illis emergunt, quoad Subiectum agens, plus habere ponderis, quam eae habent, quae ex his, quoad mere speculantem eliciuntur: omnino recte se res habet, cum homo, non ad speculandum, sed ad moraliter agendum, per Naturam destinatus esse videatur.

§. 82. Homo, quâ Ens liberum.

Homo, per hoc ipsum, quod Ens sit morale et rationale, persuasus quoque simul esse debet, Ens se esse liberum. Sed ad hanc Libertatem, duo in primis videntur pertinere, et primum quidem, quod homo intuitu actuositatis suae moralis, ipse sui Legislator est; — deinde autem, quod is, ab omni Naturae necessitate independenter, se ipse ad observationem Legum, ab ipsa Ratione dictatarum, determinare queat. Atque, per internam hanc libertatem, tuetur ac vindicat homo, dignitatem illam soli sibi propriam, vi cuius is, quâ Persona, longe sublimior omnibus iis putandus est, quae in mero Libertatis obiecto versantur, quaeque, res merae appellantur. Haec caussa est, cur illi, in relatione ad alios homines, externa quoque libertas competat.

Obs. 1. Conscientia legum moralium, est fons cognoscendae verae hominis dignitatis, quae in Autonomia eius, Libertateque Voluntatis morali inest. Scilicet:

Homo, intuitu morali, ipse suimet Legislator esse putandus est. Nam Ratio practica, connata sibi auctoritate, Leges agendi, Voluntati hominis praescribit, quas ille, in omni sua functione activa, irrefragabiliter observare debet. Sed hae Leges, a Sanctione Tactus voluptatis et Taedii, prorsus independentes sunt, cum non id determinant, quod relative bonum est, et ad Instinctum saturandum spectat, atque a certis

tantum Subiectis appetibile est: verum id, quod in se et per se, seu absolute bonum est, atque universaliter probari potest, proinde respectu practico, valore pollet objectivo.

Deinde homo intuitu morali, Libertate quoque gaudet. Nam cum Ratio quidpiam, quâ simpliciter bonum imperat, liberum quoque obsequium, a Voluntate praestandum, postulat, h. e. peractionem boni moralis, et quidem illius ipsius causa, seu, ut Critica loqui amat, propter reverentiam erga legem imperat, et exigit. Sed eiusmodi obsequium Ratio postulare nequiret, si modo Subiectum agens, vi absolutae suae Spontaneitatis, super dominio Instinctus semet extollere non posset. Quare Subiectum quodque, Ratione praeditum, legibusque subordinatum, ita secum inire rationes debet: Me hoc aut illud facere propter Legem oportet: ergo ut possim quoque id efficere (libertas) sumendum est, nisi sanctitatem Legis tyrannidis arguam.

Obiecceris. Conceptus Libertatis, repugnantiam sapit, cum homo, quâ Ens sensibile, Legibus Naturae, omnem libertatem excludentibus subest? R. Nequaquam. Nam hominem, quâ Subiectum propriae Actuositatis, alio sensu liberum, alio non liberum dicimus: adeoque saltim Conceptus libertatis possibilis, ac in salvo esse censendus est. Et cum Libertas unica est conditio, Legibus Rationis practicae satisfaciendi: ea simpliciter postulanda est; unde etiam Critica Libertatem, Postutatum Rationis practicae, optimo iure appellavit.

Obs. 2. Autonomia Rationis practicae et Libertas Voluntatis, quae hominis attributa indivulso nexu invicem coniuncta sunt, hominem ut Personam describunt, et a re quaque, essentialiter discernunt. Persona scil. est Subiectum Libertatis, id quod autem Res est, merum eiusdem obiectum. Subiectum Libertatis ipsum sibi, Exsistentiae, actuositatique suae finem proponit, estque *αυτοτελης*, contra Res, cum finem suum a Subiecto Libertatis obtinet, *ἑτεροτελης* sit necesse est, Ut ergo Autotelia, ex Autonomia: sic Heterotelia, ex Heteronomia necessario sequitur. Atque, hac in re dignitas illa hominis vertitur, quatenus is, absoluto, seu eminenti pretio pollet, cui aequivalens, seu forense pretium substitui nequit: contra res relativo tantum, s. forensi pretio gaudere censendae sunt.

Dignitas hominis est duplex, originaria scilicet, quae ei, ut Enti morali generatim, et adquisita, quae eidem, qua Enti moraliter bene agenti obtingit. Sed haec hominis agendi ratio, si moraliter bona non est, verum moraliter mala fuerit, originariam eius dignitatem deminuere, h. e. is ipse dedecorare semet, ac deprimere iudicandus est, eo quod, imperio Instinctus se subiecerit, et ita egerit, ac si is, nec autonomicum, neque etiam liberum Ens esset. Cum vero homo Inclinationum suarum Heteronomiam sequitur, nae is, in servitutem earum sponte volensque concedit. Quae moralis eius Servitus, qua Libertatem suam amisisse putandus est, ut factum tamen Libertatis, ei ipsi imputanda est. Quomodo vero fieri queat, ut homo ad Moralitatem destinatus, natus et dotatus, immoraliter tamen agere possit: plane inperscrutabile est, cum Libertas ipsa, incomprehensibilis per se esse videatur. Unde origo mali moralis inter homines, tam est impervestigabilis, quam prima hominis origo universe.

Conscientia Legum Rationis, quemadmodum eae, in quolibet actionum casu, semet in homine annunciant, Conscientia moralis, aut κατέξοχην Conscientia nominatur, cum Voluntas, proxima ad Legislationem Rationis practicae, functio, optime scire possit, quid ab ea imperatum, quid, et quantum a se praestitum sit. Hinc et Postulata Rationis, et Iudicia eiusdem, de relatione actionum nostrarum ad Legem, Sententiae Conscientiae appellantur, ipsaque Conscientia, Iudex dicitur internus. Actiones vero, ad quas Conscientia obligat, Officia vocantur: proinde religiosa eorum observatio, characterem Virtutis efficit. Consequenter Virtus, pro magnitudine finita sumta, in morali cernitur perfectione, nam ea, pro quantitate infinita reputata, Sanctitas videtur esse nuncupanda.

Obs. 3. Interna hominis, quâ Entis moralis, Libertas, est simul externae eiusdem Libertatis vindex ac sponsor, h. e. eundem, a peregrino arbitrio independentem esse, vel maxime tum, cum sponte semet volensque, arbitrio peregrino subiicit. Scilicet Personalitas, etiam intuitu aliorum hominum ei competit, quemadmodum eorum sua sibi: cum secus nec hi, nec illi, vero sensu homines essent censendi, si illis reciproce semet, velut rebus, uti liceret. Atque hic est reciprocus Iuris Conceptus, quo homines invicem, vi practicae Rationis, colligati inter se sunt, qui, si sub tutela Instituti cuiusdam publici, securitate publica, velut stabili quodam, et firmo praesidio munitur, existit Status, seu Civitas politica.

CAPUT IV. De supremo et ultimo Actuositatis Mentis fine.

§. 83. Beatitas.

Conscientia Legum moralium, prospectum homini aperit, etiam in mundum suprasensibilem. Nam Ratio practica, cum moralem rerum ordinem ei proponit, vi cuius το physicum, Moralitati rite subordinatur: Resultatum quoque simul eius in Beatitate omnium, moraliter bonorum, quippe summo et ultimo omnium actuositatum hominis, velut ultimo Rationis fine, inesse decernit.

Obs. Homo, per hoc ipsum, quod Ens morale est, longe ad alium rerum ordinem pertinet, quam is est, quem sensibus usurpamus, ubi, quidquid est, necessariis Naturae legibus, sine ullo ad fines morales respectu, obsequitur. Sed homo in talem rerum ordinem efficiendum, elaborandumque incumbere debet, in quo moralitas dominetur, et physicum ei subiiciatur, adeoque universa rerum Natura, finibus Moralitatis promovendis inserviat. Atque hic demum moralis iste foret ordo, qui, quod sensibus percipi nequeat, suprasensibilis dicendus est, eo quod, in ipsa Rationis Idea resideat. Qui rerum ordo, cum re vera ad effectum perduceretur, harmonia quoque Mundi physici, cum morali perfecte consonaret, si quidem Mundo physico, qui in servitutem quasi Mundi moralis addictus est, huic repugnare nefas est.

Talis Subiecti moralis status, in quo harmonia του physici, cum morali locum haberet, voce Beatitatis, optimo iure posset desi-

gnari, ut tamen ea, a Felicitate toto coelo differat. Nam Felicitas, nonnisi id genus status est, qui in absoluta, sive, extensiva, intensiva ac protensiva Instinctuum ac Inclinationum Saturatione inest, et tota quanta, quod homo eam in sua potestate habere nequeat, a coeco fortunae eventu pendet. Contra cum Beatitas, id genus Entis moralis status esse putandus est, ubi το morale dominatur, et physicum ei servit: profecto ea, sensu proprio, nihil aliud est, quam vera Animi quies, dum scilicet Subiectum agens, minime cupiditatibus sensualibus, huc et illuc impellitur, sed continuo, id solum vult, velleque adnititur, quod Lex ei, etiamsi instinctu, in contrarium incitaretur, faciendum imperat, eoque solo contentum est, quod ei sub hac conditione, intuitu physicae prosperitatis contingit, sive illud multum sit, sive parum, — quae vera fuisset Epithymiae Epicureae, Apathiaeque Stoicae Tendentia, nisi falsis quibusdam determinationibus collateralibus, fuisset depravata. Proinde, haec sola Beatitas est summum, Entis cuiusque moralis finiti, Bonum; haec finis ultimus Rationis est, haec vera hominis destinatio et finis universe esse videtur. Sed homo, cum beatus, qualis solus Deus, quâ Summum Bonum originarium est, esse nequeat: relinquitur, ut fieri is duntaxat beatus esse debeat, continua ad Beatitatem accessione, idque non in hac solum vita, sed etiam in futura.

§. 84. Conditiones Beatitatis, externae.

Cum Homo, ad externas illas conditiones reflectit, a quibus, efficiendi ac producendi, ultimi supremique Rationis finis, Possibilitas pendet: continuo, ad id se impulsum, et quasi coactum sentit, ac videt, ut summum quoddam Ens, velut illimitatum Mundi Auctorem et Rectorem, quem Deum dicimus, vitamque simul aeternam, velut continuationem praesentis suae exsistentiae limitatae, non possit, idque irrefragabili cum necessitate non praesupponere (sumere) proinde, utrumque hoc intuitu practico, qui secus salvus esse non potest, firmiter credere, quantumvis respectu theoretico, unum non minus, quam alterum incognoscibile ei ac incomprehensibile esse videatur. Quare, cum moralitate, Religio quoque, velut Sublatio Animi ad το suprasensibile, infinitum et aeternum, necessario coniuncta esse debet; ut quidquid demum homo moraliter animatus agit, agat id cum Religione, h. e. intuitu Sublimioris suae destinationis, in Regno Dei consequendae.

Obs. Homo, intuitu summi Boni efficiendi, duplici ratione restrictus est, partim, quod Natura ab eo prorsus independens sit, ut exiguissimam tantum eius particulam, ad fines Rationis consequendos valeat accommodare: partim autem, quod cum illa imperium mortis in eundem exercet, adeo superior illo evadat, ut omnem quoque eius, quam hoc in exsistentiae suae loco habet actuositatem, exstinguat. Quamobrem homo, sub potestate Naturae physicae constitutus, tali se Alternativa constrictum videt, ut: aut Ideae moralis Mundi ordinis, summique Boni realisandi simpliciter renunciare debeat, aut conditiones summi Boni externas, eum, valere credere oporteat. Sed prius salva Ratione, salvaque morali Conscientiae obligatione facere nequit: ergo, cre-

dendum ei est, realitatem conditionum summi Boni externarum, ut ut eae, theoretice demonstrari nequeant, simpliciter et inevitabiliter sumendam esse.

Obs. 2. Exsistentia Dei, est conditio externa moralis Mundi ordinis primaria. Nam cum Natura rerum, quoad exsistentiam suam, ab homine prorsus independens est: intelligitur, quod si homo, in omnibus, pro supremo, ultimoque Principio Naturam solam physicam adsciscat, effectionem summi Boni, penitus impossibilem debeat iudicare. Contra vero, si pro ultimo omnium omnino rerum Principio, Deum sumit, velut Ens summum, idque et omniscium, quod nihil plane lateat, et sapientissimum, quod optimos semper fines eligat, optimaque media, (instrumenta) ad eos consequendos ordinare noverit, velitque, et omnipotens, quod infinita, irresistibilique sua vi, non tantum Naturae physicae universae praevaleat, sed eventus quoque physicos quoslibet, ad fines morales dirigere, accommodareque valeat, et Ens sanctissimum, quod ut, moralis perfectionis Ideale, Moralitatem, summum quippe Entis cuiusque moralis finem velit quam maxime: non amplius dubitabit, imo ne dubitare quidem poterit Exsistentiam Dei principem conditionem, externam esse, et moralis Mundi ordinis obiective, et Beatitatis quoque hominum subiective.

Immortalitas animorum, est secunda conditio externa, moralis Mundi ordinis. Cum enim adaequata Indolis practicae, cum Lege morali congruentia, Sanctitas est, Sanctitatem vero, nullum Ens rationale, sensualitati obnoxium, in ullo exsistentiae suae momento adsequi potest, et tamen illa, eo non obstante, per Rationem ipsam, in officium ei statuitur: facile consequitur eum, duntaxat infinitâ ad eam accessione, quae nullis temporum circumscripta sit limitibus, posse ad effectum perduci. Sed infinita haec, in cultura nostri morali elaboranda, ad Sanctitatem accessio, nonnisi ita possibilis est, si Exsistentia, Personalitasque nostrimet, infinita polleat duratione, nullis temporum vicissitudinibus limitata, et constricta. Consequenter, infinita Identitatis Subiecti nostri moralis duratio, seu Immortalitas animorum, cum Lege morali, indivulso nexu cohaeret; proinde, quemadmodum Obligatio Legis moralis certa est, ac indubitata: sic de Immortalitate animorum, salva Auctoritate Legis irrefragabili, minime dubitandum est.

Praeter duas has, Exsistentiae Dei, Immortalitatisque, conditiones summi Boni externas, tertia quoque conditio, sed ea interna, Libertas scilicet moralis suum sibi locum vindicat. Enimvero, quia de hac materia nunc statim (§. 82) actum est: sufficiat hic eandem attigisse solum uno verbo.

Obs. 3. Exsistentia Dei, et Immortalitas animorum humanorum, nulla speculatione theoretica potest demonstrari. Nam, quamquam in Natura, magnam rerum finalitatem, in hac vicissim, varia admirandae potentiae, sapientiae et bonitatis vestigia deprehendere liceat: attamen, haec omnia, imperfectiores, accurate meditantibus suppeditant Praemissas, quam ut ex iis Exsistentia Entis infiniti. Omnipotentis, Sapientissimique Creatoris queat deduci, quin in Conclusione plus sit, quam fuit in Praemissis; si quidem, iidem ipsi, qui tali ratione aut argumentantur, aut huic argumento multum deferunt, vix particulam Universi minimam, et ne eam quidem perfecte cognoscunt, quam ex

toto, non dico cognoscere, sed comprehendere deberent, ut argumentum hoc Physicotheologicum, propriis nixum fundamentis, e voto succederet.

Pariter, quamquam initia in nobis adsint, quae in homine, et humanitate, infinitae cuiusdam evolutionis, ac culturae capacia possint iudicari: attamen, hanc evolutionem ac culturam, per se optabilem, ac nemini non speratam, re ipsa, locum aliquando habituram esse, absque vitio saltus, speculando quidem elicere nequimus, nisi praeter siccam Speculationis theoriam, spes solvendi Problematis, aliunde effulgeret, puta ex morali Naturae humanae constitutione, quam bene considerranti, oppido patebit, soli Rationi practicae relictum esse, ut tam Exsistentiam Dei, quam etiam Immortalitatem animorum, irrefragabili, sed eo practico, possit probare argumento.

Obs. 4. Persuasio de Exsistentia Dei et Immortalitate animorum humanorum, Fides, practica tamen, seu moralis Fides appellatur; eo quod ea, non solam Verihabitionem theoreticam, sed actionem cum certa fiducia involvit, id scilicet, quod Ratio, pro unice possibili, realisandi (efficiendi) sui Postulati conditione recognoscit, re vera exstare, licet Realitas isthaec, perspici modo speculativo, demonstrarique intuitive non possit. Certe exstat haec Fides, et sine prolixo negotio, exsistit ea sponte, in animo eius, in quo Ratio et Conscientia vel mediocriter evigilarunt. Atque haec quoque ratio est, quod Fides Dei, Immortalitatisque, tam longe lateque, quid? quod universaliter inter homines propagari potuerit, ut ea, apud rudissimos quosque populos peraeque, licet in variis gradibus, inveniatur, — haec est ratio, quod ipsi animi pueriles eam, tam cito, tamque libenter concipiant, ut ea, ubi semel illam inaudiverint, prorsus carere nolint, — haec denique ratio est, quod nec falsis speculationibus, nec perversa hominum male feriatorum malitia ac studio, potuerit illa unquam eradicari. Practica haec illa fides est, ex qua exsistit Religio, seu moralis summi Numinis, tanquam Supremi Legislatoris Universi Cultus; haec illa fides moralis est, cui Ecclesia, seu visibilis hominum status ethicus, ad repraesentandum Regnum Dei morale in his terris, velut saxo immobili superstructa est.

Obs. 5. Theoria Summi Boni, quam Kant in Critica Rationis proposuit, gravibus premitur difficultatibus, quales sunt v. c. quod summum Bonum ultimus Rationis finis esse debeat, adeoque eius effectio ab ipsa Ratione praecipiatur, cum tamen Critica manifeste doceat, Felicitatem Objectum Praecepti esse non posse; — quod Felicitas, quam Critica tradit, quippe prosperitas omnimoda (extensiva, intensiva, protensiva) sit Idea chimerica, qua potiri non liceat, ut quo quis magis moralis fuerit, eo minus indigeat Felicitate, — quod si Felicitas Moralitati aliquando approportionanda, ultimus Rationis finis est, fieri nequit, quin Felicitas summam rei efficiat, Virtusque nonnisi in instrumento sit, eam nobis comparandi; — denique, si Exsistentia Dei, ex Principio Felicitatis possit et debeat derivari, Deum in solum Sensualitatis Ministrum degradari oporteret, contra quam repraesentandi rationem, adeo Fichte intonuit, ut diceret, hac ratione Deum in Idolum converti.

Theoria Summi Boni Fichteana multo minus probari potest, quam illa Kantii. Asserit scilicet Fichte, ipsum moralem Mundi ordinem esse Deum, unde Deum substantialem negat, licet postmodum, crimen Atheismi ei obiectum, distinctione, inter ordinem ordinantem, ordinemque ordinatum diluere sategerit. Enimvero distinctione hac, exspectationi haud quaquam satisfactum est, cum Ordo ordinans, in τῷ Ego, Ordo ordinatus in Resultato efficientiae τοῦ Ego absolveretur. Quare, quemadmodum Materialismus consequens in Pantheismum, ita Idealismus Fichtei necessario in Autotheismum degeneravit.

PARS II. Methodologia.

§. 85. Introductio.

Methodologia Philosophiae Fundamentalis, duabus continetur Sectionibus, quarum prior, Methodologiam Didacticam, posterior, Architectonicam complectitur. Methodologia Didactica, varias philosophandi methodos, utpote dogmatisticam, scepticam et criticam, pro vero earum valore investigat: Methodologia vero Architectonica, modum monstrat, quo scientificum quoddam Totum, ex partibus Philosophiae omnibus, velut Aedificium Philosophiae construendum sit, idque Ideae organici cuiusdam Totius congruenter.

SECTIO I. Methodologia Didactica.

§. 86. Argumentum Methodologiae Didacticae.

Cum finis functionis philosophandi, in eo positus sit, ut quoad eius fieri potuerit, ad solidam, certamque Persuasionem eluctemur: intelligitur, in Didactica hac philosophica, principio quidem varia Verihabitionis genera, et qui iis respondent, Gradus Persuasionis explicare oportere, ut postmodum, inter varias philosophandi Methodos, ea prae caeteris designetur, a qua summus Cognitionis gradus, potuerit exspectari. Proinde Methodologia, in duo haec Capita, videtur esse distribuenda.

CAPUT I. De Generibus Verihabitionis, Gradibusque Persuasionis.

§. 87. Verihabitio.

Verihabitio universe, nihil aliud est, quam Recognitio valoris Iudicii cuiuspiam. Nam veritas proprie, non ad Repraesentationes, aut Conceptus, quâ tales, verum ad illa ipsa Iudicia refertur, quibus hi, aut illae coniunguntur, vel separantur. Quodsi rationes, id genus coniunctionis aut separationis, in promtu sunt, quae a iudicante ipso pro validis recognoscuntur: tum is Iudicium pro vero habet, nulla eius habita ratione, utrum eae, ab universis iudicantibus pro validis haberi debeant, an a se ipso tantum, pro talibus recognoscantur.

§. 88. Assensus Persuasionis.

Cum hac valoris Iudicii recognitione, Tactus simul Approbationis, quod sic et non aliter iudicaverimus, coniunctus est, quem Assensum vocant. Est scilicet Assensus, propria quaedam Complacentiae species, in vera Cognitione percepta, nullo respectu habito, utilis ne illa nobis fuerit, an minus? Per Naturam enim Invitamentum capimus ex Vero: contra Error et Falsitas, in se, et per se, nobis displicent, etiamsi interdum et casu, utilitas quaedam inde, ad nos redundare videatur. Quid? quod possit esse cognitio aliqua, nobis certo respectu iniucunda, ut tamen ei Assensum praeberemus, simulac Iudicium nostrum latum, pro valido recognosceremus — manifesto argumento, Assensum a relatione Cognitionis ad Tactum Voluptatis Taediique, prorsus esse immunem

§. 89. Persuasio, seu Convictio.

Si Assensus constans diuturnusque est, is animi status inde exsistit, qui Convictio, seu Persuasio (sensu lato, qui etiam vanam in se comprehendit Persuasionem) appellatur, et in stabili conscientia valoris Iudicii lati inest. Nam, si Conscientia isthaec vicissim repente exstinguitur, h. e. si Conscientia Assensum suum modo adhibet, modo revocat: tum vero dici nequit nos fuisse persuasos, sed persuaderi duntaxat incepisse, neque tamen ad actualem Persuasionem devenisse, eo quod haec longiori aut breviori tempore continuandum Assensum praesupponat.

Obs. Cum Valor Iudicii sentiri, aut Tactu percipi nequit: profecto neque Persuasio, Tactus, aut, Sensus Veritatis, dici potest. Sensus ille Veritatis, qui vulgo dicitur, nonnisi conscientiam rationum Iudicii innuit, quae tamen nondum ad distinctam cognitionem evecta est; ut caussas Persuasionis singillatim exponere queat: contra Convictio ipsa, nunquam non Resultatum est efficacitatis superioris cognoscendi Facultatis, cui sensatio, nonnisi materialia potest suppeditare, ad effingendum illud Iudicium, de cujus veritate persuasi sumus. Quemadmodum ergo Functio iudicandi, non Sensualitatis functio esse putanda est: sic valor quoque Iudicii, Tactu percipi, aut sentiri nequit, sed ab Intellectu et Ratione tantum recognosci. Ubi autem his locus non est: ibi Perceptio quidem adesse, sed Persuasio de Veritate, nulla esse potest.

§. 90. Varii Persuasionis Gradus.

Ut variae sunt Verihabitionis Species: sic Gradus quoque Persuasionis, cum ea coniunctae, varii sint, necesse est. Gradus Persuasionis scilicet, Verihabitionem sequitur, ut v. c. fortior sit Persuasio, si quid scias, aut credas, quam si opineris tantum, idque falso, quantumvis in omnibus his casibus, aliquid, licet diversa ratione, pro vero habeatur.

§. 91. Varii Conscientiae Gradus.

Species Verihabitionis, per varias rationum illarum species determinantur, a quibus Verihabitio pendet: Gradus vero Persua-

sionis, per varios illos Conscientiae Gradus determinantur, quae in consequentiam rationum illarum, de valore Iudicii obtinetur et informatur.

§. 92. Persuasio certa et incerta.

Rationes Verihabitionis, aut sufficientes sunt, aut insufficientes, pro eo ac, aut plenam et perfectam, aut minus plenam, et imperfectam progignunt de valore Iudicii conscientiam. Conscientia vero, de valore Iudicii plena, s. perfecta est, si ea cum cogitatione necessitatis eius, de quo persuasi sumus, coniuncta est, proinde de possibilitate contrarii ne solliciti quidem sumus: in partem contrariam Conscientia est imperfecta. Hinc Persuasio quoque in casu priori plena, seu certa, in posteriori autem minus plena, seu incerta, dicenda est.

Obs. Persuasio, quae modo plena erat, ac certa: potest fieri postmodum minus plena, ac incerta, et vicissim, eo quod, conscientia rationum Verihabitionis mutabilis est: Sic in variis Subiectis, Persuasio, de una eademque re, quoad gradus, potest esse diversa.

§. 93. Sufficientes Verihabitionis rationes.

Sufficientes Verihabitionis rationes sunt, aut obiectivae, h. e. rationes per Obiectum ipsum, secundum legalem eius repraesentabilitatem, et cognoscibilitatem determinatae, quales sunt, v. e. Perceptiones sensibiles, et Leges cognitionis: aut Subiectivae h. e. rationes, extra Obiectum, et Leges cognitionis positae, quales sunt v. c. inclinationes, indigentiae, Testimonia. Verihabitio ex rationibus obiectivis orta, est Scientia, ei respondet, ut gradus Persuasionis Evidentia; Verihabitio ex rationibus subiectivis percepta, est Fides: ei respondet Persuasio, Fiducia dicta. Itaque Evidentia obiectivam, Fiducia Subiectivam innuit certitudinem.

Obs. Certitudo, quam vocant demonstrativa, cuius species est certitudo mathematica, seu geometrica, est peculiaris certitudinis obiectivae Species: quemadmodum certitudo moralis, certitudinis Subiectivae Species est, cum probabilitate minime confundenda.

§. 94. Insufficientes Verihabitionis rationes.

Insufficientes Verihabitionis rationes sunt, aut reales, h. e. in se, et per se consideratae, validae rationes, quae tamen plenam, ac certam Persuasionem progignere nequeunt, v. c. rumores incerti: aut imaginariae, h. e. in se, et per se consideratae, minime validae rationes, quae tamen per speciem, semet animo, pro realibus rationibus obtrudunt, v. c. somnium. Verihabitio ex insufficientibus, sed realibus rationibus concepta vocatur Opinio, cui nomine Persuasionis respondet Probabilitas. Verihabitio ex insufficientibus rationibus sumta, simulque imaginariis obtenta, est Opinio vana, cui titulo Persuasionis respondet, vana Persuasio.

Obs. Species Verihabitionis, sensu latiori, sunt quatuor, putas Scientia, Fides, Opinio, et vana Opinio, quibus totidem Persuasionis gradus respondent, utpote: Evidentia, Fiducia, Probabilitas, et vana Persuasio. Si tamen vocem Persuasionis sensu strictiori sumas, nonnisi tres sunt Persuasionis gradus, nam tunc falsa Persuasio, verae Persuasioni, seu Convictioni opponitur. Quamdiu autem falsa Persuasio durat: constans est in animo de Valore Iudicii conscientia. Caeterum et Verihabitionis et Persuasionis species dictae, plures gradus intermedios admittunt: sed quae distinctis nominibus, ob penuriam Linguae enunciari non possunt.

§. 95. Scientia.

Cum Scientia sit Verihabitio, quae in cognitione Obiecti, sufficienter fundata inest, h. e. rationibus obiective sufficientibus nititur: profecto rationes hae, etiam subiective universales effici possent. nisi in quibusdam Subiectis, fortuita quaedam Assensus impedimenta, adessent, qualia sunt v. c. defectus comprehendendi, indoles mala. Quare ut rationes theoreticae, in animum semet insinuare, et realem progignere possint Persuasionem, Receptivitatem Subiecti illus supponunt, quod rationibus obiective sufficientibus ad id determinandum est, ut quidpiam pro vero habeat.

§. 96. Scientia empirica et rationalis.

Scientia, aut empirica est, aut rationalis. Scientia empirica est, si, et in quantum illa, ex sensibili Perceptione exsistit, proinde immediate ab Experientia dependet: Scientia autem rationalis est, si, et in quantum ea, per spontaneam Intelligentiae actuositatem progignitur, proinde immediate, ab ipsa Ratione pendet. Quod sensibus percipitur, est evidens, et obiective certum, quemadmodum etiam id, quod secundum universalia et necessaria Principia, aut etiam ex iis cognoscitur. Certitudo prior monstrativa, seu dictica, posterior demonstrativa, seu apodictica potest appellari.

Obs. Scientia empirica, mediate a Ratione quoque, quemadmodum Scientia rationalis, mediate, ab Experientia quoque, pendere putanda est. Nam Scientia empirica, absque Ratione, nihil aliud foret, quam Aggregatum impressionum, non cohaerentium, et Ratio vicissim, absque Experientia, haud quaquam posset in actuositatem excitari. Nihil est in animo humano ita separatum et abstractum, quemadmodum hoc in Speculatione instituitur, sed quidquid est, id invicem cohaeret, et unum ab alio reciproce pendet. Scientia empirica cognitio quoque ex datis, rationalis autem cognitio, ex Principiis nominatur. Utraeque hae Scientiae Species, in pluribus Scientiis mixtim adsunt, unde illae, Scientiae empirico-rationales nuncupantur.

§. 97. Scientia mathematica et philosophica.

Scientia rationalis, aut mathematica est, aut philosophica. Scientia mathematica est, si, et in quantum ex intuitiva, philosophica autem, si, et in quantum ex discursiva Conceptuum constructione, exsistit. Quare, certitudo demonstrativa,

quae Scientiae rationali competit, partim mathematica, seu geometrica, partim vero philosophica est. Et quia Demonstratio quaeque in Mathematica, propter claritatem sensibilem, quae eam comitatur, maiori cum Evidentiae gradu coniuncta est: interdum etiam per eminentiam, Certitudo mathematica, demonstrativa appellatur, licet haec proprie Genus, illa Speciem constituat.

Obs. Conceptum construere significat, internam eius materiam ita repraesentare, ut id, ad quod is refertur, animo, quasi re vera praesens offeratur. Id si ope Imaginationis efficitur, Constructio est intuitiva: sin autem sola vi cogitandi perficitur, Constructio est discursiva. Constructio intuitiva in Mathematica locum habet, cum haec Conceptus suos quantitativos, veluti Numerum, Figuram, Motumque in Spatio et Tempore exhibet, idque a priori. Mathematicus *το* Universale, seu Conceptum in particulari, seu individuali Schemate intuetur, unde summum quoque Evidentiae scientificae gradum consequitur.

Hoc in negotio Philosophus Mathematicum sequi e vestigio non potest, cum is, Conceptus suos, sola cogitandi vi construat, eo quod ii, non ad *το*, in Spatio et Tempore repraesentabile, sed ad obiecta intellectualia referuntur. Unde Philosophus Abstractione sua, supra particulare et individuale, (*το* datum) semet extollit, et duntaxat ad Universale (Leges) reflectit, cogitatque illud nonnisi in et per hoc in abstracto. Quamobrem, quamquam certitudo demonstrativa in Philosophia non sit impossibilis, eam tamen difficilius licet in Philosophia, quam in Mathematica, consequi: unde etiam evidentia, minus in illa locum habet, quam in hac. Consequenter haec inter alia ratio est, — nam plures quoque caussae possent allegari — cur in Territorio Philosophiae, tam parum Philosophi inter se consentiant.

§. 98. Scientia materialis et formalis.

Ex functione sciendi, significatione formali, Scientia exsistit. Scientia scil. in significatione materiali sumta, est ipse sciendi actus, seu *το* scire, v. c. cum dicimus, hunc aut illum eventum nos scire: in significatione autem formali, illa est, complexus systematicus cognitionum evidentium. Quare Evidentia sciendi ab Evidentia scientifica distinguenda est: illa Scientiae sensu materiali, haec eidem, sensu formali competit. Illa Evidentia materialis, haec formalis potest appellari.

Obs. Evidentia Sciendi, in cognitionibus empiricis, ex vivacitate et varietate impressionum determinatisque, per has. Perceptionibus exsistit, quae caussa est, cur Observationes et Tentamina solerter instituantur, repetantur, oculi armentur, etc. in cognitionibus autem rationalibus, eadem Evidentia sciendi, exsistit, ex Perspicuitate, et determinatione Conceptuum definitiva, in quantum ii intuitive, aut discursive construuntur; quae etiam ratio est, cur cogitationes quoad materiam crebrius examinentur, et ultima simplicissimaque elementa, ac Principia summa excutiantur. Sed Evidendia scientifica simpliciter ex systematica cognitionum ordinatione, deductioneque earundem ex Principiis sumtis consequente, exsistit. Quare, tota quanta Argumentationum

concatenatio, progressive et regressive percurrenda, ac percensenda est, ut de nexu Conclusionum cum Praemissis, persuadeare. Quodsi Principia ipsa sumta, non certa ac evidentia sunt: tum vero potest Scientia, ut ut Evidentia scientifica polleat, Evidentia sciendi destitui.

§. 99. Fides — subiectiva et obiectiva.

Fides est Verihabitio, quae non quidem obiective, subiective tamen sufficienter valida est, h. e. est illa ejusmodi Verihabitio, quatenus quidpiam ob rationes subiective sufficientes, sumimus, proinde, sine reali Obiecti cognitione: attamen, est aliquid, quod intuitu eius, pro valido recognoscimus. Consequenter, Fiducia, cum Fide coniuncta, subiectivam certitudinem innuit, vi cuius, non obstante defectu Evidentiae, minime dubitandum putamus. Sed Fides, iam hanc ipsam Fiduciam arguit, iam autem id, de quo persuasi sumus: sensu priori Fides subiectiva, sensu autem posteriori Fides obiectiva exsistit.

Obs. Ut Subiectiva quaedam Verihabitio, universe locum habeat: nulla ei Scientia opponi potest. Neque enim id, per rationem Subiectivam ullam, pro rato et firmo habendum est, cuius Oppositum, obiectiva quadam ratione pro valido determinatum est, v. c. Cum sciam te hodiedum vivere, eo quod te videam, tecumque loquar, non possem credere, ante annum, mortuum iam te esse, etiamsi testibus fide dignissimis, contrarium evinceretur.

§. 100. Fides universalis.

Si rationes Persuasionis Subiectivae, pro omnibus omnino Subiectis, Persuasionis capacibus sufficiant: tum Fides est omnimode valens, seu Universalis, h. e. Rationi congruenter, a quolibet potest postulari: sin eae duntaxat, pro hoc, aut illo Subiecto valent, tum vero Fides est particularis, nec a quolibet salva Ratione contendenda.

Obs. Rationes credendi, pro omnibus Subiectis, Persuasionis capacibus, tum demum sufficiunt, si subiectivae Persuasionis conditiones, aut in omnibus Subiectis peraeque reperiantur, eo quod, ad originaria eorumdem initia spectant, aut conditiones sunt unice possibiles, sub quibus possit quispiam, ad Persuasionem, de re aliqua pervenire. Sic v. c. Postulatum Rationis practicae, de ultimo eius fine efficiendo, est ratio credendi omnimode valens, cum quisque homo, non plane ferus, aut depravatus, Postulati hujus conscius esse debeat. Sic testimonium Scriptoris fide digni, de eventibus sui temporis, est universalis credendi ratio, nam sine tali testimonio, Convictio foret imposibilis.

§. 101. Fides propria et historica.

Peculiares Fidei species, nonnisi per rationes illas, invicem discernuntur, quibus ad credendum quisquam impellitur. Scilicet rationes hae, aut in Subiecto ipso et solo illo, quod credit, et per se ipsum persuasum est, inveniuntur; aut simul etiam in peregrino aliquo Subiecto, cui credimus, et cuius Enunciato persuasi sumus; quando quidem illud tale, de Persuasione sui testimonium perhi-

bet, cui fidenter credere liceat. Casu priori Fides propria, αυτοπιστις, casu autem posteriori, Fides historica exsistit.

§. 102. Fides privata.

Fides propria est id genus Persuasio, quae in Subiectiva Persuasi qualitate posita est, atque ex duplici fonte, scilicet, a posteriori, auta priori potest exsistere. Scilicet Fides propria, si certis quibusdam empiricis, seu a posteriori suppeditatis, proinde peculiaribus, et fortuitis humanae naturae modificationibus nititur, consequenter eiusmodi determinationibus, quae duntaxat certis Subiectis propriae sunt, Fides privata nuncupatur.

Obs. Fides propria privata, vicissim in plures alias species dispescitur. Quisque fere homo, suam privatam habet Fidem, quae tamen simulac ex altiori Principio recte consideratur, in sola Opinione, falsaque Persuasione, inesse deprehendetur. Pro multitudine mox Subiectorum, huic Fidei addictorum, vicissim novis divisionibus erit obnoxia Fides propria. Scilicet alia est Fides individualis, quae unius Personae est, alia particularis, quae plurium, quo referuntur: Fides Familiarum, Sexus, Status Sodalitiorum, Nationum, Religionum etc.

§. 103. Fides communis.

Fides privata, si originariis, seu a priori datis, proinde universalibus ac necessariis Naturae humanae determinationibus innititur, Fides communis et non vulgaris appellatur, cum haec, nunquam non particularis est, illa autem, cum tali Persuasione coniuncta est, quae universali valore pollet.

Obs. Fides communis, in certa quadam Temporis Periodo, potest adhuc esse privata, eaque, aut individualis, aut particularis, si propter impedimenta fortuita, nondum in omnibus Subiectis, potuerit explicari. Sic. v. c. Fides Immortalitatis, quemadmodum etiam Fides in Deum, initio Fides tantum Sapientum fuit, ut nonnisi successive potuerit, ad Fidem communem eluctari.

§. 104. Fides rationalis — theoretica et practica.

Fides communis, Fides quoque rationalis appellari potest, eo quod caussam et principium, in ipsa ratione habet, proinde ab omnibus, qui modo Ratione praelucente, eique congruenter iudicant, pro valida debet respectari. Quare Fides communis, plena certitudine pollet, quamquam nonnisi subiectiva, quae Fiducia dicitur, quandoquidem Ratio intuitu Obiecti Fidei, Evidentia destituitur. Et quia Rationalitas, iam theoretica, iam practica est: Fidem quoque rationalem partim theoreticam, partim practicam esse oportet, Pariter fides practica, sensu latiori sumta, in Fidem proprie practicam, seu moralem, et pragmaticam dispescitur.

Obs. 1. Invitamentum Rationis speculativum, potest animum ad hoc determinare, ut pro vero habeat id, de quo tamen nullam obiectivam habet cognitionem. Scilicet, simulac intuitu certi cuiusdam Pro-

blematis theoretici, unica responsione Rationi satisfit: illico propensi sumus ad hanc, pro vera, recipiendam, quantumvis eâ, nullam evidentiam in rem ipsam consequamur. Quaeri v. c. potest: Qui fit, quod in Mundo, tam admirandam ubique conspicimus Finalitatem, Ordinem, ac Pulchritudinem rerum? cumque illa ex viribus mere mechanicis, chemicisque comprehendi nequeat: vires hae mechanicae chemicaeque ipsae unde exstant? Si, quidquid est, fortuito est: tum vero permultum necessitatis rebus Naturae inest; sin necessitate omnia fiunt: profecto multum, imo nimium quantum, in iis, Casus dominatur. Quare, cum Speculatio ex his se quaestionum laqueis, prorsus extricare nequeat, maxime Rationi congruum videtur, rationalem quemdam, iuxtaque liberum Mundi Auctorem sumere, ac credere. Fides haec rationalis, speculationi innixa, Fides quoque doctrinalis appellari potest. Enimvero, quia contra hanc Fidem doctrinalem, ab ipsa Speculatione, quae qua talis, nullos limites agnoscit, plurimae, eaeque graves, imperviaeque solutioni difficultates, obmoventur: sine negotio intelligitur, Fidem doctrinalem, Fide practica, velut praesidio muniendam esse, cum sola haec sit, quae independenter a Speculatione, dubia quaeque speculativa feliciter possit repellere, atque enodare.

Obs. 2. Quemadmodum Fides theoretica, ex Speculativo, ita Fides quoque practica, ex practico exsistant invitamento, necesse est. Enimvero, quia invitamentum practicum, aut fines Prudentiae, aut fines Moralitatis attingit, ac spectat: patet duplicitate horum finium, duplicem quoque Fidem, in homine excitari, videlicet, ex finibus Prudentiae politicae, Fidem pragmaticam, ex finibus autem Moralitatis, Fidem moralem emergere.

Est scilicet Fides pragmatica, fiduciae plena sumtio eius, quod in conditione consequendi finis Prudentiae, versatur, v. c. Mercator, qui certam negotiationem ingredi meditatur, cum fautrices quasdam circumstantias, ad suum finem requirit, agere putandus est, ex fide, illas re vera eventuras esse. Sed cum id genus finis agendi, non absolute necessarius est, sed politicus, et contingens tantum, solam Prudentiam respiciens: sane effectus quoque huius praestari nequit, proinde contrarium eius, quod pragmatice credimus, nobis ipsis non repugnantibus, semper possibile est.

Longe aliter se habet Fides moralis. Hic scil. finis agendi est ethicus, puta ultimus Rationis practicae finis, adeoque moraliter necessarius, h. e. irrefragabiliter per Rationem imperatus, cuius respectu, deinde etiam id, sumi simul debeat, absque quo effectio finis huius, cogitari omnino nequit. Est ergo Fides moralis, Fiduciae plena sumtio eius, quod in conditione assequendi finis, absolute necessarii Rationis practicae, versatur. Homo itaque conditiones has practice credit, h. e. fidenter agit, e sumtione Realitatis talium conditionum, nec se ullis dubiis speculativis, in sua fide turbari patitur, cum finem sibi necessario imperatum, intra se sentit. Quamobrem Fides practica, seu moralis, non in sola actione inest, nam agere non est credere, sed neque etiam in mera theoretica Verihabitione versatur, cum sic dubiis speculativis foret abnoxia: sed est Verihabitio eum functione agendi necessario coniuncta, et ex legitima actione necessario resultans, quae

proinde, ob hanc ipsam originem indubia, et in summo gradu, fiduciae plena esse censenda est.

§. 105. Fides historica — materialis et formalis.

Fidei rationali, Fides historica, opponitur. Cum scil. rationes Verihabitationis subiective sufficientes, Persuasionem Subiecti peregrini spectant, proinde ideo aliquid pro vero habemus, quia alius aliquis, de eadem re persuasus, clarum de sua convictione, testimonium perhibuit, Fides historica appellatur. Haec quoque Fides historica duplex est, materialis scilicet, et formalis. Fides enim historica, aut ad actuales res facti h. e. ad Obiecta sensibus perceptibilia refertur, de quibus notitiam aliquis suppeditat, aut idoneum et grave edit testimonium; ubi itaque Fides ipsa, quoad materiam historica est, et per eminentiam, seu, simpliciter Fides historica potest nuncupari: aut ad veritates Rationis, Fides historica refertur, h. e. ad Obiecta, quae proprie sensibus percipi nequeunt, de quorum tamen realitate, propter testimonium peregrinum, persuaderi nosmet patimur; ubi proinde Fides, duntaxat secundum formam historica est, si quidem hic *to* rationale, ut historicum quidpiam, tractatur.

§. 106. Fides historico-materialis.

Fides historico-materialis, iure suo, omnimode valens esse putanda est. Nam de rebus, quae sensibus percipi queunt, et quas nos ipsi haud percepimus, quales sunt videlicet eventus pristini, nonnisi testimonio peregrino, doctis ac persuasis, notitiam habere licet. Si ergo testis fide dignus est, h. e. si ad accuratum testimonium sancte perhibendum, et facultatem et honestam voluntatem attulit, ut veritatem dicere, et possit, et velit: procul dubio meretur, ut quod enunciat, pro vero habeatur, recipiaturque. Enimvero, cum iudicium de fide dignitate testis, nunquam ad plenam certitudinem evehi queat, fidesque historica materialis in mediata scientia empirica insit, imperfecta est: intelligitur eam nonnisi in summa versari probabilitate.

§. 107. Fides historico-formalis.

Fides historico-formalis, nonnisi tum demum pro valida habenda est, cum veritates rationales, quibus illa nititur, re vera veritates sunt, et si credens, in quantum, id per subiectivas eius qualitates fieri potest, ipse eas explorat, ac investigat, peregrinumque testimonium, duntaxat instrumenti loco sumit, ad certas Rationis veritates, in se ipso excitandas, et confirmandas. Quare fides historico-formalis, fidei rationali, praecipue Fidei morali-religiosae, vice Subsidii ad Introductionem inservit; verum tamen, si, quod merum instrumentum esse debet, in finem ipsum constituitur: facile potest evenire, ut fides historica, in coecam fidem superstitionemque degeneret,

Obs. Fides historico-formalis proprie, ad omnes veritatum rationalium species pertinere potest. Sic. v. c. potest aliquis theorema

quoddam mathematicum, imo totum quoque Systema philosophicum, propter Auctoritatem asserentis recipere, si modo notum illud: Ille dixit (αυτος εφα) Subjecto, sufficientem Verihabitionis rationem, praestat. Locum habet autem vel maxime haec Fides, intuitu veritatum morali-religiosarum, quippe quae sunt proprie, Fidei rationalis obiecta. Scil. cum in certis Subiectis, velut pueris, populisque incultis, nondum Ratio maturitatem consecuta est, adeoque, neque etiam Fides rationalis, in iisdem poterat adhuc explicari: profecto his, Fides historico-formalis adinmenti vicem praestat, ut fides rationalis, ex originariis initiis humanitatis moralibus, paulatim in animis eorum eliciatur, — quae vera esse deberet Tendentia (consilium) omnium quoque institutionum morali-religiosarum. Quare, non modo a Subiectis non postulandum, ut ii explorationi propriae, intuitu institutionum harum renuncient, sed potius ad eam incitandi sunt, cum secus, in iusto liceat esse metu, ne fides haec historico-formalis, in brutam fidem convertatur.

Obs. 2. Fides, quam vocant, revelata, subiective sumta, nihil aliud est, quam Fides historico-formalis, licet simul quoad eventus ipsos, quos in se continet, historico-materialis esse videatur. Proinde Fides revelata, duplici fundamento innititur, puta historico et rationali. Et quia fides revelata, Fidem Mundi suprasensibilis supponit (sumit) et tota quanta ad eam, in nobis excitandam, nutriendam, et confirmandam instituta esse debet: intelligitur eam non omni habitu historico exuendam esse, neque etiam το rationale, ex ea esse secludendam, nisi id agas ut ea in crassissimam permutetur superstitionem. — In quantum autem fides rationalis, a fide revelata independens est, Fides naturalis vocatur.

§. 108. Fides erronea, Incredulitas, Credulitas, Superstitio.

Fides, cui obiectivae rationes opponuntur, aut cuius rationes Subiectivae haud universales sunt, est Fides erronea, quae, si ad falsitatem eius respicis, vana opinio dicenda est, sin autem ea, et in quantum naturale cum supernaturali confundit, ac permiscet Superstitio nuncupatur. Contra Incredulitas, in vitiosa illa cogitandi ratione inest, cum quis nihil aliud pro vero habere vult, quam quod is ipse, per rationes obiectivas sufficientes, perspexit. Credulitas autem, est id genus vitium, quod ex defectu Intellectus, sive naturalis, sive exculti exsistit, inestque in proclivitate, vel sine rationibus credendi, —, unde Fides coeca, Superstitioque propullulent necesse est.

Obs. 1. Cum Superstitio per hoc ipsum manifestatur, si naturale, cum Supernaturali, aut commiscetur, aut etiam permutatur, idque et intuitu physico et morali-religioso contingere potest: ea duplex est, physicalis puta et morali-religiosa, v. c. qui Cometas futura infortunia praenunciare credit, sensu physicali snperstitiosus est; qui autem credit, abstinentia carnis, et reliquo ieiunio, Deo se placere posse, is sensu morali-religioso, Superstitiosus esse, censendus est.

Obs. 2. Incredulitas a Superstitione essentialiter differt: nam Superstitiosus superflue credit; incredulus iusto minus. Ex Incredulitate, si in indolem transit, Irreligio theoretica exsistit, neque tamen etiam,

et semper practica. Ex Opinione: omnem Incredulitatem, in Irreligionem practicam degenerare, fit, ut Incredulitas longe magis metuatur, quam Superstitio ipsa, quid? quod haec toleratur, favoribusque cumulatur, cum illa Odio habetur, persecutionibusque exagitatur. — Caeterum, cum major pars hominum, ipsa non reluctante experientia, ita comparata est, ut superflue potius, quam iusto minus credat: sane Superstitio longe latius se diffundit, quam Incredulitas, et ob id ipsum perniciosior quoque illa, esse putanda est, quam haec. Quodsi tamen Incredulitas, in ipsam plebem semet infunderet, magnamque eius partem corriperet: tum vero Incredulitas plus, quam Superstitio nocere posset, sublata scilicet, ipsa externa actionum legalitate quoque, h. e. metu et spe. Inde tamen haud quaquam id sequi exsistimandum est, Superstitionem instrumentum esse Moralitatis, cum veram ac genuinam Moralitatem sufflaminet, et exstinguat: sed hoc tantum, et Incredulitatem et Superstitionem in duobus extremis versari, et utrasque, velut perniciosas Moralitatis affectiones, peraeque, et omni studio ac conamine quidem, esse devitandas. — Incredulitas, alia historica est, alia rationalis.

§. 109. Opinio.

Opinio est Verihabitio ex rationibus obtenta, quae in se non invalidae quidem sunt: sed tamen ad plenam, ac certam Persuasionem in nobis producendam, haud sufficiunt: atque per hoc ipsum, a falsa Opinione differt, quod huius rationes, per se invalidae sint, atque imaginariae. Sed ut talismodi Verihabitio, generatim locum habere queat: in primis necessarium est, ne ulla Scientia, aut Fides eidem repugnet. Nam obiectiva et subiectiva ratio sufficiens Oppositi, Opinionem ipsam plane repudiandam, iure meritoque argueret.

§. 110. Coniectura.

Opinionem autem, cum Scientia et Fide, aliqua ratione cohaerere oportet: si quidem defectus id genus Cohaerentiae, indicio esset, Opinionem, nulli validae rationi inniti, proinde in vana Opinione, falsaque Persvasione eandem, versari. Quod si cohaerentia illa, admodum remota est: tum vero Opinio, mera Coniectura vocatur. Quamquam vero Opinio, cum Scientia et Fide, magis minusque cohaerescere debeat: neque tamen Opinionem, sive cum Scientia, sive cum Fide permutare fas est. — Coniecturis in Critica maxime locus est, ad Lectiones variantes Manuscriptorum diiudicandas, Textumque ea tenus castigandum et emendandum. Voces: scire, credere, opinari, vitiose nimis in populari sermone confunduntur, cui, ut Philosophi, emendatiori linguae philosophicae ratione obstruant, multum veritatis, sua interesse, credendum est.

§. 111. Probabilitas.

Quemadmodum in Scientia, Certitudo obiectiva, in Fide, Certitudo subiectiva obtinet: ita in Opinione, sola Probabilitas, proinde mera Incertitudo, locum habet. Sed quia intuitu Persuasionis, nonnisi tunc demum Certitudo possibilis est, si rationes,

quibus ea nititur, plene exhibentur: intelligitur, solam probabilitatem obtinere, si rationes haud plene exponuntur, eo quod tunc ad sufficientem Iudicii soliditatem, aliquid deest, proinde, probe ipsi conscii sumus, locum Opposito relictum esse. Et quia imperfecta haec rationum exhibitio, maior aut minor esse potest: Gradus quoque Probilitatis, plures esse oportet.

Obs. Cum Probabilitas, pro ratione graduum, fortior, aut etiam debilior esse possit: intelligitur vocem Probabilitatis, sensu, iam latiori, iam strictiori sumendam esse. In illo, gradus Persuasionis indicatur, qui Opinioni peculiaris est: in hoc autem Probabilitas Improbabilitati opponitur. Probabilis Opinio illa est, si rationes eius, quod pro vero habetur, rationibus Oppositi praevalens: improbabilis contra illa est, si rationes Oppositi, rationibus Assertionis praeponderant, — ubi tamen, ut Regula habet, non numeranda solum, sed et ponderanda sunt argumenta. Quare, si rationes Opinionis, nonnisi probabiles sunt, tum Probabilitas est composita et vis Persuasionis, eatenus deminuitur: contra vim adquirit Probabilitas, si ea simplex est, h. e. cum rationes Opinionis, certae sunt, atque expeditae.

Hypothesis, est id genus Probabilitas, quae pro actualitate sumitur, ad aliam actualitatem inde explicandam, v. c. Systema Copernicanum. Hypothesis alia probabilis est si ad rem explicandam, et comprehendendam sufficit: contra improbabilis esse putanda est, si ea ad novas Hypotheses subsidiarias recurrit. Caeterum opinari, et Hypotheses fabricare Philosopho, haud quaquam licitum est, sed, aut praecise, pro et contra sciat, necesse est, aut iudicium suum tantisper suspendat. Quia vero Mens humana, ad plenam rerum cognitionem, non simul et semel pervenire potest, sed interdum, Veritatem e longinquo tantum praesagit prospectu: nemo iure suo privandus videtur, Hypothesim, saltim provisorie sumendi, dum res ad apodicticam certitudinem, sensim, sensim ematuruerit.

§. 112. Probabilitas mathematica, et dynamica.

Probabilitas, aut mathematica est, aut dynamica. Probabilitas mathematica illa est, cum rationes, homogeneae, eiusdemque pretii sunt, proinde sola dinumeratione opus habent: Probabilitas autem dynamica illa est, cum rationes heterogeneae, inaequalisque pretii sunt, proinde ponderari inter se, compararique invicem debent. Duntaxat Probabilitas mathematica est, quae calculo possit supputari.

Obs. Non defuerunt, et Philosophi, et Mathematici, qui operam darent, ut Methodum invenirent universalem, gradus Probadilitatis supputandi, velut partem Matheseos intensorum. Enimvero, non observarunt, Methodum illam, in paucis admodum casibus, posse applicari, cum Probabilitas plerumque, non mathematica solum, sed dynamica quoque simul sit. Probabilitas dynamica, in Historia, Critica, Hermeneutica, Politica, Praxi medica, Oeconomia, Negotiatione, in Strategia, aliisque locum habet: sed Arithmetica illa Probabilium, quae Capita Eruditorum exercuit, rarissime posset amplius aliquid efficere, quam ut, quum probabilis, aut improbabilis haec aut illa Opinio fuerit, determinaret.

§. 113. Dubitatio. Suspensio Iudicii

Si rationes, pro et contra sententiam latae, numero et pondere invicem aequales sunt, saltim tales esse apparent: tum exoritur in nobis Dubitatio: sin, nullae adsunt rationes, quibus in alterutram partem pronunciare, cum certitudine liceret, Suspensio Iudicii exsistit, quae quoad effectum, par Dubitationi exsistimanda est. In casu utroque, si tamen Iudicium fertur, vana Opinio, falsaque Persuasio, emergant, necesse est.

Obs. In Dubitatione, quemadmodum etiam in Suspensione Iudicii, minime iudicamus; sed propter causas diversas: ibi quidem propter oppositas sibi rationes determinantes; hic autem ob defectum rationum determinantium. A Dubitatione differt Dubium, quippe quod, ratio est assertioni opposita, atque vocatur etiam Obiectio. Scrupulus est dubium nondum distincte conceptum. Addubitare tantundem est, ac, aut non credere quidpiam, aut id pro improbabili habere.

§. 114. Dubium logicum et transcendentale.

Dubium est aut logicum, aut transcendentale. Dubium logicum, in mera Iudicii Suspensione consistit, exsistitque ex Regula, a Diiudicatione tamdiu cuique abstinendum esse, quamdiu rationes decretoriae, rite fuerint conquisitae, et ponderatae. Dubium autem transcendentale, inest in plena Iudicii renunciatione, exisistitque ex sumtione, cognitionem humanam generatim, solidis Principiis destitui, adeoque, nihil omnino esse, quod cum apodictica certitudine, possit pronunciari.

Obs. Regula Dubii logici, est ad veritatem momenti, quam maximi. Cartesius eam in primis commendavit, unde nomen Dubii Cartesiani: ex quo uno eius Consilio, plus utilitatis ad Philosophiam dimanavit, quam ex tota Philosophiae eiusdem compage. Antiquioribus temporibus Pyrrho, recentiori autem aetate Hume fuit, Dubio transcendentali addictus. Dubium logicum ita vocatur, quia est conditio, logicae perfectionis cognitionum: transcendentale autem Dubium idcirco ita nuncupatum est; quod transcendentalem, seu originariam Subiecti cognoscentis, ad Obiecta cognitionis, relationem attingit. Nihil etiam obstat, quo minus Prius formale, Posterius materiale dubium vocitetur. Dubium materiale, quoad methodum Philosophandi, Scepticismus nominatur.

CAPUT II. De Methodo Philosophandi.

§. 115. Conceptus Methodi Philosophandi.

Nomine Methodi philosophandi, illam Rationis philosophantis in agendo rationem intelligimus, qua ad cognitionem philosophicam, pervenire liceat, certis Regulis congruenter instituendam. Nam cum Regula est, quae actioni unitatem impertit, quae, ut tecum ipse consentias, efficit, quaeve ad Universalitatem adspirat: contra Enormitas his omnibus renunciat, dissidiumque in cognitione parit: patet solam agendi rationem Regulis adstrictam, Methodum philosophicam dici posse.

§. 116. Tres Philosophandi Methodi.

Methodi philosophandi, non plures esse possunt, quam quot sunt ipsa Philosophiae Systemata. Nam cum Systema et Methodus, in arcto quodam nexu mutuo posita sunt, ut quasi in commercio versari videantur, si quidem, nihil magis Naturae consentaneum est, quam ut diversa, a Systemate agendi in philosophando, ratio, diversum quoque progignat Resultatum. Et quia tria sunt cardinalia Philosophiae Systemata, puta: Theticum, Antitheticum, et Syntheticum, seu: Realismus, Idealismus, et Synthetismus: tres quoque in philosophando Methodos locum habere necesse est, videlicet: theticam, antitheticam, et syntheticam, h. e. Dogmaticismum, Scepticismum, et Criticismum.

§. 117. Dogmaticismus.

Essentialis Dogmaticismi, seu methodi theticae character in eo positus est, quod Philosophans, sine respectu ad originarios cognitionis philosophicae limites, id omne pro vero, et certo habet, quod ex certis Principiis, expresse aut tacite pro validis sumtis, legitime deducere sibi videtur, proinde quod is, Principia sibi, pro mero arbitratu ponat, speculationibusque suis, naturales cognitionis limites migrat, proinde transcendenti ratione philosophatur.

Obs. Dogmaticus quisque, functionem philosophandi, semper a certis Principiis auspicatur, omnemque suam postmodum operam, in id confert, ut summa Consequentiarum legitime nectendarum solertia nixus, reliquas suas assertiones, ex positis Principiis valeat deducere, ratus, severam Legis Consequentiarum observationem, internum Systematis valorem, quasi stipulato vadimento, praestare. Enimvero falso. Nam summa quaeque laus observatarum Consequentiarum, mera logica laus esse putanda est; cum dexteritas bene consequentias eliciendi, et concatenandi, solam formam cogitandi spectet, non ipsam materiam cogitationum, de qua tamen hic agitur. Vera philosophandi ratio, non in sola Regularum logicarum observatione continetur, sed in eo, ut Principia vera, et solida pro fundamento Philosophiae ponantur: nam deductio reliquarum Assertionum ex Principio sumto, ipsum Resultatum est formale, et non materiale. Hinc, qui falsa philosophandi Principia adoptavit, etiamsi procedente opere, in suis Deductionibus, legitimaque Consequentiarum inductione accurate versatus est, nonnisi Praemissarum suarum, male positarum, mancipium esse exsistimandus est.

Quamquam autem nemo non, genuinus Dogmaticus, certa in Philosophia Principia ponat, assertionesque suas quaslibet, ex iis, legitime deducere satagat; quia tamen, nullos philosophandi limites habet, observatque, proinde, veris philosophandi limitibus migratis, in Regiones imaginarias invectus, quasi fanatico furore exagitatus, somnia somniis accumulat, in quibus cum nulla obiectivae veritati locus relictus est, proinde dogmatibus quoque nulla certitudo superest: intelligitur characteristica Dogmaticismi iudicia, mero Arbitratu et Transcendentismo contineri, consequenter Dogmaticismum nihil aliud esse, quam De-

spetismum philosophicum. Quare qui rite, ut opus est, philosophari vult: Dogmaticismo simpliciter renunciet, necesse est.

§. 118. Scepticismus.

Essentialis Scepticismi, seu Methodi antitheticae character, in eo positus est, quod Philosophaturus, assertionem quamque philosophicam, quae semet pro vera, certaque cognitione annunciat, impugnat, cum is, possibilitatem id genus cognitionis, universe negat, proinde intuitu philosophico, Iudicio cuivis decretorio, simpliciter renunciat.

Obs. Etsi Scepticismus, proxime contra Dogmaticismum directus est, hic tamen se continere non potuit, sed in dubium transcendentale implicatus est, ut id ipsum: Nihil est certi, pro incerto sumere cogeretur, quemadmodum quidam veterum Scepticorum dixit: Nihil scire posse, ne id ipsum quidem. Unde liquet, Scepticismum, esse Anarchismum philosophicum, cum in universo Philosophiae territorio, nulla secura, ac certa cognitionis Principia concedat. Sed quamquam Scepticismus, nullo pretio absoluto pollet: relativum tamen habet pretium, in eo positum, quod cum flagellum fuerit Arrogantiae Dogmaticorum, perpetuo his fuit invitamento, ut de solidioribus philosophandi Principiis cogitarent, quod et factum est.

§. 119. Criticismus.

Essentialis Criticismi, seu Methodi syntheticae Character, in eo positus est, quod Philosophans, ab una parte, neque pro arbitratu mero, neque transcendenti ratione, res suas agit, verum, cum in primis universalibus Principiis, horumque ope, absolutis cognitionis philosophicae limitibus, potiri satagit, continuo ad utrumque intentus, originarias actuositatis suae Leges investigat, ab alia autem parte, neque quidlibet addubitat, neque pro vero ac certo sumit, quod speciem veritatis, certitudinisque prae se fert, sed assertionem quamque prius, quam eam ut dogma, in Systema Persuasionum suarum cooptaret, diligentissime, atque accurate examinat.

Obs. 1. Criticismus, utriusque Methodi philosophandi praecedentis, errores devitat, et quidquid boni in iis deprehendi poterat, in se complectitur, estque dogmaticus et scepticus simul. Cum Dogmaticismo id commune habet Criticismus, quod hic quoque a Certis Principiis ad Philosophandum eat, sed dum ea constituit, ab omni arbitrio et Transcendentismo se continet. Cum Scepticismo id commune habet Criticismus, quod hic, in omnibus Assertionibus, το pro, et contra maturo iudicio ponderat, neque tamen eo consilio, ut omnem veritatem, certitudinemque ad nihilum redigat, sed ut, postquam quod verum, atque certum esse, severam post indagationem, cognovit, omnem quoque falsitatem, et incertitudinem procul a territorio Philosophiae arceat. Quare Methodus synthetica, proprie, est Methodus zetetica, Criticismusque, verus Republicanismus philosophicus. Nam qui critice philosophatur, neque despotico, neque anarchico, sed spiritu republicano animatus est, cum ei, ut civi Reipublicae philosophicae compe-

tit, ius, universalem Humanitatis Rationem, in sua Persona repraesentandi, suamque Persuasionem, non ut meram Opinionem, sed ut Legem, pro omnibus, qui cogitandi et cognoscendi solide solertiam non defugiunt, concivibus suis proponendi, ac pronunciandi

Criticismus, cum Kanticismo confundi non debet: hic enim semper in vitio ponitur, et sordidam redolet servitutem, idcirco te ita credere, quod Kant, pro et contra, sic pronunciaverit Sententiam. Certe nihil magis Criticismo proprium est, vel ipso Kantio strenue inculcante, quam liberalem cogitandi ac philosophandi rationem, restabilire, et servitutem procul a territorio philosophico non relegare tantum, sed eam exilio quoque perpetuo addicere.

Obs. 2. Quaelibet philosophandi functio, principio dogmatica est, si quidem et limites philosophandi, et carceres philosophicae cognitionis, nonnisi inter philosophandum possunt condisci. Mox ubi Ratio vires speculando collegit, Scepsim auspicata est, brevi eam in Systema simul redigere conata. Tum vero, acre exortum est bellum Dogmaticismum inter et Scepticismum — per multa secula continuatum, oppressum, resuscitatum, — a Criticismo solo ad perpetuam pacem componendum. Scilicet, Humanitas, cui, ad summa quaeque fastigia, a tenuibus semper initiis licebat eluctari, quemadmodum intuitu Religionis, vires suas infantiles, in Ethnicismo, iuvenilem animum in Iudaismo, maturioris denique aetatis robur, in Christianismo periclitata est: sic in philosophandi ratione Infantia Humanitatis Dogmaticismo, fuit occupata, Iuventus Scepsi distracta est, aetas virilis Criticismo fuit reservata.

Obs. 3. Methodus philosophandi, quam vocant eclectica, seu electiva, minime pro nova, eaque quarta Methodo, habenda est, quae potius in defectu inest omnis methodi culpando. Nam Eclecticismus, in eo consistit, quod ex omnibus diversorum Philosophorum Systematibus, varia quaeque, si modo speciem Probabilitatis prae se ferant, corraduntur, idque sine certo Principio. Sed hac ratione, Aggregatum tantum Opinionum heterogenearum, fortuito aut coeco delectu convasatarum exsistat, necesse est, non autem Systema scientificum, Ideae Totius cuiusdam, solido Principio superstructi, respondens. Verbo Eclecticismus, nihil aliud est, quam inanis quidam Syncretismus, seu Miscellionismus, Chaosque Systematum confusum, verbo Koranus ille Philosophicus, cuius ante omnia pudere deceat Philosophum. Certe genuinus veritatum delectus, nonnisi critice potest institui.

SECTIO II. Methodologia Architectonica.

§. 120. Consilium Architectonicae.

Cum critica philosophandi methodo, cognitiones philosophicae, in scientificum quodpiam seu systematicum Totum conformandae sunt: ante omnia, de Toto hoc, Adumbratio quaedam architectonica, videtur esse delineanda. Sed in hac Adumbratione, principio quoque Idea Totius, seu Conceptus Philosophiae, debet explicari: tum vero Ideae huic congruenter, numerus, proprietas, relatioque partium Totius mutua, percenseantur necesse est.

Quare Methodologia Architectonica, duobus Capitibus continebitur, quorum prius Conceptum ipsum, posterius Partes Philosophiae enucleabit.

Obs. Quod de Conceptu, Partibusque Philosophiae, ad calcem demum Philosophiae fundamentalis tractatio adiiciatur: non est cur quisquam insolito hoc, ut videtur, instituto offendatur; si quidem id totum quantum, in ipsa rei Natura positum est. Neque enim Conceptus, et Partes Scientiae cuiuspiam determinari prius possunt, quam, in Principiorum eiusdem Scientiae possessione, fueris collocatus.

CAPUT I. De Conceptu Philosophiae:

§. 121. Conceptus Philosophiae qualis?

Conceptus Philosophiae, velut Scientiae cuispiam peculiaris, a Conceptibus omnium aliarum Scientiarum, unice proprietate cognitionis philosophicae, discernitur.

§. 122. Cognitio philosophica qualis actus?

Cognitio philosophica, actum sciendi, de certo quodam Obiecto, in se comprehendit, atque ex hoc ipso sciendi actu, progigni debet scientia illa, quae Philosophia nuncupatur.

§. 123. Cognitio empirica et rationalis.

Procul dubio, totidem debent esse species cognitionis, quot species actus sciendi repererimus. Atqui actus sciendi praecipue, aut empiricus est, aut rationalis. Ergo cognitionem quoque omnem, aut empiricam, aut rationalem esse oportet.

§. 124. Cognitio philosophica est rationalis.

Cognitionem philosophicam, haud quaquam empiricam esse, per se intelligitur. Nam Philosophus, per hoc ipsum, esse Philosophus censendus est, quod is semet, supra meram Empiriam, Spontaneitate Rationis suae nixus, attollat, atque το originarium, seu το a priori determinatum, tanquam conditionem empiriae, pervestiget inveniatque. Proinde cognitio Philosophi, intuitu essentialis sui characteris, est rationalis.

Obs. Philosophus, functionem philosophandi, ab eo quidem orditur, quod empiricum est, i. e. a rebus in facto Conscientiae positis, tanquam indubitate certis, atque inde methodo regressiva, ascendit ad universalia, inde ad ea, quae sunt a priori, seu ad transcendentalia, velut immediatas Rationis cognitiones, a quibus velut absolutis conditionibus, tota pendet Empiria.

§. 125. Discrimen cognitionis philosophicae a mathematica.

Ut actus sciendi, partim mathematicus, partim philosophicus est: sic cognitio quoque rationalis, aut mathematica, aut philosophica esse putanda est. Quare cognitio philosophica, a cognitione mathematica, per hoc discernitur, quo actum sciendi philosophicum a mathematico distinguimus.

§. 126. Definitio Philosophiae.

Quamobrem Philosophia, sensu formali, est cognitio philosophica, ad gradum Scientiae, seu Systematis evecta, — seu, est Scientia de originaria legalitate, universae actuositatis Mentis humanae, — seu est Scientia, de originaria Forma agendi τοῦ Ego.

Obs. Cum hoc Philosophiae Conceptu, maiorem partem congruunt Definitiones Philosophiae, a variis Philosophis institutae. Nam ex omnibus eorum declarationibus, satis lucide patet, Philosophos, summas ac ultimas Persuasionum et actionum humanarum caussas, illas semper investigasse, quae in cognitione humana, universales ac necessariae esse viderentur. Sed hoc, non aliud est, quam quod nos τὸ originarium, seu a priori vocamus: licet prisci quique Philosophi, id cum empirico confunderent, eo quod finis sui, in quem intenti fuerant, non distincte fuerint conscii. Kantio ergo immortalis illa laus debetur, quod in investigationibus suis transcendentalibus, is primus, post tot secula, verum Philosophiae Characterem delineaverit.

CAPUT II. De Partibus Philosophiae.

§. 127. Philosophia fundamentalis et derivativa.

Systema Philosophiae, in primis, in duas partes cardinales, puta in Philosophiam fundamentalem, seu Archologiam, et Philosophiam derivativam, videtur esse dispescenda. Philosophia fundamentalis est Scientia, de Possibilitate Philosophiae, atque in Principia illa inquirit, decretaque statuit, quae in reliquis scientiis philosophicis valeant, a quibusque eae ipsae pendeant. Hinc Philosophia fundamentalis, vero sensu et absoluto, Philosophia prima est, et reliquarum Philosophiae partium, Organon, — cui Philosophia derivativa opponitur.

§. 128. Philosophia theoretica et practica.

Cum universa Mentis Actuositas, aut theoretica est, aut practica, Philosophiam quoque derivativam, theoreticam et practicam esse opportet. Philosophia theoretica, est Scientia, de originaria Mentis Legalitate, intuitu Repraesentationis et Cognitionis, seu determinationis subiectivi, per obiectivum. — Philosophia practica, est Scientia, de originaria Mentis Legalitate, intuitu nisus, et Actionis, seu determinationis Obiectivi, per Subiectivum.

Obs. Differentia, theoreticae et practicae Actuositatis, in eo ponenda, quod illa immanens, et idealis, haec transiens est, et realis. Caeterum Philosophia theoretica, speculativa quoque vocatur, quemadmodum practica, solet dici, moralis: sed prius stricto, posterius latiori sensu sumendum. Nam in Practica quoque Philosophia speculamur: Doctrina vero moralis, seu Ethica, partem Philosophiae Practicae constituit. Philosophia theoretica, proprie, τὸ necessarium, practica τὸ liberum attingit in actionibus nostris: illa Leges Mentis physicas, haec ethicas proponit.

§. 129. Logica. Metaphysica. Aesthetica.

Philosophia theoretica, in tres Scientias particulares dividitur, puta in Logicam, seu Dianoëologiam, — in Metaphysicam seu Gnoseologiam, — et in Aestheticam seu Callologiam, v. Geumatologiam.

Obs. Philosophia theoretica, aut solam Cogitationem, in se sumtam, aut Cogitationem Obiecti determinati, idque aut in se, aut in relatione ad Tactum considerat. Hinc Logica, est scientia originariae Legalitatis, solius cogitationis, absque omni, ad Obiectum quodlibet, respectu, estque ea Philosophia formalis.

Philosophia materialis theoretica, cogitationem Obiecti, seu cogitationem materialem attingit, estque Metaphysica aut Aesthetica. Metaphysica est Scientia, quae originariam legalitatem, cognitionis Obiectorum in genere exponit.

Aesthetica est Scientia originariae Legalitatis Iudiciorum Gustus.

Differentia Scientiarum harum talis est: Logica rectitudinem in cogitando, seu Veritatem logicam, — Metaphysica soliditatem in cognoscendo, seu Veritatem metaphysicam, — Aesthetica Gustum in diiudicatione Obiectorum cognitionis, seu Veritatem aestheticam, pro Obiecto habet.

§. 130. Ius Naturae. Ethica. Ethicotheologia.

Philosophia Practica, in tres Scientias particulares distribuitur, puta: in Ius Naturae, — Ethicam, — et Ethicotheologiam.

Obs. Philosophia Practica, aut solam formalem actionem, velut actuositatem Animi externam, aut actionem cum fine, seu materialem, idque, aut in se, vel generatim, aut in relatione ad finem Rationis ultimum, considerat. Hinc

Ius Naturae est Scientia Iurium hominis.

Ethica est Scientia Officiorum Virtutis.

Ethicotheologia est Scientia Fidei in Deum et Immortalitatis.

Differentia Scientiarum harum talis est: Ius Naturae rectitudinem externam in agendo, seu bonitatem iuridicam — Ethetica honestatem externam, vel sinceritatem indolis, h. e. bonitatem ethicam — Ethicotheologia pietatem in omni vitae ratione, seu bonitatem religiosam, pro Obiecto habet.

§. 131. Philosophia Pura et Applicata.

Disciplina quaeque Philosophiae, singillatim sumta, partim, ut pure rationalis, partim, ut empirice rationalis Scientia, potest pertractari, proinde, ut, cuilibet harum disciplinarum, pura et applicata pars assignetur, necesse est. Hinc sequitur: totam quoque Philosophiam in Puram et Applicatam iure dividi.

Obs. Cognitio pure philosophica, quemadmodum etiam omnis cognitio pura, est cognitio a priori: non, quia illa ante omnem experientiam, re ipsa, in nobis praesto esset, et quasi connata videretur; cum omnis cognitio, proinde, et philosophica illa, in, et cum experientia exsistit: sed idcirco, quia cognitio pure philosophica, ad ra originarium in nobis re-

fertur. Hoc autem ita cogitandum est, tanquam quod, omnem experientiam antecedat, si quidem ipsa Experientiae possibilitas, ab eo pendet, proinde, velut ipsa Experientiae conditio, huic tanquam conditionatae, pro fundamento inservit, consequenter a priori debet esse determinata. Quamquam vero το originarium isthoc, seu facultas, Leges et Limites Actuositatis nostrae, in et cum Experientia ad Conscientiam nostram perveniunt: minime hinc eliciendum, Cognitionem hac ratione effectam, a posteriori generatam, seu empiricam esse. Nam Experientia, per το originarium, in nobis progignitur, et empiricum quodque, secundum illud diiudicamus. Et quia Cognitio empirica, ex sensibus, cognitio vero του originarii, ex ipsa Ratione hauritur: intelligitur, cognitionem empiricam et puram, essentialiter invicem differre. Quare, quemadmodum cognitio quaeque pure philosophica, quoad essentialem suum Characterem, simpliciter originaria, seu transcendentalis est: sic universa quoque Philosophia pura, iure meritoque, transcendentalis esse putanda est.

§. 132. Tabellaris Partium Philosophiae Conspectus.

Systema Philosophiae Purae et Applicatae, sequentibus partibus continetur:

I) Philosophia Fundamentalis, seu Archologia,

II) Philosophia derivativa.

A) Philosophia theoretica, seu, speculativa.

1.) Philosophia theoretico-formalis. Logica seu Dianoëologia — pura et applicata.

2.) Philosophia theoretico-materialis. Metaphysica seu Gnoseologia — pura et applicata.

3) Aesthetica. Doctrina Gustus, seu Callologia, vel Geumatologia — pura et applicata.

B) Philosophia Practica, seu moralis.

1.) Philosophia practico-formalis. Ius Naturae seu, Dicaeologia — pura, et applicata.

2.) Philosophia practico-materialis.

a) Ethica, seu Aretologia, — pura et applicata.

b) Ethicotheologia, seu Eusebiologia — pura et applicata.

Obs. Veteres, Philosophiam in tres partes distribuerunt, puta: in partem rationalem, seu Dialecticam, vel Logicam, — in partem naturalem, seu Physicam, — et in partem moralem, seu Ethicam — quibus aliqui Politicam adhuc adiunxerunt. Quae Distributio quam sit vitiosa, facile intelligitur.

Recentiores, qui empiricum, cum puro confundunt, varias instituunt partium Philosophiae divisiones: sed non meliori cum fortuna. Ili: Psychologiam empiricam, Politicam, Oeconomiam, Philosophiae accensent, quas scientias nos, ad Anthropologiam referimus, proinde easdem, ex Systemate Philosophiae, iure quoque putamus excludendas.

Critica Rationis, cum ex ipso Auctoris Criticismi instituto, Propaedeutica duntaxat Philosophiae purae fuerit, inter Scientias particulares philosophicas, peculiari sub titulo, tradi non debet, sed Systemati philosophico, suis locis interseri tantum.

LOGICA

seu

Dianoëologia.

Conspectus.

Introductio.	§. 1 — 12
I. Pars. Logica Pura.	§. 13 — 133
1. Sectio. Doctrina elementaris Pura. .	§. 13 — 117
a) Cap. Leges cogitandi fundamentales. .	§. 13 — 22
b) Cap. Partes cogitationum constitutivae.	§. 23 — 133
α. Art. Conceptus. . . .	§. 24 — 51
β. Art. Iudicia.	§. 52 — 68
γ Art. Ratiocinia. . . .	§. 69 — 117
2. Sectio. Methodologia pura. . . .	§. 118 — 133
a) Cap. De Methodo in genere. . .	§. 118 — 121
b) Cap. Fundamentales cogitationes tractandi conditiones. . . .	§. 121 — 133
α. Art. Explicationes. . . .	§. 121 — 123
β. Art. Divisiones. . . .	§. 124 — 126
γ. Art. Argumentatio. . . .	§. 127 — 133
II. Pars. Logica applicata.	§. 134 — 186
1. Sectio. Doctrina elementaris applicata. .	§. 135 — 160
a) Cap. Pathologia logica. . . .	§. 136 — 150
b) Cap. Therapeutica logica. . .	§. 151 — 160
2. Sectio. Methodologia applicata. . .	§. 161 — 186
a) Cap. De adquirendis cognitionibus. .	§. 162 — 180
b) Cap. De communicatione cognitionum.	§. 181 — 186

Introductio.

§. 1. Conceptus Philosophiae theoreticae.

Cum Philosophia, sit Scientia, de originaria legalitate, omnium Mentis humanae actuositatum: profecto, Philosophia quoque theoretica, seu Speculativa, est Scientia, de originaria Legalitate actuositatis Mentis humanae, quae, in Repraesentatione et Cognitione, seu in determinatione Subiectivi per Obiectivum, versatur.

§. 2. Relatio Philosophiae theoreticae ad fundamentalem.

Quare, in theoretica quoque Philosophia, originariam του Subiectivi et Obiectivi duplicitatem, seu Syntheticam του Realis et Idealis coniunctionem, tamquam indubitatum Conscientiae factum, principio statim sumimus, ut Speculatio, inter philosophandum, absolutos hos Limites, ab originaria Duplicitate praescriptos, quam diligentissime observet.

§. 3. Originaria, et triplex Mentis humanae Persuasio.

Quamobrem, Persuasioni, Intellectus sani cuiusque hominis, naturali ac necessariae congruenter, sumimus quoque simul: et nos ipsos esse, — et res quoque extra nos positas esse, — et denique nosmet, resque extra nos sitas, in mutuo versari Commercio, asserentes, commercium isthoc originaria του Subiectivi et Obiectivi relatione mutua niti, vi cuius, unum alterum reciproce determinat. (Fund. §. 75.)

§. 4. Principium Philosophiae theoreticae materiale.

Quandoquidem, theoretica Mentis facultas, tamquam mere immanens, seu idealis Functio, in eo plane consistit, ut Subiectivum, per Obiectivum determinetur, cum scil. Repraesentationes, et Cognitiones, intuitu certorum obiectorum, quibus eae respondeant, nobis comparamus; quaelibet autem actuositas Mentis, ab originariis quibusdam Legibus pendeat, a quibus, et agendi eius forma, et ambitus efficientiae eiusdem, determinetur: intelligitur, universale Philosophiae theoreticae, seu Speculativae Problema, hac Formula comprehendi: Quae sunt originariae Leges Facultatis nostrae repraesentandi, et cognoscendi? — quo facto simul, supremum Philosophiae theoreticae Principium materiale isthoc: Nos theoretice repraesentando, et cognoscendo, sumus actuosi, — simpliciter sumimus. (Fund. §. 40—46.)

§. 5. Summus finis, summumque Principium formale Philosophiae theoreticae.

Quod si supremus, functionis philosophandi finis, generatim in eo positus est, ut universa Mentis meae actuositas, absolutam

in omnibus agendi harmoniam consequatur: (Fund. §. 54.) profecto, supremus quoque Philosophiae speculativae finis, non alius esse potest, quam absoluta omnium mearum Repraesentationum, et cognitionum harmonia, id est Veritas. Quare, Supremum Philosophiae theoreticae Principium formale, hac Formula exhibendum videtur: Quidquid cum Systemate, absolute harmonicarum repraesentationum, cognitionumque, possibili convenit: illud verum est, contrarium autem falsum.

Obs. 1. Absoluta omnium repraesentationum, cognitionumque harmonia, Veritas quoque originaria, seu Ideale omnis Perfectionis theoreticae potest appellari, cum particularis cuiuslibet Enunciationis veritatem, ea tenus probamus, si id, cum Idea possibilis Consensus repraesentationum, et inter se, et cum aliis etiam repraesentationibus amice conspirat. Sic, in Disputationibus, id agimus, ut collatis inter se repraesentationibus cognitionibusque nostris, eae inter se primum conveniant, deinde autem, Systemati repraesentationum et cognitionum possibili, queant inseri. Quare datum Philosophiae theoreticae Principium formale, etiam in qualitate Principii universaliter regulativi, potest proponi, ad id, quod verum fuerit, diiudicandum.

Obs. 2. Cum quoad nos homines, nulla alia veritas dari potest, quam quae, originariis, Facultatis nostrae repraesentandi, et cognoscendi Legibus determinata est, quaeve, intra hunc efficientiae Facultatis nostrae ambitum, Legibus illis restrictum reperitur: Sane Veritatem, extra hos circuli nostri carceres quaerere, nihil aliud est, quam hominem exuere, et effreni phantasiae Libidini, frena relaxare, — quod ipsum certe, non aliud est, quam cum Ratione insanire.

Obs. 3. Quaesieris ex me: Quomodo scire possim, utrum v. c. hoc illudve Enunciatum meum, in possibile illud, absolute harmonicarum repraesentationum, et cognitionum Systema, quadret, an non? quove artificio liceat mihi veritatem aut falsitatem eius expiscari? Respondeo. Absoluta illa, omnium repraesentationum, et cognitionum harmonia, omnino in Idea tantum inest, quae, quia in sua Totalitate realisari nequit; solum, appropinguando ad eam, potest ex parte effectui dari. Fac quaeso, ut Enunciatum A, compares cum aliis B. C. D. E. — mox cum reliquis F. G. H. I. et sic porro: experieris, non modo harmoniam te optatam reperisse, sed etiam disharmoniam, si qua intervenit, observasse, et postmodum eandem conciliasse. Errori, hoc in periculo veritatem quaerendi, et investigandi, nos, et saepe quidem obiici, quis eat infitias? aut quis ignoret, hanc errandi opportunitatem a natura nostra limitibus circumscripta, arceri prorsus non posse? Nos ipsi id, intra nos, non dubie sentimus, quoties in orbitam, ab incertis flexibus redituri, aliorum, eorumque, quos prudentiâ ceteris excellere persuasi sumus, sique fieri potest bene multorum (quos tamen infallibiles esse non credimus!) Sententiam, et ex posito quidem nunc statim Principio regulativo requirimus, ac consulimus. Certe, Consensus aliorum, — auctoritas Maiorum, — ob hanc ipsam naturae nostrae institutionem, tanti ponderis apud omnes esse

videtur. Ad summam, ut breviter finiam, Idea Universitatis, seu Universalitatis, sive in Theoria repraesentationum, sive in Sphaera actionum nostrarum, quam Soli elumbes quidam Philosophastri, quia non intelligunt, misere convellunt, tanti momenti esse debet, ac si Omniscientiae Deitatis oraculum, liceret nobis pro Suffragio ferendo implorare. (Vox populi, vox Dei. — το non plus ultra humanum!)

§. 6. Partes Philosophiae theoreticae.

Nos praesens Philosophiae theoreticae Systema, in Logicam, seu Dianoëologiam, — in Metaphysicam, seu Gnoseologiam, et in Aestheticam, seu Callologiam, alias Geumatologiam dispescemus.

§. 7. Conceptus Logicae.

Logica, est Scientia de originaria Mentis humanae Legalitate, intuitu illius actuositatis suae, quam Cogitationem vocamus: unde Dianoëologia, vel etiam Logica, (λογικη scil. επιστημη) tamquam Scientia rationalis, iure nominata est. Quare recte etiam dixeris: Logicam, id genus Scientiam esse, quae in Legitimo Intellectus, Rationisque usu versatur.

Obs. Cum vox λογος Sermonem, Rationemque peraeque significat: solet quaeri: Utrum denominatio Logicae, a Sermocinandi, an a ratiocinandi dexteritate, tamquam Scientia et sermocinalis et rationalis denominata sit? — Enimvero, nihil interest hoc quaerere. Satis est, priscos quosque, et cogitandi et loquendi usum, diligenter coniunxisse, institutionesque suas, ad utrumque contulisse, unde Logicam, Dialecticam quoque, seu artem disserendi vocitasse, — sensu scil. vocis διαλεκτικη, voci ρητορικη oppositae proprio. Nam nonnisi serius id factum est, ut Logica, ob abusum, Eristica, Sophistica, Paralogistica, et, quasi Scientia esset Illusionum, Dialectica coepit appellari. Epicurei Canonicam nuncuparunt, idque recte.

§. 8. Cogitatio mera. Cogitatio Obiecti.

Quia Cogitatio, est mediata repraesentatio: repraesentationes vero mediatae, Conceptus appellantur: patet, actum cogitandi, certas, easque iteratas repraesentationes, iam praesupponere, ad quas is, velut peculiaris mentis functio, directus est. Duplici autem modo, functio isthaec ponderari potest, aut scil. ita, ut mera cogitatio, vi cuius datae repraesentationes, nonnisi ad se invicem referuntur, quo sic nobis, proprietatum, relationumque earundem liceat esse consciis, quin ad obiecta, ad quae eae referri possint, reflectas: aut vero ut Cogitatio determinatorum Obiectorum, cuius ope haec, pro ratione variarum eorundem proprietatum, aut relationum debeant cognosci. Prior isthaec cogitandi ratio, in Logica, posterior, in Metaphysica locum sibi vindicat. Quare Logica est Scientia, quae in meris cogitandi Legibus exponendis cernitur: quam ob caussam, in primis Dianoëologia quoque nominari meruit.

Obs. 1. Differentiam merae cogitationis, quae formalis, analytica, et logica quoque vocatur, a Cogitatione determinati obiecti, eius

ope cognoscibilis, quae etiam materialis, synthetica, metaphysica, et quoad originarium characterem, transcendentalis appellatur, velut ex Philosophia Fundamentali (§. 79, 129.) notam, licebit hoc iam loco sumere.

Quaeres forsan: Quid causae est, quod cum immediata repraesentandi ratio, velut Intuitio, et Sensatio, in Experientia, mediatae cogitandi rationi antecedit: Logica tamen, seu analytica cogitandi functio, in Institutionibus philosophicis, metaphysicae, seu syntheticae cogitandi functioni, anteponatur? Ratio est in promtu. Nam natura Scientiarum hoc inrefragabiliter exigit, ut, quod in reali experientiae contextu coniunctum, seu concretum est, functione cogitandi, opeque abstractionis in cogitationibus, separetur, et singillatim (isolate) proponatur; — tum, ut conceptus secundum mutuam relationem tractari queant, nihil opus est, genesim eorundem scire ac perspicere; — denique ad Metaphysicam, solide, penitusque cognoscendam, nihil magis necessarium est, quam ut Regulae cogitandi Logicae, in antecessum cognitae sint. Ex quibus intelligitur, optimo consilio agere Philosophos, quod Logicam, Scientiam quippe formalem, Metaphysicae, velut Scientiae materiali, praemittant.

Obs. 2. Ex eo, quod recentioribus temporibus, fuerint Philosophi, qui partim ex Psychologia, partim ex Metaphysica, bene multa, in Logicam cooptarunt, ut sic hiatui, quem in Logica imaginati sunt, mederi possent, non id eliciendum est, Logicam Metaphysicae esse postponendam: sed advertendum, ideo hoc ab iis factum, quod obscure persentiscerent, Philosophiam Fundamentalem, velut apicem et caput reliquarum Scientiarum, in Limine statim Philosophiae, collocandam esse, ut Conceptum, finemque Totius, liceat prius meditando degustare, quam ad partium considerationem, accederemus.

Obs. 3. De conatu Philosophorum, qui recentissime, Logicam cum Metaphysica identificare sategerunt, ex meris cogitandi Legibus, existentiam obiectorum deducturi, certe irrito et absurdo, satis sit monere, inter meram cogitandi formam, realitatemque obiectorum, tantum esse hiatum, in medio positum, ut, qui eum transilire vellet, nonnisi cum summo temeritatis crimine, Salto hoc mortale, quod aiunt, pertentaret. Certe immortale hoc est, Kantii meritum, quod is, limites, quos natura Logicam inter et Metaphysicam duxit, quam diligentissime constituerit.

§. 9. Logica, quâ Organon formale.

Quandoquidem Regulae Logicae, non materialem, sed formalem cogitandi rationem spectant: profecto Logica, quoad alias Scientias, non materiale quoddam, sed formale duntaxat Organon praestat. Hoc est: Logica, haud quaquam Heuristica quaedam est, quae novas, realesque in nobis cognitiones progigneret; — neque Iatrica est, quae omnes omnino errorum Species, ac radices, animis nostris evelleret: sed est Plastica tantum quaedam, quae cognitiones nostras, si quae in promtu sunt, elaborat, ac effingit; denique autem est Catharctica, quae cum ad purificandum animum intenta est, eundem, ab Inconsequentiae et Confusionis, in cogitando, erroribus, quam potentissime praeservat. Quare distincta

Regularum Logicarum notitia, ei, qui solide cogitare meditariquo voluerit, tam necessaria esse putanda est, ut ea, carere prorsus, salvo capite, nequeat.

Obs. 1. Hodiedum supersunt quaedam Aristotelis Scripta, quae Organon Aristotelicum inscripta sunt: quamquam certum est, hanc denominationem, ut et illam Logices, minime ab Aristotele profectam esse, sed ab iis, qui Logicam Philosophiae Organon esse, sive sensu materiali existimarunt, quod falsum est, sive sensu formali, quod omnino veritati consentaneum esse putandum est.

Obs. 2. Quamquam splendidiores Tituli, quibus Eruditi Logicam, ut materiale Philosophiae Organon, cohonestare annisi sunt, in eam non conveniant; neque adiumento illius, cognitio nostra, respectu materiae, ullam sperare posset extensionem: satis est, si quoad Intensionem, Perspicuitatem, Praecisionem, Ordinem, Nexumque cognitionis nostrae, ex ea consequamur, opeque Analyticae illius, veritatem invenire condiscamus. Quodsi Eruditi, verum Logicae consilium perspexissent, neque etiam iusto plus ab ea, quam quantum praestare valet, postulassent: profecto fides eius, auctoritasque, minime concidissent.

§. 10. Logica universalis et particularis.

Logica universalis, seu generalis, et particularis, seu specialis est. Logica vocatur universalis, si et in quantum ea, Leges merae cogitationis, et universe exponit, proinde quoad omnes Scientias, in pari relatione posita debet existimari: particularis autem Logica dicitur, si, et in quantum ea, Regulas logicas, relate ad certa cognitionum genera, exhibet, proinde ad hanc, aut illam Scientiam, propiorem init relationem. Nonnisi Logica universalis est, quae ad Systema Scientiarum philosophicarum, pertinere iudicanda est.

Obs. Logica particularis, seu specialis, tam multiplex esse potest, quemadmodum eae ipsae Scientiae sunt, ad quas ea refertur, v. c. Logica iuridica, Logica theologica, Logica historica etc. Neque tamen peculiaris quaedam Scientia habenda est, cum sit mera aliarum Scientiarum Propaedeutica, adque solam earum Methodologiam pertineat. Contra Logica universalis, unica tantum esse potest, quae velut Scientia, quae per se subsistit, scientifico pollet pretio.

§. 11. Logica Pura et Applicata.

Logica universalis, seu generalis, partim pura est, si, et in quantum Leges merae cogitationis, in originaria earundem Praecisione exhibet: partim applicata est, si, et in quantum, empiricas illas conditiones respicit, a quibus Applicatio legum illarum pendet. Ambae ergo hae species Logicae, sensu proprio, minime diversae Logicae esse putandae sunt, sed partes unius eiusdemque Scientiae, quarum pars Pura, ut Applicatae anteeat, necesse est. (Fund. §. 131.)

Obs. 1. Quamquam originaria cogitandi ratio, in omnibus Subiectis cogitantibus, prorsus eadem esse debet, cum secus Harmonia

cogitationum in diversis Subiectis obtineri non posset: attamen formalis cogitandi ratio, intuitu contingentium determinationum empiricarum, diversitatisque Subiectorum, certas Modificationes patitur, sed eas tales, quibus actuositas mentis, iam promovetur, iam impeditur, et ex quibus, empirica illa cogitationum disharmonia oritur, quam inter homines experimur. Atque, hinc demum existunt, certae illae Regulae, quae sub certis conditionibus empiricis, ad functionem cogitandi referuntur, quales sunt v. c. fortis, aut debilis memoria, iudicium exercitatum, inexercitatum, phantasia vivida, et ignava, exculta vitae conditio, et rudis, bona animi indoles, et mala etc. Complexus Regularum harum, secundum quas Leges cogitandi, conditionibus empiricis congruenter, ad obiecta empirica applicantur, Logica applicata appellatur.

Obs. 2. Sunt qui, Logicam in naturalem, et artificialem, putant distinguendam. Male. Nam Logica, est Scientia: nemo autem est, qui a natura ipsa scientiam consequatur. Naturalem quidem cogitandi rationem, ne plebeiis quidem denegamus: eos tamen Logica, quâ Scientia, destitui fidenter asserimus; cum Logica naturalis, sensu vero, tam minime locum habet, quam Grammatica, aut Mechanica naturalis. Tanto absurdius autem fuerit, quod quidam faciunt, naturalem Logicam artificiali praeferre, quod tantundem esset, ac si adstrueres, Grammaticam, et Mechanicam, Scientias esse minime necessarias, eo quod sine iis quoque, loqui, et movere temet, possis.

Reliquae Logicae divisiones solitae, quales sunt v. c. Logica subiectiva, et obiectiva, — Logica vitae et Scholae, — connata et acquisita, — docens et utens (cur non etiam discens?) — theoretica et practica, — popularis et scholastica, seu acroamatica, — analytica, et dialectica: aut nullo fundamento Logico nituntur, aut in datis iam Divisionibus, comprehenduntur.

PARS I. Logica Pura.

§. 12. Divisio Logicae Purae.

Quandoquidem Logica pura, principio statim, varias cogitandi functiones, earumque Regulas, in se et per se considerat; tum vero diversas illas proponendi rationes explicat, quarum subsidio Regulae, unitatem et nexum cognitionibus nostris impertiant, proinde eas, in Formam scientificam concinnent: patet Logicam puram, in Doctrinam elementarem, et Methodologiam, dispesci. In Doctrina elementari, Cogitatio in sua elementa resolvitur: in Methodologia autem, quomodo ex cogitationibus Totum quodpiam sit componendum, exhibetur.

Obs. Doctrina elementaris, in duo vicissim Capita, videtur esse dividenda: in quorum priori, de Legibus cogitandi fundamentalibus: in posteriori autem, de Logicis cognitionum nostrarum Elementis, tractandum est.

SECTIO I. Doctrina Elementaris pura.

CAPUT I. De Legibus cogitandi fundamentalibus.

§. 13. Factum Conscientiae.

Doctrina elementaris Logicae pura, ab Enunciato hoc progreditur: Ego cogito, quippe quod, velut res in facto conscientiae posita, immediata certitudine pollet. Atque, hoc est Principium Logicae materiale, et adeo indubitatum, ut qui hoc negaret, cum Ratione videretur insanire.

§. 14. Obiectum Cogitationis.

Quod cogitandum est, nec id, cogitabile quoque simul esse, oportet. Ut autem quidpiam cogitabile sit, necessarium est, ut secum ipsum conveniat. Nisi enim illud, secum ipsum consonet: profecto, neque etiam illud, in Systema, harmonicarum repraesentationum, ac cogitationum, absolutum, quadrabit, h. e. verum esse idem nequit. Quare, si id, quod cogitandum est, nomines A: tum eius cogitabilitatem, in antecessum, Formulà A = A expresseris; cuius materia, procedente mox opere, erit amplius explananda.

Obs. Id quod cogitatur, obiectum cogitationis vocari potest, eo quod, animo in cogitando obiiciatur. Cum autem Logica, a Realitate obiectorum abstrahit: solam obiectorum cogitandi Cogitabilitatem postulat, idque inquirit; quaenam illae Leges sint, a quibus cogitabilitas isthaec pendeat.

§. 15. Aliquid. Nihil.

Id quod cogitari potest, seu *ro* Cogitabile, dici quoque universe potest Aliquid, seu Ens logicum; ei Non — ens logicum, sive Nihil opponitur. Quibus expressionibus, generatim tantum, Obiectum quodpiam problematice ponimus, h. e. iis, duntaxat cogitandi objectum, fortassis possibile significamus, de quo tamen postmodum patescet, reale illud cogitationis obiectum non esse, cum id, quod cogitandum erat, ne poterat quidem cogitari.

Obs. Vocibus, Aliquid et Nihil, duplici sensu utimur, scil. Logico, cum utrumque, in Sphaeram merae cogitationis, (*ro* esse in cogitando) et reali, cum ambo illa, ad Sphaeram Existentiae (*ro* esse extra cogitationem) referimus v. c. Palatium adamantinum, — Liber quem lectito.

§. 16. Praedicata, seu Categoriae cogitandi.

Cum quidpiam cogitamus: id, adiumento certarum repraesentationum, fieri putandum est, quibus scil. hoc aut illud cogitationis Obiectum, ab aliis, eiusdem Obiectis, discernimus. Repraesentationes itaque hae, Characteres, Criteria, notae, determinationes, vel etiam Praedicata, sive Categoriae (sensu logico) Obiecti possunt appellari. Atque hae ipsae notae, simul sumtae, Notionem seu Conceptum Obiecti efficiunt.

Obs. Quodlibet Cogitationis Obiectum, quasi pro oculo Intelligentiae, accurate defigendum est. Id tum fit, cum certas Repraesentationes, de Obiecto fixo, praedicamus (κατηγορειν) sensu logico, nam sensu metaphysico, aliud significat v. c. cum dicimus: Petrum esse iuvenem, sanum, doctum, divitem, prudentem, solertem, virtutis studiosum etc.

§. 17. Principium Identitatis absolutae.

Conceptus rei cuiuspiam, atque etiam omnes eius, et singulae notae, plene inter se aequales, seu identicae putandae sunt, quod Formula A = A designatur. In hac scil. Formula, Res Conceptu posita, sibi ipsa opponitur, atque in hac Oppositione, illa, tamquam secum aequalis ponitur. Quare Formula isthaec, in sequens Enunciatum resolvi potest: Quaelibet Res sibi ipsa aequalis est, — quod Principium Identitatis absolutae nominamus. Est hoc Enunciatum, Principium Logicae formale, simulque, inest illud, in Principio Theseos, — Antitheseos, — et Syntheseos in cogitando, universe.

Obs. 1. Formulâ Principii Identitatis, nullum prorsus Obiectum reale ponitur: unde eâ, id asseritur tantum, quod, qui Obiectum cogitat, Conceptum de eo sibi informatum, omnibus eiusdem determinationibus, adaequatum esse debere. Atque, cum Conceptus nostros analysamus: ideo hoc facimus, ut notam, si qua ei defuerit, eidem adiiciamus; si qua vero superflue adest, aut falso posita est, eam ex eo removeamus, verbo, Conceptum perficiamus. Consequenter, in qualibet demum cogitandi functione, in vicem supremae Normae, quam sequi oporteat, hanc ipsam Identitatem, in prospectu habemus.

Obs. 2. Quandoquidem vero, quemlibet conceptum, ut Totum quoddam; notas autem Conceptus, ut partes eius, considerare oportet: intelligitur, Repraesentationem Identitatis Totius, et omnium suarum partium simulsumtarum, Identitate Conceptus, notarumque eius mutua, niti; si quidem, nullum alium de Toto habere possumus Conceptum, quam comprehensione partium eius illarum, quas, ut notas, in Conceptum Totius recipimus. v. c. Conceptus hominis Animalitate, et Rationalitate continetur. Ergo, Formula Identitatis absolutae, bene sic enunciatur: Quaelibet Res, aequalis sibi ipsa est, aut etiam sic: Quaelibet Res, pro Toto, et Partibus sumta, secum ipsa concordat.

Obs. 3. Cum certum sit, Formulâ A = A, nullum ens, quâ reale poni, sed Identitatem tantum Cogitationis totalis, repraesentationumque partialium, in ea contentarum poni: patet eam, omni Materia, seu obiectiva cognitione destitui, consequenter, ineptum esse consilium, cum Fichteo, Formulam illam, in Principium omnis Philosophiae Statuere, realesque cognitiones ex ea velle deducere. Permutatione enim illa Formulae A = A in hanc Ego = Ego, ne hilum quidem in cognoscendo progredimur; si quidem ex hac Formula, ne Realitas quidem του Ego (Ego sum) tanto minus alia quaedam Realitas potest deduci. Certe, Formula Fichteana, nihilo plus ponderis in se habet, ac si dicas: Pecunia est Pecunia: ergo, re ipsa quoque, exstat Pecunia, — aut

etiam si sic inducas: Spectrum est Spectrum: ergo re vera Spectra exstant.

Obs. 4. Si in Formula Identitatis logicae A = A, sub priori A, Obiectivitatem, seu Realitatem, sub posteriori autem A, Subiectivitatem, seu Idealitatem intelligas, hoc inde Enunciatum emergit: Reale et Ideale, absolute invicem identica esse, — quod ipsum est Systema Schellingianum, absolutum Identitatis Systema nominatum. Enimvero, hoc quoque, ut illud Fichtei, ex abusu, arbitrariaque Principii Identitatis logicae applicatione prodiit. Et quia, nihil absurdius statueris, quam, si ex infinita Indifferentia, quae ex transcendentali Identitate gignitur, ad finitam obiectorum empiricorum Differentiam, transeas: intelligitur, Deductionem Finiti, ex Absoluto, Schellingianam, in inexponibili, indigestae ineptiarum farraginis (Galimathias) commento, versari.

Obs. 5. Simulac A = A ponas, nihil obstat, quo minus simplicem hanc Formulam, in infinitam hanc convertas, A = A = A = A = ∞: nunquam tamen ex infinita τοῦ A Repetibilitate, ullum reale Varium extundes, essentiamque Cogitationis explicabis. Quemadmodum Bardili, et Rheinhold, huius Deductionis periculum fecerunt.

Obs. 6. Formula A = A, re vera, tribus elementaribus continetur functionibus. Nam primum quidem, in priori A Thesim, — in altero A Antithesim, — denique in signo Aequalitatis = Cogitatum, in Oppositione sui secum instituta, ut aequale sibi ipsum ponimus, et secum illud coniungimus, quod Synthesim vocamus. Unde sequitur, praeter universale hoc cogitandi Principium, Thesi, Antithesi, et Synthesi comprehensum, tria adhuc peculiaria dari debere Principia; quae nunc statim §§. 18, 19, 20, exponemus.

§. 18. Principium Theseos.

Notae, quae ad Conceptum Obiecti, coniungi invicem, cum se mutuo tollunt, non possunt, Notae repugnantes, seu contradicentes appellantur: quae autem, quia mutuo se non tollunt, coniungi inter se possunt, Notae consentientes, seu convenientes, nominantur. Cum vero, quod per Notas repugnantes cogitandum foret, prorsus cogitari nequit; proinde, neque etiam in Systema, absolute harmonicarum repraesentationum, et cognitionum, quadrat: intelligitur, universalem esse Legem, quae hoc Enunciato continetur: Nihil contradictorii ponito, sed solum conveniens in se ponito. Quare Enunciatum isthoc: Principium Positionis vocatur.

Obs. 1. Principium Theseos, cum Principio Identitatis, necessario cohaeret, cum vis ac potestas (valor) eius, haec est: Quandoquidem Conceptus, eiusque notae, in mutua Identitate posita sunt, ipsa Obiecti cogitatio, impossibilis efficeretur, si modo, repugnans quaedam nota, in Conceptum cooptaretur; quod ipsum, Principio Repugnantiae, seu Contradictionis (scil. evitandae) hac Formula exprimitur: Notae repugnantes, nulli rei competunt. Consequenter Principium Repugnantiae, seu Contradictionis, nihil aliud est, quam Principium Identitatis, in Principium Theseos commutatum, quo in primis

cavetur, ne tales Conceptus notas ponamus, quae, dum conceptum construimus, seu ad effectum deducimus, ipsum Conceptum prorsus tollant.

Obs. 2. Quodsi, nulli rei, repugnantes notae sint tribuendae: patet, cuique rei, nonnisi consentientes inter se characteres competere, hoc est, tales, qui se uniri patiuntur, quod ipsum, Principium Consensus, seu, Convenientiae appellant, quamvis hoc, quoad materiam, a Principio Contradictionis nihil differat, reque ipsa, nihil aliud sit, quam Principium Identitatis, in Principium Theseos commutatum. Sintne autem notae consentientes, an repugnantes, oportunitate Conceptus construendi sine negotio patescit. v. c. Cum Conceptu hominis, facile coniunxeris has notas: doctus, dives, probus, neque tamen notas: Omnipotens, omniscius, sanctus, cum eo, sine repugnantia composueris. Sed Principium Identitatis absolutae, hoc loco intelligendum est, non relativae illius, seu comparativae, quae salva Identitate absoluta, non adesse potest v. c. character divitis, potest in homine, et adesse, et abesse, neque tamen, si re ipsa absit, quidquam per hoc, in Conceptu hominis tollitur.

Obs. 3. Principium Repugnantiae, uti notum est, hac vulgo formula olim enunciabatur: Fieri non potest, ut idem, simul sit, et non sit. Enim vero, Formula isthaec, ideo vitiosa est, quia indeterminata est, nec enim constat, utrum το logicum esse, in A an reale in B, nomine του esse debeat intelligi? — Utrobiquene το esse logicum, an το esse reale sit sumendum? In casu primo, potest aliquid esse, et non esse, — in secundo, Enunciatum, nec cogitandi, nec cognoscendi Lex foret, sed rem in facto positam Ego cogito exprimeret, — in Casu autem tertio praeter simul, et illud, eodem Loco, adiiciendum esset: ast tunc Principium hoc non in logico, sed in metaphysico inesset Principio. Tum vero, haud quaquam verum esset, quod Schola Leibnitiano — Wolfiana celebravit: Principium Contradictionis esse fontem omnis veritatis.

Obs. 4. Sunt ex recentioribus Philosophis, qui Principium Contradictionis, tali ratione exprimendum putarunt: Repugnantes repraesentationes, in unam conscientiam coniungi non possunt. Enimvero Formula haec, haud quaquam vera est. Nam in quolibet Iudicio negativo, repugnantes repraesentationes, in una conscientia coniunguntur, licet invicem seiunctae, v. c. Si dicas: Furtum non esse licitum. Quare praecise determinandum fuisset, de illa conscientiae unitate sermonem hic esse, quae ex unione variarum Obiecti notarum, ut repraesentationum partialium, in unum conceptum, quâ repraesentationem totalem, existit.

§. 19 Principium Oppositionis.

Quandoquidem cuilibet Obiecto cogitabili, certae notae competunt, quae in eius determinationibus cernuntur, neque etiam fieri potest, ut ulla aliqua determinatio, in uno eodemque cogitandi actu, Obiecto tam competat, quam non competat, cum hoc in repugnantia inesset: profecto, cogitabili cuique obiecto, una tantum ex oppositis determinationibus competere potest. Hinc emergit Principium tanquam universalis cogitandi Lex: Ex op-

positis rei cuiuspiam determinationibus, nonnisi unam ponito, alteram tollito. Quare hoc Enunciatum Principium oppositionis appellatur.

Obs. 1. Quamquam secundum Principium Theseos, nihil, quod repugnat, ponere liceat, ut ex duabus oppositis determinationibus, nonnisi una possit, ad rem referri, non vero utraeque, neque tamen hinc sequitur: fieri debere, cum relinquere quoque possum Obiectum, ut indeterminatum. Enimvero, si Obiectum, ut omnimode determinatum cogitandum est, fieri debet. Quare, cuilibet Obiecto cogitato, sed omnimode determinato, quaelibet nota possibilis, aut competit, aut minus. Atque, hoc Enunciatum est, quod Principium omnimodae determinationis, seu Principium exclusi medii, seu tertii, scil. inter duo Contradictoria, appellatur.

Obs. 2. Quidam Logici, Principium isthoc, Principium determinationis logicae, appellarunt. Sed falso. Tum enim, iam logice determinatum est Obiectum, cum universe, certis notis cogitatur. Neque tamen idcirco id, omnimode determinatum esse, putandum est. Hoc enim, tunc accidit, si Obiectum, in quolibet respectu, per certas notas (B aut non B, C aut non C) cogitatur, — idque, quod bene tenendum, uno eodemque, et non successivo cogitandi actu.

Obs. 3. Hinc intelligitur id quoque, Enunciatum Exclusi, male sic exprimi: Cuilibet Obiecto logico, ex duabus notis repugnantibus, unam necessario competere. Tunc enim hoc fit, si Obiectum, omnimode determinatum debeat cogitari. Enunciatum vero Exclusionis, ne edicit quidem, quamlibet rem, ut omnimode determinatam, cogitandam esse, verum id tantum postulat, ut, si quid ita cogitandum sit, determinationem secundum Principium Oppositionis, aut positione, aut sublatione instituendam esse. Quia vero, omnimoda Obiecti determinatio, in Intuitione fit, â qua Logica prorsus abstrahit: Lex oppositionis, solam Obiecti determinabilitatem, in Intellectu attingit. Unde mihi respectu logico, liberum est, rem, quam cogito, multiplici titulo, indeterminatam relinquere.

§. 20. Principium Coniunctionis.

Cum in quovis casu, ubi quidpiam, ut determinandum cogitari debeat, ex oppositis determinationibus, una ponenda sit; quaelibet determinatio autem, in se et per se sumta, peraeque poni possit: sequitur, Subiectum ponens, nihil prorsus ponere posse, nisi aliquid sit, vi cuius in necessitatem adducatur, unum aut alterum ponendi. Necessitans autem isthoc, iam positum, aut praesuppositum, sit necesse est, quo cum *ro* ponendum adeo cohaeret, ut Praesuppositum illud, et *ro* ponendum, ut consentientia inter se, aequali iure ponantur, idcircoque invicem, in cogitando coniungantur. Praesuppositum illud, tamquam Necessitans, ratio logica, et *ro* illius causa ponendum, quod ab ea pendeat, Consecutio logica appellatur. Quare Intelligentia nostra, intuitu Coniunctionis, et quae inde sponte consequitur, Separationis cogitationum, originarie, Relationi rationis, et Consequentiae alligata est, unde, qua universalis cogitandi lex, Enunciatum isthoc

valere debet: Nihil sine ratione ponito h. e. quodlibet ponendum, ut Consecutionem cum Praesupposito, tamquam ratione Coniungito. Atque hoc Enunciatum est illud, quod Principium Coniunctionis nominatur.

Obs. 1. Quandoquidem Obiectum logicum A, vi Principii Oppositionis, cum alterutra determinationum oppositarum, B aut non B, sive ponendo, sive tollendo coniungendum est: Circumspiciendum animo, ut quidpiam, quod iam positum est, et quocum una, aut altera determinatio, ita cohaereat, ut ea, poni quoque possit, ac debeat, inveniat. Id, quod in serie cogitationum antecedit, et alterum determinat, rationem, Praesuppositum, aut Hypothesim = X, nominamus: id autem, quod in serie cogitationum sequitur, et per Antecedens determinatur, Consequentiam, seu Thesim, = Y appellamus, quemadmodum relationem utriusque, Nexum logicum, seu Consecutionem, nuncupamus. Quare Enunciatum, hanc cogitationum Relationem, in se complexum, Principium rationis et consecutionis, seu, Principium Consequentiae, dicimus, cuius argumentum paucis his exprimi potest: In omni cogitatione, Cogitatum est in Consequentia, et suam rationem habeat, necesse est.

Obs. 2. Principium Syntheseos, Logici, Principium rationis sufficientis dicunt, idque hac Formula exprimunt: Quidquid cogitatur, rationem habet sufficientem. Enimvero, neque denominatio, neque Formula ipsa, ad rem quadrat. Nam, sunt quoque insufficientes, validae tamen simul, cogitandi rationes, v. c. Probabilia. Quare, magna cogitationum, nempe Probabilium Classis, ex serie cogitationum nostrarum, expungenda foret, si, quidquid cogitatur, sufficientem debeat habere rationem, quod est absurdum.

Obs. 3. Principium Rationis, seu Coniunctionis, intuitu Valoris sui, necessitate illa, per conscientiam cuiusque annunciata nititur, conditionem, seu hypothesim investigandi, vi cuius, una ex oppositis determinationibus, poni debeat. Atque, in hac ipsa necessitate, inest ratio valoris Principii rationis logicae. Neque enim aliter in cogitando versari possumus, quam si, id respiciamus, quod vim Necessitationis, quoad nos, in se cohibet, etiamsi id, quoad alterum Subiectum, hac vi Necessitationis, destituatur. Relatio ergo Theseos, Antitheseos, et Syntheseos, in eo posita est, ut cum, vi Theseos, nihil repugnantis, vi Antitheseos, una tantum ex oppositis determinationibus, — vi denique Syntheseos, necessario poni debeat: a Thesi possibilitas, ab Antithesi actualitas, a Synthesi, necessitas cogitationis pendeat, consequenter, tria haec Principia, in forma Consequentiae necessariae, ex Principio Philosophiae formali, (§. 5.) hoc loco apparent.

Obs. 4. Si convenientiae, et cohaerentiae certorum Conceptuum immediate conscii nobis sumus: tum vero ad eorundem coniunctionem nulla diversa ratione = X, opus est, cum, ex Principio Identitatis absolutae, A=A simpliciter coniungi possunt v. c. Circulus est rotundus, — Quadratum est angulatum, — animal est ens vivum, — Deus est ens omnipotens: eo quod, A et B ad unum Totum componendum conspirant, proinde, nonnisi unam cogitationem efficiunt.

Si autem convenientiae, cohaerentiaeque certorum Conceptuum mutuae, immediate conscii esse non possumus: profecto ad eorundem coniunctionem, diversa ab iis ratione = X opus est; ita tamen, ut hoc, tam cum A, quam cum B certo respectu conveniat. Quod in forma Legis universalis his verbis exprimi potest: Duo conceptus, (A et B) qui cum tertio quopiam (X) certo respectu conveniunt, et cohaerent, inter se quoque, in eadem relatione positi, existimandi sunt. Et quia Conceptus, et Res, titulo logico aequipollent, eandem formulam, sic quoque licebit exprimere: Consentientia uni tertio, consentiunt inter se. Quare Principium isthoc Identitatis relativae seu comparativae, a Principio Identitatis absolutae, diligenter discernendum est. Unde vero X depromendum sit: de eo Logica sollicita non est, cum id sibi, ab aliis Scientiis, materiam Cogitationis attingentibus, dari, iure exspectat: quemadmodum, sitne illa ratio valida, earundem Scientiarum est probare. Logicae satis factum est, si ea, inter rationem et rationatum, Consequentiam reperiat. Sola itaque Consequentia, realem Systematis scientifici valorem praestare nequit.

Obs. 5. Ratio et Causa, ut Consequentia et Effectum, longe diversa inter se esse putanda sunt, quamquam, ita se caussa habeat ad Effectum, ut Ratio ad Consequentiam. Causa et Effectum sunt Obiecta realia: Ratio et Consequentia, in meris cogitationibus insunt. Hinc, quaelibet causa est ratio, ut quodlibet effectum est consequentia: neque tamen verum est, quamlibet rationem, esse causam, aut quamlibet consecutionem, esse effectum. Quare ratio logica, a reali, consequentia logica, a reali distingui debent: Ratio et Consecutio logica Synthesim Cogitationum, Causa et Effectum Synthesim Obiectorum Experientiae designant. Principium Causalitatis, a Principio Rationis, toto coelo differt: illud metaphysicum, hoc mere logicum est, — quod a multis Philosophis minime fuit observatum. Et ratio et Causa, in conditione insunt: et consequentia et effectum conditionata habentur.

§. 21. Logica quâ Organon formale,

Principia hactenus proposita, tamquam fundamentales cogitandi Leges, Totum quoddam in se perfectum, et consummatum, adeoque Totum organicum effingunt, proinde cum ea, Seriei cogitationum, Regulis adstrictae, quemadmodum etiam Systematis cuiuslibet Scientifici, Formam determinant: ut Totum organisans simul, intuitu omnium aliarum Scientiarum habeantur, Logicaque Organon formale praestet, necesse est,

Obs. Principium absolutae Identitatis, Possibilitaten Theseos, Antitheseos, et Syntheseos, universe, in se comprehendit, eo quod tria haec Principia, in uno illo coincidant. Contra Principia sequentia, singillatim, et per se referuntur, sive ad Thesim, (Nihil repugnantiae ponito) sive ad Antithesim, (Ex oppositis determinationibus, in uno eodemque cogitandi actu, non-nisi unum ponito) sive ad Synthesim (Pro relatione rationis, et Consequentiae ponendum coniungito). In quantum vero Enunciatum Syntheseos, Formam Principii relativae

Identitatis assumit: vicissim in eo Thesis, Antithesis, et Synthesis comparent, atque simul quidem; neque tamen coincidendo, verum extra se invicem, licet coniunctim, scil. A cum B per X coniunctum. Atque hae plane ratione, tria illa Principia, unum Systema organicum efficiunt, et aliis Scientiis Organismum, seu internam consistentiam impertiunt, eo quod, omnes omnino cogitationum Series, ex continuata Positione, Oppositione, et Synthesi exsistunt, si quidem, tres illi actus, continuo in iis repetuntur, et in infinitum repeti possunt.

§. 22. Veritas. Criteria Veritatis.

Absentia Repugnantiae, et Consequentia, sunt universalia Veritatis criteria, in quantum iis, consensum, cohaerentiamque cogitationum diiudicamus. Quare, ambae illae, immediate, et positive, nonnisi Veritatis logicae aut formalis, mediate autem et negative, etiam Veritatis metaphysicae seu materialis criteria esse putanda sunt. Veritas scil. universe, in Convenientia nostrarum repraesentationum, et cognitionum, cernitur. Quod si Veritas, ex congruentia Repraesentationum, cognitionumque nostrarum, cum Regulis merae cogitationis, exsistit, ea formalis, seu Logica est: contra si illa, ex congruentia illarum, cum Regulis cogitationis materialis gignitur, materialis, seu metaphysica esse censenda est. Quamobrem Veritas logica, seu formalis, diiudicari non aliter potest, quam si, in qualibet data Cogitationum serie, id investigaverimus, num Positio, Oppositio, et Coniunctio Principiis supra recensitis congruenter, evenerint, proinde, ab repugnantia immunes, et consequentes, sint. Hoc in casu, datae cogitationes, quoad materiam etiam veras, obiectiveque validas esse, quippe quod longe aliter, et secundum alia Principia, diiudicari debet. Interim, si cogitationes ipsae, quoad materiam, ita comparatae essent, ut eae, Principiis illis, plane subordinari non possent, proinde sine repugnantiis, et inconsequentiis, ad se invicem referri nequirent, consequenter, neque etiam in Systema repraesentationum, et cognitionum harmonicarum absolutum cooptari valerent: eas ipsas, quoad materiam, pro veris habere, non possemus.

Obs. 1. Character Convenientiae, et cohaerentiae cogitationum, inter se, secundum Principium absolutae Identitatis, pars est modo Veritatis, quoad Sphaeram cogitandi, proinde, Veritas formalis. Intuitu huius, absentia repugnantiae, et consequentia, immediatum, positivumque Criterium est Veritatis h. e. dicere iure licet: Quod repugnantia vacat, et consequens est, id formaliter verum est. Quia vero, quod repugnans, et inconsequens, proinde incogitabile est, neque etiam pro existente haberi potest: Sane, Absentia illa repugnantiae, et Consequentia, mediatum, negativumque est Criterium Veritatis materialis, h. e. iure dici poterit: Quod repugnantia non vacat, neque etiam consequens est, materialiter verum esse nequit, cum ne formaliter quidem sit verum. Haec causa est, quod immediata, et positiva veritatis materialis criteria, in aliis Scientiis, cognitionem realium Obiectorum

attingentibus, quaeri debent. Quare, si quid formaliter, aut logice verum est: id non ideo statim materialiter, seu metaphysice quoque verum est; contra, quod metaphysice, seu materialiter verum est, non potest non, etiam formaliter esse verum.

Obs. 2. Cogitabile quodque, vocatur etiam possibile. Sed possibile duplex est, scil. internum, seu logicum, et externum, seu reale. Logica possibilitas in sola rei cogitabilitate, seu in sola repugnantiae absentia, consistit. Realis possibilitas contra est, cum res, nexui rerum realiter actualium, non modo non repugnat, sed in eum plane quadrat. Num ergo logice possibile, realiter quoque possibile sit, id vero non ex Logicis, sed ex metaphysicis Legibus explicandum est.

CAPUT II. De Partibus Seriei Cogitationum constitutivis.

§. 23. Elementa Cognitionis logica.

Partes constitutivae fundamentales Seriei Cogitationum, in se ipsa consummatae, sunt Conceptus, Iudicium, et Ratiocinium. Quia vero hae ipsae partes, Logica quoque Cognitionis elementa vocantur: intelligitur omnem hanc materiam, in tria Capita esse dispescendam, scil. in Doctrinam de Conceptibus, — de Iudiciis, — et de Ratiociniis.

Obs. 1. Tres Facultatis cognoscendi operationes logicas, merito distinguunt Logici. Primum scil. cognitionis elementum logicum respectu Formae, est Conceptus, qui in se et per se, est cogitatio singularis, eo quod per eum, Aliquid cogitatur, (§. 16.) adeoque, in Serie cogitationum, nonnisi Thesim repraesentat, si quidem Conceptu, aliquid in cogitationibus ponitur.

In Iudicio, duo Conceptus invicem opponuntur, ut relationem mutuam liceat determinare, utrum ad se invicem pertineant, an minus? quod in Antithesi repraesentatur. Iudicium quidem, iam Seriem cogitationum efficit, sed nondum completam ac perfectam.

Denique, si plura Iudicia ad se relata, invicem coniunguntur: Ratiocinium inde exsistit, Synthesi repraesentatum, et quidem in Serie cogitationum iam consummata.

Obs. 2. Cum pro qualibet Mentis actuositate, si ea characteristica est, certam Facultatem, ut fontem illius sumimus: Sane Facultas cogitandi, in Intellectum, Iudicium, et Rationem optime dispescenda esse videtur. Intellectus in Conceptu, Iudicium in iudicando, Ratio in ratiocinando inprimis occupantur. Neque tamen hae Facultates, in tali relatione ad se invicem positae existimandae sunt, quasi eae, semet reciproce excluderent, nam re vera Intellectus et Ratio, sunt Functiones, quae iudicant. Quilibet Conceptus, si in notas suas resolvitur: fit Iudicium. Ratio, ob Tendentiam suam ad ro Absolutum, in Logica, sensu sumitur stricto. Vis iudicandi, est Functio palmaria in cogitando, sive functionem concipiendi, sive functionem ex Conceptibus concludendi, consideres.

Articulus I. De Conceptibus.

§. 24. Notio. Conceptus.

Conceptus, seu Notiones, sunt Repraesentationes, quae coniunctione aliarum Repraesentationum, proinde cooptatione variorum repraesentatorum, in unitatem Conscientiae factâ, generantur. (§. 16.)

Obs. Varia Intellectui oblata, unde exsistunt? Intellectusne ad ea coniungenda necessitatur, an pro mero arbitrio illa coniungit? Qua re Conceptus empirici et puri, invicem distinguuntur? — Enim vero, quia hae Quaestiones, metaphysici sunt argumenti, has a Logicae territorio prorsus alienas esse oportet.

§. 25. Generales Conceptuum Classes.

Cum Conceptus logice considerantur, aut heautologice, h. e. in se, et per se, et quidem, vel quantitative, i. e. intuitu magnitudinis, vel qualitative, i. e. intuitu proprietatis eorundem; — aut heterologice, h. e. in relatione, et quidem, vel ad se invicem, ut obiecta cogitandi, scil. obiectivo — relative; vel ad Subiectum cogitans, tamquam actum cogitandi, scil. modaliter considerantur. Hinc emergunt quatuor illae Classes, secundum quas Conceptus, logice possunt expendi, cum scil. ad eorundem Quantitatem, Qualitatem, Relationem, et Modalitatem reflectimus.

Obs. Haec Conceptuum classificatio, ex Tabula Categoriarum Kantiana desumta est, eo quod haec, quoad ordinem, et plenitudinem eorum, quae intuitu logico, de Conceptibus dici possunt, perfectissima esse putanda est: si quidem, in Forma Iudiciorum, si haec in sua elementa resolvantur, aut solum Subiectum, aut solum Praedicatum, aut Subiectum et Praedicatum, simul quidem, sed extra me, aut Subiectum et Praedicatum, simul quidem, sed relate ad me ipsum, qua Repraesentantem, possunt considerari.

§. 26. Quantitas Conceptuum.

Quilibet Conceptus est magnitudo quaedam, seu Quantum, in quantum scil. varia repraesentationum in se complectitur. Magnitudo ergo, seu Quantitas Conceptus, consistit, in pluritate repraesentationum, eius ope coniunctarum, estque, partim intensiva, vel magnitudo argumenti, seu quantitas Complexus, in quantum certae repraesentationes in eo, partim extensiva seu quantitas ambitus, in quantum eae sub eo, comprehenduntur. Quare, in diiudicatione Quantitatis Conceptus cuiusdam, non minus eius argumentum, quam ambitum oportet considerare. Ambitus Conceptus, Territorium quoque eiusdem, seu Sphaera appellatur.

Obs. Plures Repraesentationes, ope Conceptus, duplici ratione possunt coniungi. Scil. primum quidem ita, si plures repraesentationes in ipso conceptu coniunguntur v. c. homo, cui, veluti totali cuidam repraesentationi, partiales aliae repraesentationes, Animalitatis scil. et Rationalitatis, insunt; deinde autem ita, si plures

repraesentationes, sub ipso Conceptu, comprehenduntur v. c. Homo, velut universalis, seu altior Conceptus, alias repraesentationes particulares, vel inferiores, puta: Petrum, Paulum, Carolum, Ludovicum etc. tamquam Subordinatas sub se tenet. Conceptus autem, repraesentationes sub se habere dicitur, cum is, ipse his inest: Contra Conceptus, in se habere repraesentationes dicendus est, cum hae velut notae, in Conceptu deprehenduntur.

§. 27. Intensiva, et extensiva Conceptuum Quantitas.

Intensiva, et extensiva Conceptuum Quantitas, in inversa Proportione, inter se positae sunt. Nam, quo maius est Conceptus cuiusdam argumentum: ambitus eiusdem, eo minor esse putandus est; et vice versa: quo maior est Conceptus extensio, eo minor eius intensio habenda est.

Obs. Mutua, intensivae et extensivae Quantitatis, Proportio, non inter plures Conceptus, de iis enim, alibi tractandi Locus erit, sed in uno eodemque Conceptu, quaerenda ac intelligenda est v. c. Conceptus Hominis pauciores notas characteristicas in se continet, quam quot Subiecta, seu Individua sub se habet. Hinc Canon: Quo altiores sunt Conceptus: eo sunt pauperiores; contra, quo ii sunt inferiores: eo ditiores esse putandi sunt. Certe, actum est de Erudito, cuius cognitiones, solis altioribus Conceptibus, quin eae, inferiorum quoque vim ac potestatem intensivam, simul sibi adiungant, continentur: illi enim longe lateque prospiciunt, et solas vacuitates ubique intuentur. Haec caussa est, cur encyclopaedica omnium Scientiarum notitia, ieiuna nimis, et arida esse censenda est, nisi ubertatem quoque cognitionis, partium singularum, ex inferioribus Scientiis hauriendarum, secum illa coniungat. Illa mere superficiaria: haec sola solida iudicanda.

§. 28. Conceptus simplex et compositus.

Intensiva Conceptus Quantitas, eo maior est, quo plures; eoque minor, quo pauciores, in eo, notae continentur. Quod si argumentum Conceptus, infinite parvum est, ut pro restricta nostra Facultate cogitandi, nullas amplius notas, in eo discernere liceat: Conceptus simplex vocatur: contra, si, et in quantum discrimen notarum possibile est, Conceptus Compositus, seu Complexus nominatur. Expositio intensivae Conceptus Quantitatis Declaratio dicitur. Quare in Conceptibus simplicibus, nulla Declaratio locum habet: in cuius vicem, monstrandi tantum illi sunt, in Intuitione.

Obs. Simplicitas Conceptuum, est relativa tantum, et non absoluta: nam, in se, (intuitu transcendentali s. metaphysico) quilibet Conceptus, varia continet, ex quorum coniunctione is exsistit, ut nonnisi, ob limites Intellectus analysantis, et titulo logico, possunt dici Conceptus, esse simplices. Deinde autem, Simplicitas, a diversitate quoque Subiectorum cogitantium pendet, cum Conceptus, qui uni Simplex est, alteri, qui profundius res quasque rimatur, compositus esse videtur. Huius generis sunt Conceptus, qui ad realitates, seu Qualitates referuntur, et Conceptus abstracti v. c. Color ruber, viridis, ego, to esse, scire, actuositas, dulce, amarum acidum, salsum, humidum, sic,

eum, celeritas, durities, ens, aliquid, et sic porro. Quod si Conceptus quidam, non in individuali, sed in universali relatione simplex est: nae is, nullius quoque amplius declarationis, capax est v. c. Ens.

§. 29. Conceptus individualis et genericus.

Quantitas quoque Conceptus extensiva, eo maior est, quo plures: eoque minor, quo pauciores repraesentationes, sub eo comprehenduntur. Quod si Sphaera Conceptus, absolute minima fuerit: is nullas alias repraesentationes, amplius sub se continet, et cum Intuitione unius Obiecti coniunctus est, Conceptus singularis seu individualis dicitur: si tamen Sphaera eiusdem maior est, ut ad multitudinem Obiectorum porrigatur, pluresque repraesentationes sub se habeat: Conceptus genericus, seu Capax, potest appellari. Expositio, extensivae Conceptus Quantitatis, Divisio nominatur, vi cuius, Conceptui, alii Conceptus subordinantur, sic quidem, ut ille, altior, seu universalis, hi, ut inferiores, seu particulares Conceptus appareant. Quare Conceptus individuales dividi nequeunt: sed quia hoc, in proprietate Conceptuum peculiari inest: de eo infra, in Classe Relationis agendum erit.

Obs. 1. Expressio isthaec, Conceptus universalis, in duplici significatione sumitur. Scil. Conceptus universalis, aut communis est, etiamsi is, sensu absoluto sumtus, transcendentalis, seu metaphysicus fuerit, si modo Intuitioni, seu Sensationi, tamquam repraesentationi individuali, opponitur. v. c. Causa et Effectus, — utque: Sol me sua luce collustrat. Pari ratione Conceptus universalis, seu communis esse putandus est, etiamsi, sensu relativo sumtus, logicus fuerit, si modo is, quâ superior, inferiori opponitur v. c. Ens, Animal, Homo.

Obs. 2. Quodsi Conceptus, per se, proinde extra relationem logicam, intuitu Sphaerae considerantur: omnes ii, sine discrimine, Entia universalia, aut simpliciter Universalia, possunt nuncupari; si quidem, quilibet Conceptus, ens logicum est, plures alias res, sub se comprehendens. Enimvero Universalia isthaec, praeterea, duplici ratione possunt considerari. Scil.

Aut Conceptus universales, pro imaginibus rerum actualium exemplaribus, (αρχετυποι) sumuntur, quos, intelligentia quaedam, originarie productiva, delineavit (quales fuerunt etiam Ideae Platonicae) quibus congruenter postmodum, effigies rerum exstantium (εκτυποι) responderent.

Aut Entia cognoscentia, tamquam Intelligentiae sumuntur, quae Conceptus illos exemplares imitando, secundarias quasi imagines, postmodum produxere, quas cum, in actu cognoscendi consideramus, dum scil. Ens cognoscens, varia repraesentationum sensibilium, confestim ad obiectivam Conceptuum unitatem, sibi haud conscium, extollit, quam unitatem, in repraesentatis obiectis, ipsum quasi invenit. Respectu hoc transcendentali, seu metaphysico, cum Conceptus in sua origine considerantur, Conceptus universales, aut Couniversales seu Universalia in re v. c. si Conceptum hunc Fornax, in praesenti, quae me afficit, Fornace intueor.

Aut Ens intelligens, in Statu acquisitae cognitionis, ita consideramus, tamquam quod, Conceptus suos, ab Obiectis repraesentatis abstrahit, eosque, in sua Conscientia reperit. Id genus Conceptus universales, respectu logico, cum eos, ut datos sumimus, Postuniversalia, seu Universalia post rem appellantur. v. c. Homo, domus, equus etc.

Atque hinc facile Concertationem, super Quaestione vere metaphysica, antiquorum Nominalistarum et Realistarum, de Universalibus motam, diuque et fervide agitatam, diiudicaveris.

§. 30. Qualitas Conceptuum.

Quandoquidem, quilibet Conceptus, in Unitate variorum Conscientiae, quibus aliquid repraesentatur, inest; intelligitur, Qualitatem Conceptus, in gradu illo Conscientiae versari, quo *to* repraesentatum cogitamus, proinde in perfectione, aut imperfectione illa, exhibitionis Unitatis, et variorum datorum, quae durante Cogitatione, in Conscientia deprehenditur.

Obs. Sunt, qui Qualitatem Conceptuum logicam, Perfectionem eorum, dicunt. Sed male. Nam Imperfectio quoque Conceptus v. c. Obscuritas, et Inperspicuitas, Qualitati eius accensetur.

§. 31. Claritas. Perspicuitas. Obscuritas. Imperspicuitas.

Quo Clarior, magisque perspicuus Conceptus, dum eum cogitamus, fuerit: eo ille, respectu logico, perfectior esse putandus est. Quare Claritas, et Perspicuitas Conceptuum, tamquam ambo hi cardinales, logicae eorum Perfectionis gradus, eorundemque oppositum, Obscuritas, et Inperspicuitas, tamquam cardinales imperfectionis illorum gradus, possunt constitui, inter quos, complures medii gradus, locum habere debent. Atque sic oriuntur quatuor Conceptuum genera cardinalia, respectu qualitativo, scil. Conceptus, clari, obscuri, perspicui, seu distincti, et imperspicui, seu indistincti.

Obs. Expositae, Claritatis et Perspicuitatis Conceptuum Denominationes, a functione videndi, videntur esse repetendae. Quemadmodum scil. in tenebris, nihil prorsus videmus, dum sensim sensim, Obscuritate depulsa, res nobis circumpositas, plane videre, easque crescente luminis copia discernere licuerit: ita inter cogitandum quoque, iam Unitas Conceptus, iam varia eiusdem, ad uberiorem Conscientiae lucem eluctantur, aut contra, in profundas tenebras, adeo vicissim demerguntur, ut vix quaedam, eaque dubia, in Conscientia, post se relinquant sui vestigia. In casu primo, Conceptus clari, in secundo perspicui, in tertio obscuri esse videntur.

§. 32. Claritas et Obscuritas Conceptuum.

Claritas Conceptus in tali Conscientiae, de eo, quod per illum repraesentatur, gradu consistit, ut id ab eo, quod aliis Conceptibus repraesentamus, universe discernere valeamus. Quo maior, aut minor eius copia fuerit, a quo id, quod per Conceptum repraesentamus, distinguere licet, eo maior, aut minor sit Conceptus

quoque Claritas, necesse est. Proinde, ipsa quoque Claritas, varios admittit gradus. Oppositum Claritatis est Obscuritas Conceptus, in qua, nulla immediata eius Conscientia locum habere potest.

Obs. 1. Claritas Conceptuum duplex est, totalis scil. vel absoluta, cum et obiecta ipsa, ab omnibus aliis Obiectis, et Conceptum, a reliquis Conceptibus omnibus, discernimus; aut partialis, seu relativa, cum, nec obiecta ab omnibus aliis, nec Conceptus ab Universis, sed a quibusdam tantum, valemus distinguere. Pariter Obscuritas, alia absoluta, alia relativa esse potest. Nonnisi absoluta Claritas, absolutaque Obscuritas, sibi invicem, ut duo extrema opponuntur: inter quae, logicum illud claro — obscurum, per infinitas gradationes, locum habere potest.

Obs. 2. Quae est Relatio Conceptuum clarorum et obscurorum ad Conscientiam? h. e. quomodo eorum conscii sumus? Resp. Conscientia Conceptuum obscurorum, non immediata, sed tantum mediata est, h. e. illorum, nonnisi in tantum conscii esse possumus, in quantum ii, cum aliis conceptibus coniuncti sunt, et cum iis quidem, de quibus immediatam habemus Conscientiam. Immediate vero, nonnisi illorum Conceptuum possumus esse conscii, quos ab aliis conceptibus discernimus, et quos, ut ab iis discernendos, cogitamus.

Obs. 3. Dum Conceptus clari redduntur, Intellectus collustratur h. e. is ex obscura Conscientia in lucidam emersit. Hinc Collustratio, quâ Status, est illa Repraesentationum nostrarum qualitas, quatenus eae, debita claritate pollent, — estque theoretica, et practica. Collustratio theoretica est, cum claritas Conceptuum, cognitionem Obiectorum attingit; practica autem, quae ad Ius et officium refertur. Vera Collustratio, Voluntatem et Intellectum, peraeque pro Obiecto habere debet.

§. 33. Perspicuitas. Imperspicuitas. Confusio.

Perspicuitas Conceptus, in tali Conscientiae de eo, quod Conceptu repraesentatur, gradu consistit, ut eius ope, varia ad Unitatem coniuncta, ab se invicem discerni queant, proinde, inest illa, in claritate Repraesentationum, conceptu comprehensarum. Aut etiam dixeris: Conceptus distinctus est, si diversa illa, quae Conceptus, in, et sub se, habet, et cognosci, et discerni possunt. Quandoquidem autem Claritas isthaec, maior aut minor esse potest: ut perspicuitas quoque, pariter suos habeat gradus, necesse est. Oppositum Perspicuitatis est Imperspicuitas, quae, in quantum cum perturbatione cogitationum coniuncta est, Confusio appellatur.

Obs. In Notionibus, seu Conceptibus, id reddi debet clārum, quod sua prius Claritate destitutum erat, puta, varia Notionem constituentia, seu characteres Conceptus distinctivi. v. c. qui hominem ita cogitat, ut eum non tantum ab animalibus, arboribus, domibusque distinguat, sed etiam conscius sibi sit, eum esse animal rationale, sexus masculini, aut foeminini, is distinctum de homine Conceptum habere censendus est. Consequenter Imperspicuitas in defectu discriminis variorum inest.

§. 34. Perspicuitas intensiva, et extensiva.

Cum varia Conceptu coniuncta, partim in Conceptu contineri, partim sub Conceptu comprehendi possunt; Casus prior, intensivam Quantitatem, Complexum, seu Argumentum Conceptus; casus autem posterior, extensivam Conceptus quantitatem, Ambitum, seu Sphaeram arguit: intelligitur, Perspicuitatem, partim in intensiva, partim in extensiva Perspicuitate, positam esse. Quandoquidem autem, non minus dari possunt Conceptus v. c. simplices, quorum Argumentum infinite parvum est, quam etiam tales, quorum Ambitus absolute minimus est (§. 29.): intelligitur illos, nullius intensivae, sed extensivae, hos autem nullius extensivae, sed intensivae, Perspicuitatis capaces esse.

Obs. 1. Varia illa, quae ad conceptum pertinent, huiusque ope coniunguntur, nam in illis Repraesentationibus cernuntur, quae in eo continentur, eiusque complexum, seu argumentum efficiunt, sed etiam in illis, quae sub eo comprehenduntur, Sphaeramque eius constituunt. Quodsi partiales illae Repraesentationes, quae, ad totalem Conceptus Repraesentationem pertinent, debita claritate pollent, atque discerni queunt, Perspicuitas est intensiva; sin autem particulares illae Repraesentationes, quae ad Conceptum Repraesentationis universalis, angustioremque eius Sphaeram pertinent, inter se distinguuntur, Perspicuitas est extensiva; v. c. si dico Homines sunt entia animali — rationalia, Perspicuitatem Conceptus hominis intensivam: sin autem dico: Homines sunt, aut sexus masculini, aut sexus foeminini; extensivam pronunciavi perspicuitatem. Illa Declarationibus, haec autem Divisionibus instituitur.

Obs. 2. Duae hinc emergunt Consequentiae momentosae. Scil. Falsum est, quod universe dicitur, Conceptus simplices, perspicuos reddi non posse: cum hoc, intensive tantum verum sit, non autem extensive. v. c. Aliquid, seu Ens est, aut logicum, aut reale, — Repraesentatio quaeque, aut sensibilis est, aut intellectualis, — Color — aut rubeus est, aut roseus, aut coccineus, aut purpureus. — Pariter falsum est, quod vulgo asseritur: Conceptum quemlibet compositum, posse effici perspicuum, cum hoc, de Conceptu individuali, extensive falsum est, intensive autem, verum esse debet v. c. Alexander Magnus nihil sub se habet: in se habet autem hos characteres: fuisse eum Regem Macedoniae, filium Philippi, militem strenuum, discipulum Aristotelis, literarum, atque eruditionis fautorem, impotentem Irae, crudelem etc. Atque haec causa est, cur Conceptus, qui singularis vocatur, dividi nequeat, simplex autem, declarari non possit.

Obs. 3. Logici, alias adhuc Perspicuitatis quoque Species commemorant v. c. discursivam, et intuitivam, analyticam et Syntheticam. Perspicuitas discursiva est, cum variorum, ope Conceptus coniunctorum, sola cogitatione conscii sumus, unde intellectualis, et logica quoque perspicuitas, vocatur. Perspicuitas autem intuitiva, est clara variorum, in Intuitione datorum, repraesentatio, per imaginandi facultatem. Enimvero Perspicuitas intuitiva, non ad Logicam, sed ad Aestheticam, et Mathemathicam spectat.

Perspicuitas analytica in datis, synthetica autem in Conceptibus factitiis obtinet. Nempe, si Conceptus ante notas datus est, et postmodum is, in has ipsas resolvitur: tum analytice foret perspicuus: sin autem Conceptus, simul cum notis datur, h. e. cum primum componitur: profecto is, synthetice perspicuus est. Enimvero, omnis haec expositio falsa est. — Quare tenendum, solam Perspicuitatem intensivam, esse analyticam: contra extensivam, esse syntheticam. Hinc est, quod cognitio nostra, Perspicuitate intensiva, nonnisi dilucidatur, extensiva autem amplificatur.

§. 35. Perspicuitas primae, secundae, tertiae Potentiae.

Si varia per Conceptum coniuncta, singillatim considerata, vicissim id genus variorum complexum efficiunt, et in hac Qualitate, denuo invicem discernuntur, ita, ut notarum characteristicarum, cum claritate liceat nobis esse consciis: Conceptus talis explicite distinctus, penitius, et fusius explicitus, vocatur. Quare Amplitudo isthaec explicita, cernitur in Perspicuitate, repraesentationum Conceptu coniunctarum: unde etiam Perspicuitas secundae Potentiae nominatur. Quodsi haec, Perspicuitatis, conceptibus conciliandae operatio, quoad argumentum, et ambitum, porro quoque sine remissione continuatur: tum vero Amplitudo Conceptuum explicita, vicissim suos habet gradus, qui ut Perspicuitas tertiae, quartae, quintae etc. Potentiae, possunt repraesentari. — Denique, si in Distinctione, seu separata variorum per Conceptum coniunctorum exhibitione, usque ad Conceptus minimi Argumenti, seu simplices (§. 28.) aut minimi Ambitus, (§. 29.) provecti sumus: tum vero Perspicuitas, summum suum gradum assecuta est, quem, Perfectionem logicam, per eminentiam, seu Plenitudinem logicam nuncupamus. Est ergo Conceptus plene perspicuus, seu complete distinctus, aut completus, logiceque, sensu eminenti, perfectus, si, et in quantum nobis, consummatae distinctionis variorum, per Conceptum coniunctorum, conscii sumus.

Obs. 1. Ut Conceptus, intuitu, et argumenti, et ambitus, perspicuos efficere liceat: minime in proximis illis repraesentationibus, quae per illum coniunctae sunt, subsistendum erit; sed opera danda, ut Perspicuitas, semper, magis et magis amplietur, donec ad extremos Perspicuitatis limites, perventum fuerit, h. e. quamdiu non in simplices, et individuales Conceptus offenderimus, ubi scil. Perspicuitas, absoluta potest censeri. Ideale vero isthoc Logicae Perfectionis, semperne nobis liceat assequi, an non: Lectorum iudicio relictum esto. Id certum est, Perspicuitatem Conceptuum proprie, respectu tantum scientifico, pro Eruditis in sua cuiusque arte esse necessariam: Nam quoad vitam, realesque eius functiones, ipsa Claritas, in plerisque casibus sufficit.

Obs. 2. Si Amplitudo, et Plenitudo Conceptuum, ut peculiares, Perfectionis logicae gradus, considerantur: quatuor eorum Classes, videntur constituendae, ut pote: Claritas, Perspicuitas, Amplitudo, et Plenitudo; quibus Obscuritas, Imperspicuitas, defectus Amplitudinis,

et Plenitudinis, opponuntur. Qua in re tamen, observandum est, quod, cum ad altiorem Perspicuitatis gradum grassamur, Claritatem Conceptuum, Amplitudine eorundem, non modo non augeri, sed potius deminui. Unde Canon: Altiores Perspicuitatis Potentiae, cum Gradibus Claritatis, in reciproca Proportione stant. Quo altius ergo in cogitando positi sumus, eo ampliora quidem contemplamur; sed obiecta continuo minora nobis contemplantibus evadunt, et sensim sensim eadem, singillatim e conspectu nostro tandem disparent.

Obs. 3. Logici vulgo, Amplitudinem, et Plenitudinem Conceptuum, confundunt, cumque aliis Declarationibus permutant v. c. Wolf, Platner, Jakob, Riesewetter, Schaumann et alii.

Obs. 4. Si Conceptus, ad Perspicuitatem evehere, et quidem intensive, h. e. discrimine notarum (analysi) instituendo volumus: variae modificationes locum habere possunt, intuitu quarum Conceptus, peculiares adhuc denominationes obtinent, quae eorum Qualitatem, respectu Formae, et Materiae, exprimunt. Sic v. c. Notio recta, seu iusta est, cum criteria exhibentur, quae, cogitatis eorum ope obiectis, re ipsa competunt: e contrario, eadem, prava seu vitiosa est. Notio sufficiens est, cum totidem notae proferuntur, quot ad certum finem necessarii esse videntur: contra insufficientes. Notio adaequata est, cum neque iusto plura, neque iusto pauciora, adhibentur criteria: contra inadaequata est, si aut aequo plura, paucioraque criteria, indicantur, quo in casu, notio, aut superflua sive superabundans, aut manca esse putanda est. Notio definita est, si criteria singulari cum adcuratione proferuntur, unde praecisio, et paritas Conceptuum, exsistit. Contra autem notio est indefinita, cum, in specie, ea fluctuans est, si intuitu criteriorum, Conceptui competentium, incertitudinem quandam prae se fert, et obliqua seu ambigua, si criteria aequivoca adfert, quae diversa obiecta, non ad eundem conceptum spectantia, respiciunt.

Obs. 5. Perspicuitas Vocum, quam interdum Logici peculiariter tractant, partim a Perspicuitate Conceptuum, partim a notitia, usuque Linguae acurato, pendet, atque aut Logica, aut grammatico — rhetorica esse censenda est. Unde, sponte intelligitur, sine Perspicuitate Conceptuum, nullam quoque vocum perspicuitatem, locum habere posse.

§. 36. Relatio Conceptuum.

Relatio Conceptuum, in talibus eorundem determinationibus consistit, quae iis, non in se, et per se consideratis, verum respectu tantum mutuo, competunt, proinde, nonnisi reciproca, inter eos instituta comparatione, ad Conscientiam pervenire possunt. (§. 25. Obs.) Quare, ad quemlibet Conceptum, qui ut Relatum cogitandum est, Correlatum quoque, simul cum eo, cogitari debet, etiamsi hoc, in se, ab eo non diversum foret. Cum autem Conceptus inter se comparantur: profecto, aut Argumentum, aut Ambitus eorundem veniunt in considerationem, (§. 26.) ut Relatio eorum, his congruenter queat determinari. Consequenter, ut omnes omnino Conceptuum relationes, aut ab eorum Argumento, aut ab eorundem Ambitu dependeant, necesse est.

§. 37. Identitas, et Diversitas Conceptuum.

Intuitu Argumenti Conceptuum, in comparatione eorum mutua, praecipue, Identitas et Diversitas, debent respici. Illa, in paritate: haec, in imparitate notarum, seu Criteriorum eorundem insunt. Conceptus ergo identici vocantur, si eadem in illis criteria deprehenduntur: qui in casum contrarium diversi habendi sunt. Quandoquidem autem, duo aut plures conceptus, qui absolute identici, et facto ipso pares forent, re ipsa unum duntaxat cogitandi obiectum efficerent: nae ii, nonnisi in tantum possent, pro duobus, aut pluribus Conceptibus repraesentari, in quantum, aut in diversis Subiectis, aut in eodem Subiecto, variis temporibus, aut ut communes notae, in diversis Conceptibus continerentur. Atque in casu hoc postremo, Conceptus diversi, relative identici, similes et affines, seu cognati appellantur.

Obs. 1. Sunt quidam Logicorum, qui dicant: duo aut plures conceptus, qui prorsus identici forent, cogitari non possunt, et hoc enunciatum: Principium Indiscernibilium vocant. Sed hoc Enunciatum, nonnisi in tantum verum est, in quantum, de uno eodemque Subiecto, actuque cogitationis unico, sermo est. Nam simulac duo diversa Cogitandi Subiecta ponantur, Conceptus, quos de certo Obiecto habent, plane identici esse possunt, et tamen discerni, seu pro duobus cogitari queunt, — licet discrimen, non internum, sed externum est. Sic conceptum, quem olim habuimus, si cum eo, quem hodie de eodem obiecto habemus, comparamus, notaeque eaedem fuerint. Conceptus quoque erit identicus, — quamquam non interne, sed externe distinguendi. Caeterum Principium Indiscernibilium, quoad materiam, Metaphysicae investigandum relinquitur.

Obs. 2. Si conceptus, in duobus diversis conceptibus, ut commune criterium occurrit, ii eatenus, seu, relative identici, sunt v. c. Homo et equus intuitu criterii Animalis. Atque hac inre Similitudo, Affinitas, et Cognatio Conceptuum continentur — quamquam alii, Affinitatem illam dicant, cum Conceptus quidam, in duobus diversis Conceptibus, nonnisi fortuito, tamquam criterium commune occurit: et, si necessario id eveniat, Cognationem appellant. v. c. mensa viridis, et vestimentum viride, affines, piscis et avis, cognati conceptus nuncupantur. — Caeterum, complexus notarum (criteriorum, characterum) illarum, quarum ope, Conceptus non esse identicos, cognoscitur, Differentia logica dicitur.

§. 38. Consensus et Repugnantia Conceptuum.

Tum, intuitu Argumenti Conceptuum, in Comparatione eorum mutua, Consensus et Repugnantia, videntur spectari debere. Consensus, in potentia; Repugnantia autem, in impotentia coniungendi versatur. Quare Conceptus consentientes, seu convenientes vocantur, in quantum ii, in repraesentatione Obiecti, coniungi se patiuntur: contra autem repugnantes, aut, in quantum iidem antithetici fuerint, oppositi nominantur.

Obs. 1. Identitas et Consensus, quemadmodum Diversitas et Repugnantia, minime invicem confundi debent. Identici Conceptus qui-

dem, vi Principii absolutae Identitatis, (A = A. §. 17.) sunt consentientes: neque tamen quilibet Conceptus convenientes, ideo statim identici quoque putandi sunt. Sic: Eruditio, Virtus, Pulchritudo, Divitiae sunt Conceptus consentientes, eo quod in repraesentatione unius Obiecti, coniungi possunt, ut ut inter se, diversi esse videantur. Pariter omnes Conceptus repugnantes, sunt inter se, diversi; neque tamen quilibet diversi Conceptus, repugnantes habendi, sed ii tantum, quorum diversitas tanta est, ut simul Oppositionem involvat v. c. Virtus et Scelus, Pulchritudo et Deformitas, Paupertas et Divitiae.

Obs. 2. Repugnantia, interdum Contradictio quoque vocatur, ut sensu latiori, ambae Expressiones, idem videantur denotare. Hinc fit, ut Principium Theseos, (§. 18.) tam Principium Repugnantiae, quam etiam Principium Contradictionis vocitetur. Sensu tamen strictiori, Contradictio, seu Oppositio contradictoria, a mera Repugnantia, vel Contrarietate, seu Oppositione contraria, differt. Videlicet, si Conceptus invicem directe, vel diametraliter, seu per simplicem negationem, oppositi sunt: contradicentes sensu strictiori, contradictorii, seu contradictorie oppositi, appellantur v. c. viride et non viride, scribere et non scribere. Si vero Conceptus invicem, indirecte seu positive, vel per positionem alterius oppositi sunt: ii mere repugnantes, repugnantes sensu strictiori, contrarii, seu contrarie oppositi nominantur, v. e. viride, rubrum, flavum, ire, stare, sedere etc. In casu priori, Conceptus contradictorii, sunt tantum duo, quorum unus tantum Obiecto competit: in Casu autem posteriori, Conceptus repugnantes, plures esse possunt, quare, neque etiam necessarium est, ut si unus eorum Obiecto non competat, reliqui competere debeant.

Obs. 3. Oppositione contradictoria, Conceptus, logice affirmantes, et logice negantes exsistunt: illis ponitur, his tollitur. Illi Realitates logicae seu Positiones, hi Irrealitates, seu negationes vocari possunt. Conceptus non aliter logice tolli potest, quam per Contradictionem, aut simplicem negationem: nulla autem Negatio cogitari prius potest, quam Affirmatio cogitata est, adeoque, mera Negatione nihil prorsus cogitaretur, nisi simul, certa quoque Realitas fuisset cogitata.

Interdum Negatio, mere apparens esse potest, qua Realitas ponitur, si id, quod negatur, Negationem Realitatis involvit v. c. Mors et Immortalitas. Sed hic Logica nihil potest praestare: cum res, rationibus aliunde sumtis, debeat diiudicari. Quod si ergo Conceptus rei cuiuspiam, ex meris Negationibus, nihil Positivi involventibus, compositus esset: Notio foret absolute vacua, seu inanis, et res ipsa, ad quam referretur Ens privativum, seu Nihil, dici deberet. Hoc genus Conceptuum, vocant quidam Logici, Conceptus infinitos: sed male. Nam nonnisi Conceptus negativus, opposite ad affirmantem, proinde relative potest, infinitus vocari; siquidem res, positione, in Sphaeram aliarum rerum infinitam transponitur, v. c. Si dico: hoc pomum est rubrum: dico simul, non esse idem, sive album, sive nigrum, sive flavum, sive viride etc.

§. 39. To Internum et Externum in Conceptu.

Porro, intuitu Argumenti Conceptuum, in eorum Comparatione mutua, to Internum et Externum, videntur esse respicienda. Internum consistit in notis (criteriis) illis, quae Obiecto Con-

ceptus, per ipsam eius naturam, seu necessario competunt; atque simul sumtae Essentiam efficiunt, singillatim autem sumtae essentialia vocantur. Externum vero, in notis illis cernitur, quae Obiecto Conceptus, nonnisi contingenter, seu possibiliter competunt, et Accidentia, seu Modi nuncupantur.

Obs. Conceptus Rationalitatis, et Animalitatis, cum conceptu Hominis comparati, ad Internum eius spectant: et ii, velut notae hominis simul sumti, Essentiam eiusdem constituunt. Sed essentialia ipsa vicissim in constitutiva, (criteria), eo quod essentiam rei constituant, suntque notae originariae, seu radicales, et in consecutiva, quae ex illis consequuntur, suntque notae derivativae, distribuuntur. In quantum Conceptus hi, velut notae, Obiecto tribuuntur, sensu latiori Proprietates, seu Attributa vocantur; et quidem, aut Proprietates sensu strictiori, seu Attributa propria, si Obiecto exclusive competunt; aut Attributa communia, si non tantum certo Obiecto, sed etiam aliis rebus tribuenda videntur.

Contra Conceptus, qui Accidentia seu Modi vocantur, cum Obiecto Conceptus comparati, si tales esse videntur, qui plane non necessarii sunt, adeoque, ut adesse, ita abesse quoque possunt, aut Affectiones sunt, si obiecto, in se, et per se considerato tribuuntur; aut Relationes, si ei, nonnisi intuitu aliorum Obiectorum competunt, ex quibus unum Relatum, alterum Correlatum est.

Conceptus, qui in Comparatione cum alio, ad Externum pertinet, in comparatione vicissim, cum alio aliquo, ad Internum potest pertinere v. c. Vitiositas ad Externum hominis pertinet: sed eadem ad Internum Scelerati spectat.

Qualitates, et Proprietates Conceptuum, vulgo confunduntur. Male. Nam Qualitates sensu stricto ad Externum: Proprietates vero, ad 70 Internum Conceptus pertinent.

§. 40. Materia et Forma Conceptuum.

Denique in Comparatione Conceptuum, intuitu Argumenti eorúndem, Materia quoque, et Forma debent simul considerari. Materia, in Repraesentationibus illis inest, quae ad unitatem (unam cogitationem) coniunguntur: Forma autem, in modo illo cernitur, quo Coniunctio isthaec perficitur. Respectu autem Conceptuum singularium, discrimen hoc ipsam Conceptuum originem, synthetica cogitatione effectorum, attingit, adeoque non ad Logicam, sed ad Metaphysicam spectat. Contra, si plures Conceptus inter se, ad ordinarias Cogitationum Series coniuncti sunt; et tum duas, aut plures Cogitationum Series, intuitu Relationis Materiae, et Formae eorundem invicem comparamus: profecto hae Series, aut in Relatione Diversitatis, et Materiae et Formae, — aut in Relatione Identitatis, Materiae, et Diversitatis Formae, — aut in Relatione Identitatis, Formae, Diversitatisque Materiae, — aut in Relatione Identitatis, tam Materiae quam Formae positae sunt.

Obs. Prima relatio est frequentissima v. c. quae inter Orationes Demosthenis et Ciceronis obtinet. Secunda locum habet, cum iidem Conceptus, primum quidem synthetice, mox analytice construun-

tur. (de qua re infra) tertia in Chriis Scholaribus exhibetur. Quartae Exemplum, est in eadem cognitione, quae duobus diversis Subiectis propria est, adeoque cogitationum Series, non interne, sed externe discernuntur.

§. 41. Subordinatio et Coordinatio Conceptuum.

Intuitu Ambitus Conceptuum, ii, aut in Relatione Subordinationis, aut in Relatione Coordinationis, positi sunt. Conceptus subordinati sunt, si unus in Sphaera alterius comprehenditur, h. e. partem Sphaerae alterius efficit, v. c. Homo et Vir. Conceptus autem coordinati sunt, qui iuxta se invicem positi, tertii conceptus Sphaeram effingunt v. c. Maritus, et uxor. Quare Conceptuum Subordinatorum unus, alterum includit: Coordinatorum autem unus, alterum excludit.

Obs. Non desunt Logici, qui illos quoque Conceptus coordinatos vocant, qui simul sumti, Argumentum certi cuiusdam Conceptus, efficiunt. Ut v. c. Rationalitas, et Animalitas, velut notae, ad notionem hominis relatae. Quodsi vocem Coordinationis, latiori hoc sensu sumere placet: tum vero Conceptus coordinati prioris Classis, quae ad extensivam referuntur Quantitatem (Maritus et uxor) disiuncti, hi vero posterioris classis, qui ad intensivam Quantitatem spectant (Rationalitas et Animalitas) disparati nominabuntur Conceptus. Nam, hi quidem in una Notione coniuncti sunt, neque tamen pro talibus habentur, qui par efficerent: illi autem ita considerantur, neque tamen in tertio quopiam conceptu, coniunguntur, sed nonnisi sub eo comprehenduntur. Disparati Conceptus, semper consoni: contra disiuncti, oppositi sunt.

§. 42. Conceptus Superiores, et inferiores.

Conceptuum Subordinatorum unus Superior, seu latior, alter inferior, seu angustior est. Ille, qui maiorem habet Sphaeram, et inferioris Sphaeram in se continet: universalis etiam dici potest; contra hic, qui minori Sphaera gaudet, proinde in Sphaera altioris continetur, particularis potest nominari (§. 29.)

Obs. 1. Cum Argumentum, et Ambitus Conceptuum, in reciproca proportione posita inter se sunt: Conceptus inferior, semper maiori argumento pollet, quam Superior. Et quia Conceptus Superior, ex toto in inferiori continetur: intelligitur, Conceptum Superiorem, de inferiori, sine exceptione posse praedicari, sed non vice versa. v. c. Omnis quercus est arbor; sed non omnis arbor est quercus.

Obs. 2. Conceptus Subordinati, sunt inter se consentientes, non tamen identici, cum inferior, maius habet Argumentum, Ambitumque minorem, quam superior. Quare ii, nonnisi relative identici sunt, adeoque propinquitate coniuncti, et quidem non per affinitatem, sed per cognationem. (§. 37. Obs. 2.) Est autem Subordinatio, alia immediata, alia mediata.

Obs. 3. Si duo Conceptus subordinati, cum suis Negationibus (Non A Non B) simul cogitantur: posteriores invicem, in reciproca proportione, sunt subordinati. Nam quo plures notae a Conceptu quopiam tolluntur: is, eo amplior futurus est. — Unde simul perspicitur,

Infinitatem Conceptuum negativorum (§. 38. Obs. 3.) proprie, in sola indeterminabilitate Sphaerarum eorundem, versari, cum una Infinitas, aliâ maior esse nequit.

§. 43. Conceptus generalis, et specialis.

Conceptus superior, in quantum is communis est, bene multorum inferiorum Conceptuum nota: Conceptus quoque generalis, sensu latiori vocatur, Obiectaque sub illa cemprehensa, simul sumta, sensu latiori Genus, seu Genus generalissimum efficiunt. Conceptus generalis, in quantum is, immediate ad plures res singulares, seu Individua refertur, Conceptus specialis dicitur, atque Individua haec, simul sumta, Speciem (apud antiquos Formam, partem) constituunt, et in quantum Conceptus, ad plures simul species extenditur, Conceptus generalis sensu strictiori, et ipsae hae species cogitando compositae, Genus sensu strictiori describunt. Reductio Specierum ad Genera Generificatio: distributio Generum in Species Specificatio vocatur. Genera et Species interdum Classes nuncupantur. Quare exhibitio Generum et Specierum, in uno eodemque Systemate Classificatio dicenda est.

Obs. Cum Genera, in gradatione eorum continuâ, quam plurima esse possunt: Logici Genera, in superiora, inferiora, proxima, remota, distribuenda putarunt, eaque peculiaribus his nominibus Regna, Classes, Ordines, designarunt. Genera inferiora Genera Subalterna, ut Species inferiores. Species Subalternae dicuntur. Supremum Genus, Antiqui, Genus generalissimum et Speciem infimam, Speciem specialissimam vocitarunt. Si partes sub Sphaera unius generis comprehensae, ut peculiaria Genera iuxta se invicem ponuntur Genera coordinata, iam sensu latiori, iam sensu strictiori, — et pariter Species coordinatae exsistunt. Res, quae ad unum idemque Genus pertinent, homogeneae, quae ad diversum genus spectant, heterogeneae vocantur. Homogeneitas, varios habet Gradus, prout scil. res, pluribus aut paucioribus notis, discernuntur. Quo magis peculiaribus notis, res duae gaudent: eo minus homogeneae sunt. Res, quae intuitu Generis inferioris, heterogeneae sunt, intuitu Generis superioris, homogeneae esse possunt.

§. 44. Summum, et infimum Genus. Genera media.

Summum Genus vocatur, quod non amplius, sub aliquo alio Genere comprehensum est: Contra infimum Genus appellatur, quod non aliud quodpiam Genus, sed mera Individua, sub se continet. Et quia hoc Genus, Species nominatur: Genus illud infimum esse putandum erit, quod meras Species sub se habet. Conceptus, qui inter summum, infimumque Genus, interpositi comprehenduntur, Genera media nuncupantur, atque, si modo superiora, et inferiora Genera, superiores et inferiores Species adoptantur, iidem, Genera intermedia, et Species intermediae denominantur, — in pleno autem Systemate, negligi non debent.

Obs. Conceptus Summi Generis, si modo eius nomine Obiectum cogitabile intelligi debeat, non alius esse potest, quam hic: Aliquid, aut Ens, aut Res: contra, infimum Genus, sensu proprio, indeterminabile est, cum novas, ac novas, sine fine Species, liceat discernere. Unde liquet, Conceptus Generis, ac Speciei, mere relativos esse, adeoque, unum quodque Genus, summo excepto, ut speciem, et speciem quamlibet, ut Genus, posse cogitari. Caeterum, Conceptus Generum universe, immutabiles sunt: interim experientia teste, dantur Species variabilis characteris, in determinationibus contingentibus, quae Varietates et Progenies nominantur.

§. 45. a) Differentia numerica, specifica, generica.

Quandoquidem, complexus notarum (criteriorum) illarum, ope quarum diversitas Conceptuum cognoscitur, Discrimen Logicum dicitur: (§. 37. Obs. 2.) intelligitur, complexum quoque notarum illarum, quibus res singulares, ad eandem speciem pertinentes, discernuntur Differentiam individualem seu numericam; — complexum illarum notarum, quibus Species, ad idem Genus pertinentes, discernuntur, Differentiam specificam; — denique complexum illarum notarum, quibus Genera inferiora, sub supremo Genere comprehensa discernuntur, Differentiam genericam appellari. Interim autem nomine Differentiae specificae, sensu latiori, quaelibet eiusmodi nota intelligitur, qua Conceptus inferior, a proxime superiori distinguitur.

Obs. Individua, nonnisi Perceptione externa, internaque Intuitione, ac sensatione possunt adaequate discerni: sed discrimen eorum numericum, infinitum est, quod, cum omnimode debeant determinari, ex omnibus possibilibus contradictoriis notis, una illis competere debet. Contra Species, et Genera, uno, aut saltim paucis criteriis plene distinguuntur, et multo facilius, quam cum individua sunt accurate describenda. — Differentiam numericam, (crucem Idealistarum) seu omnimodam Individuorum determinationem, Scholastici, a vocibus, Hic, Haec Hoc, barbare quidem, praecise tamen, Haecceitatem dixerunt, ut stulto, et iniquo eorum consilio obsequerentur, qui linguam Romanorum emortuam iam, qua ecclesiasticam, linguis tot Gentium nationalibus, proinde vivis infausto nimis auspicio, anteponendam putarunt.

§. 45. b) Principia classificationis logicae.

Intellectus, in Subordinatione, et Coordinatione Conceptuum, ad tres se illas leges fundamentales accommodat, quae Principia Classificationis nominantur. Ea singillatim sumta partim Principium Generificationis — partim Principium Specificationis — partim Principium Continuitatis logicae dicta sunt.

Obs. Quaelibet Repraesentationes, v. c. Piscis, avis, insectum, quae certo cuidam Conceptui generico, v. c. Animal, subordinantur, eandem habent essentiam logicam, cum hic conceptus, vi argumenti, communem pro iis notam praestat. Quare progressive quidem, essentia generis Superioris, inferioribus generibus, speciebus, ac individuis competit: regressive autem in Individuis Conceptus spe-

cierum, et generum superiorum, continetur. Quodsi repraesentationes occurrant, quae certo respectu, non eandem habere videntur essentiam logicam, v. c. Piscis, Arbor, profecto eae, diversis generibus erunt accensendae — ut ut, non desit Genus, quo eae comprehendantur, v. c. Ens organicum. Hinc emergit Enunciatum: Conceptus quique diversissimi, certo respectu identici sint, necesse est; aut hoc: Res maxime heterogeneae, certo respectu debent esse homogeneae. Quare Enunciatum isthoc: Principium homogeneitatis, aut simpliciter Principium Generificationis appellatur. Atque cum Intellectus, huic Principio congruenter, in rebus diversissimis, certas tamen similitudines quaerit, Ingenium eius est, in primis, quod in conspectum sistit.

Huic legi Enunciatum isthoc opponitur: Conceptus quique, maxime inter se similes, diversi tamen certo respectu, esse debent; aut etiam hoc: Res quaeque maxime inter se homogeneae, certo respectu heterogeneae sint, necesse est. Hoc Enunciatum est, quod Principium Heterogeneitatis, vel etiam Principium Specificationis appellatur. Atque cum Intellectus, huic legi congruenter, in rebus quoque simillimis discrimina tamen repperit, ut Acumen apparet.

Quamobrem duae hae leges, ita inter se sunt, quemadmodum Thesis et Anthitesis, unde tertium quoque Enunciatum adesse debet, quod Synthesim exhibeat. Illud hoc est: Quemlibet inter superiorem et inferiorem Conceptum, tertius adhuc locum habere debet, qui cum ambobus identicus, simulque diversus ab utrisque, esse debeat, h. e. cum quolibet eorum, propius sit cognatus, quam ii sunt, inter se, aut hoc: Nulla genera sunt proxima, nullae species sunt proximae, cum sine intermissione, nova genera intermedia, novaeque species intermediae possunt cogitari. Hoc Enunciatum Principium Affinitatis, vel potius Cognationis logicae, aut quod melius est: Principium Continui Generum, et Specierum, seu Continuitatis Formarum logicarum appellatur. Atque cum Intellectus, in interno hoc Conceptuum nexu pervidendo occupatus est, Profunditas eius Systematica eminet.

§. 46. Modalitas Conceptuum.

Modalitas Conceptuum consistit, in Relatione eorundem, ad Intellectum qua Facultatem cogitandi, — aut: cernitur illa, in modo, quo Conceptus, tamquam actus cogitandi, ad ipsum cogitandi Subiectum, referuntur. (§. 25. Obs.)

§. 47. Conceptus possibilis, et actualis.

Conceptus intuitu modali, aut ut mere possibilis, aut ut actualis cogitandi actus potest considerari: in casu priori Conceptus possibilis, in posteriori actualis dicitur. Proinde Conceptus possibilis est, in quantum is cogitari potest: actualis autem, in quantum is, cogitatur quoque re ipsa.

Obs. 1. Conceptus potest cogitari, si modo notae eius, nullam

in se continent repugnantiam, proinde partiales hae repraesentationes, ut varia, in unam Repraesentationem totalem, tamquam Unitatem conscientiae, assumi possunt. Conceptus huius generis logice verus, in casu contrario, logice falsus, seu impossibilis dicitur. Simulac itaque, coniunctio repraesentationum partialium, in Repraesentationem totalem perfecta est: Conceptus nominatur actualis.

Obs. 2. Num Obiectum quodpiam, mere possibile, an etiam actuale sit: id vero Logica simpliciter ignorat: consequenter, intuitu Modalitatis logicae, Conceptus in ideales, et reales dispesci nequeunt.

§. 48. Conceptus contingentes et necessarii.

Conceptus actualis vicissim, aut ut contingens, aut ut necessarius cogitandi actus, potest considerari. In casu priori Conceptus contingens: in posteriori autem necessarius dicitur. Conceptus contingens, seu simpliciter actualis est, in quantum is, absque ratione necessitante cogitatur: necessarius autem est, si is, propter rationem necessitantem, debet cogitari.

Obs. Ratio necessitans, sensu logico, nihil aliud est, quam alius quispiam Conceptus, quocum Conceptus cogitatus, ut consequentia, cohaeret. Nam, quod Conceptus quidam, etiam per se, h. e. absolute, et non tantum in relatione, h. e. relativus esse possit, ab eo, Logica simpliciter abstrahit, cum ad Metaphysicam pertineat.

Appendix.

De peculiaribus Intellectus functionibus, ad elaborationem Conceptuum necessariis.

§. 49. Abstractio. Reflexio.

Si Conceptus nostros, ut par est, elaborare volumus: profecto, partim animus a certis Conceptus notis avertendus est, ut eae, in conscientia obscurentur: partim autem, ad reliquas Conceptus notas advertendus est, ut eae in Conscientia, in primis, claraе reddantur. Prius cum fit, abstrahere animum ab aliqua re dicimur: sin autem posterius exsistit, reflectere animum, ad aliquam rem, censemur. Quare cum certae repraesentationes, ab aliis separantur, et peculiariter repraesentantur: Abstractio cum Reflexione coniuncta, Separatio cogitationum dicitur. Hinc est, quod repraesentationes, a reliquis separatae, abstractae: illae contra, quae cum aliis coniunctae et commixtae sunt, concretae appellantur.

Obs. 1. Abstractio, et Reflexio proprie, nunquam non inter se sunt coniunctae: si quidem, reflectere ad quidpiam non possumus, ut non simul ab alio quopiam abstrahamus, unde etiam liquet, ideo nos ab aliquo abstrahere, ut ad aliquid aliud reflectamus. Quare quilibet conceptus, qui ad plura Obiecta refertur, in se, seu absolute sumtus, Conceptus abstractus est. Quandoquidem enim ille, ad plures simul res refertur, et a differentia earum abstrahendum, et ad Identitatem earundem reflectendum est. Quo intuitu is, solum Conceptus concretus est, qui Individuum designat, eo quod in eo, id quod proprium, et commune est, commiscentur, — licet comparative, seu relative, quilibet Conceptus superior, quoad inferiorem abstractus, hic concre-

tus dicatur, Hinc Canon: quo magis Conceptus fiunt abstracti, eo plus amittit; quo magis concreti fuerint, eo plus lucratur cognitio intuitu argumenti: sed eadem tantum augescit, quoad ambitum, in Conceptu abstracto, quantum deminuitur in Concreto; hic enim Conceptus individuis: ibi supremo Generi appropinquant. Conceptu abstracto, in multis parum, concreto autem in paucis, multum cognoscimus.

Obs. 2. Facile hinc perspicitur, quid sit in abstracto, quid item in concreto aliquid repraesentare; proinde exemplo quolibet, Conceptum abstractum, in concreto exhiberi, ut tamen id, Universalitatem Abstracti nunquam assequatur. Consequenter Conceptus, quoad usum scientificum, prorsus in abstracto, summaque cum Praecisione, proponendi sunt, cum secus, nunquam determinatum, concinnumque Conceptum de re, liceat obtinere, quantumvis simul, exempla quoque, illustrationis, non probationis causa poterunt allegari. Contra, quoad usum popularem, Conceptus in concreto sunt exhibendi, cum hic usus, relate ad illos, qui in abstracta cogitandi ratione inexercitati sunt, sensificatione, i. e. summa, quae fieri potest, Conceptuum individualisatione opus habeat. Sic Philosophus, de virtute, velut Idea Rationis in abstracto, Pastor Animarum contra, in concreto commentabitur. Quare, nihil amplius dubitandum videtur, absque exhibitione Conceptuum in abstracto, nullam scientiam, et nullam quoque Philosophiam fore possibilem, — ipsamque adeo Mathematicam, prius, quam Quantitates suas in concreto queat tractare, in abstracto repraesentare debere.

Obs. 3. Quodsi coniuncta, cum functione abstrahendi, Reflexio, ad comparationem Conceptuum instituendam convertitur, Deliberatio, Consideratio, seu sensu stricto Reflexio appellatur. Hic, si praecipue Argumentum eorum respicitur, quo facto, ambitus quoque eorundem necessario determinatur, Conceptus inter se intuitu Identitatis et Diversitatis, — Convenientiae et Repugnantiae, — Interni et Externi, — Materiae et Formae poterunt comparari. Atque ab his relationibus nuncupantur hi Conceptus Notiones, seu Conceptus Reflexionis. Interim tenendum est, hanc Reflexionem mere logicam esse, — nam metaphysica, seu transcendentalis Reflexio, ad Metaphysicae territorium spectat.

§. 5o. Determinare, combinare.

Sequela Functionis abstrahendi, et reflectendi, in determinando, et combinando cernitur. Est scilicet Determinatio illa Intellectus functio, vi cuius certa quaedam nota, (criterium) Obiecto Conceptus attribuitur, et hic eâ, propius determinatur, quasique intra angustiores terminos clauditur: Combinatio autem, illa intellectus functio est, vi cuius nota Conceptus, cum reliquis ad eundem Conceptum pertinentibus repraesentationibus, coniungitur.

Obs. 1. Determinatio, et Combinatio, non minus se mutuo comitantur, quam Abstractio et Reflexio, solent se invicem adsectari. Sed continuata Determinationis, ac Combinationis functione, semper inferiores Conceptus exsistunt, qui superioribus subordinari, et inter se coordinari possunt, cum sine determinatione, et Combinatione Conceptuum, nulla Subordinatio, et Coordinatio eorum possibilis sit. Con-

summata autem Determinatione, et Combinatione, Conceptus seu notio omnimode determinata exsistit in Individuis, quae sensibus nostris percipiuntur.

Obs. 2. Quare, in elaborandis Conceptibus nostris, facultas cogitandi, partim ut functio abstrahendi, et reflectendi, partim ut functio determinandi, et combinandi, se manifestat, — atque ita manifestat, ut appareat, in omnibus his functionibus, pro fundamento iis, certam iudicandi functionem, esse subiectam, cum Intellectus, nec Conceptus sine Iudicio, nec Iudicia sine Conceptibus, effingere valeat, atque perpolire.

Articulus II. De Iudiciis.

§. 51. Iudicium. Enunciatio.

Iudicare, tantundem significat, ac cogitare, h. e. determinare, quomodo se Repraesentationes, ad Obiectum habeant, ope illarum repraesentandum, proinde, quae sit Repraesentationum, ad unitatem conscientiae Relatio, exponere. Quare Iudicium, in determinata Repraesentatione relationis, Repraesentationum ad unitatem conscientiae, consistit, atque in quantum ea, verbis exprimitur, Enunciatio, seu Propositio logica appellatur.

Obs. 1. In quolibet Iudicio, plures repraesentationes comparent, quibus Obiectum sit repraesentandum, v. c. Magnes adtrahit ferrum. Mendax amittit fidem: sed plures repraesentationes, quae Conscientiam, sive simultanee, sive successive subeunt, nondum Iudicium efficere putandae sunt v. c. Magnes, — Ferrum, — adtrahere. Quare, Relatio repraesentationum, ad unitatem conscientiae, determinari prius debet, quam dici possimus, ne ipsa iudicare. Hinc est, quod quilibet conceptus, si modo ab eo nota eius separari potest, huiusque relatio ad unitatem conscientiae determinatur, in Iudicium convertere licet, v. c. ex Conceptu hoc: Circulus rotundus, fit Iudicium tale: Circulus est rotundus.

Quodsi Conceptus, secum ipse in relationem statuitur, idemque Conceptus iterata vice cogitatur, et in hac cogitandi functione, Unitas Conscientiae repraesentatur, continuo Iudicium effingitur, v. c. sic: Circulus est circulus.

Denique, ita quoque Iudicium informari potest, si Conceptus quispiam, tali nota propius determinatur, quae in eo haud quaquam continetur. v. c. Cum dicimus: Multi homines sunt docti, pauperes, divites.

In singulis his casibus, id, quod cogitamus est: Quomodo certae quaedam repraesentationes, semet inter se habere, intuitu certi illius Obiecti debeant, quod repraesentant? et simulac hoc cogitamus, profecto iudicamus. Quare, quemadmodum in Conceptu, sic in Iudicio quoque, Relatio Variorum, ad unitatem Conscientiae, locum habet: sed diversa prorsus ratione. Nam, Varia, eorumque relatio mutua, in Iudicio, determinate, distincteque repraesentatur, in Conceptu autem, qua tali, non item. Si itaque Conceptus, ad Perspicuitatem evehendi sunt, non id aliter, quam Iudiciis (Declarationibus et Divisionibus) fieri potest (§. 33, 35.). Consequenter, quodlibet Iudicium, ut Conceptus, distincte exhibitus, potest considerari, si quidem, in eo Conceptus aut analytice, aut synthetice exhibetur.

Obs. 2. Enunciatio, seu Propositio (non: Positio) logica a Propositione rhetorica, quae ex pluribus Enunciationibus logicis componitur, diligenter discernenda est. — Pariter Iudicium Iuridicum, quasi Iudicium de Iure, a Iudicio logico, velut Iudicio, in genere, distinguendum videtur.

§. 52. Materia et Forma Iudicii.

Ad quodlibet Iudicium constituendum, certa quaedam materia, certaque forma pertinet, idque essentialiter. Materia Iudicii, in illis ipsis Repraesentationibus inest, quarum Relatio, ad Unitatem Conscientiae, determinanda est, et quae, extra hanc Relationem cogitatae, ut Thesis et Antithesis, videntur se sumendae. Forma autem Iudicii, cernitur in modo determinationis illius, vi cuius synthesis, intuitu repraesentationum illarum perficitur. Quia vero Logica, a materia, seu argumento cognitionis, abstrahit: nihil aliud est, quod illa hoc loco curare debeat, quam quod Iudiciis, intuitu Formae illorum competit, et ut investiget, quotuplices Iudiciorum Formae possunt universe dari.

Obs. 1. Materiam Iudicii perfecti, duae saltim repraesentationes (sive identicae sive diversae) constituunt, quarum una Subiectum, altera Praedicatum vocatur. Subiectum in Iudicio, (nam Subiectum Iudicii est Mens repraesentans) est Obiectum ipsum, de quo iudicamus: Praedicatum autem, est determinatio, quae de Obiecto Enunciatur. Ratione Ordinis, Subiectum, ut plurimum, Praedicato antecedit v. c. Horrea sunt plena: inversione autem grammatica, sive rhetorica, a Conversione Iudicii distinguenda, Praedicatum Subiecto anteponitur, v. c. Inconstans est Fortuna.

Obs. 2. Forma Iudicii usitate, Copulâ Vocis, est, exprimitur; nisi haec, immediate cum Praedicato coniungatur v. c. Coelum est serenum, — sol splendet, (est splendens). Et quia in omnibus Iudiciis, eadem repraesentationum synthesis obtinet: Iudicia negativa, hypothetica, et disiiunctiva, nullam hic formare possunt exceptionem solidam.

Enunciata, in quibus Subiectum, Praedicatum, et Copula distincte exhibentur, vocantur Propositiones logice perfectae: in casum contrarium, eadem, imperfectae seu crypticae, aut: Propositiones omissi Subiecti, — omissi Praedicati, — omissae copulae appellantur. v. c. tonat, fulgurat, pluit, ningit. (Enunciatum unius adiecti) — luna pallet, (Enunciatum secundi adiecti), — Petrus est aeger (Enunciatum tertii adiecti.)

In Propositionibus existentialibus, vox est, altiorem significationem, quam illa, Copulae est, involvit, v. c. Deus est i. e. exsistens (exstans.)

Obs. 3. Cum modus, quo relatio repraesentationum, Iudicium constituentium determinatur, varius esse potest: Formas quoque Iudiciorum plures esse, facile patet, ut sunt Iudicia universalia, particularia, positiva, negativa, categorica, etc. quas omnes, ut Logica systematice exhibeat, pleneque exhauriat, necesse est.

§. 53. Formae Iudiciorum.

Quandoquidem Iudicium quodlibet, in vicem Conceptus di-

stincti, seu perspicue exhibiti, sumi potest (§. 51. Obs. 1.) Iudicia quoque, quemadmodum Conceptus, quadruplici respectu possunt considerari, puta: secundum Quantitatem, Qualitatem, Relationem, et Modalitatem: unde Formae quoque Iudiciorum, secundum quatuor haec momenta cardinalia, erunt detegendae.

Obs. 1. Ad quodlibet Iudicium quaeri scil. potest:

a) Quanta est sphaera Subiecti, ad quod Praedicatum refertur, aut: Quam multae sunt res, de quibus aliquid enunciatur. Ambitus Subiecti. Quantitas Iudicii.

b) Quid est, quod de Subiecto enunciatur in Praedicato, aut: Quomodo Praedicatum comparatum est? Proprietas Praedicati. Qualitas Iudicii.

c) In qua Relatione mutua sunt, Subiectum et Praedicatum posita? Relatio Subiecti et Praedicati reciproca. Relatio Iudicii.

d) In qua Relatione posita est, coniunctio repraesentationum in Iudicio, ad facultatem cogitandi? Modus Subiectum et Praedicatum cogitandi. Modalitas Iudicii.

Obs. 2. Hinc facile perspicitur, in duobus primis momentis, duorum Iudicii elementorum, unum tantum respici, et quidem, aut Subiectum solum, aut Praedicatum solum: in duobus autem posterioribus momentis, utraque iudicii elementa coniunctim respici, et quidem, aut in obiectiva eorum relatione; ad se invicem, aut in subiectiva, ad facultatem cogitandi, Relatione. Plura, quam sunt haec quatuor iudicandi momenta, cardinalia dari, non possunt.

Obs. 3. Ad hanc formarum Iudicii distributionem, potest reduci famosa illa quaestio: Quae? qualis? quanta? (Propositio) si eam sic convertas: Quanta? qualis? quae? (obiective et subiective) quâ ludifica exclamatione solent, scil. disputantes uti, ad absurditatem assertionis cuiuspiam explodendam. Atque hinc procul dubio nata est, mordax quoque illa Germanorum loquendi formula, qua hominem inhabilem, prorsusque ineptum, et elumbem carpendo designant, dum dicunt; er frogt nicht einmal, Wie? Was? unde est hungaricum illud Bibasz!

§. 54. Formae Quantitatis Iudiciorum.

Quoad Quantitatem Iudiciorum, tres sunt iudicandi Formae. Nam, aut de una tantum, aut de pluribus, aut de omnibus eiusdem generis rebus, potest quidpiam pronunciari. In casu primo, Iudicium singulare seu individuale, — in secundo Iudicium particulare, speciale, seu plurativum, — in tertio autem Iudicium universale, seu generale appellatur. In casu primo, ita se habet Subiectum ad Praedicatum (obiective cogitatum) quemadmodum Unitas, in secundo ut Pluritas seu multitudo, in casu denique tertio, ut Omnitudo, seu Universitas.

Obs. 1. Sensu stricte logico, Iudicia secundum Quantitatem, aut universalia, aut particularia sunt: si quidem Sphaera unius Conceptus, aut ex toto, aut ex parte in Sphaera Conceptus alterius continetur. Quodsi Subiectum, Individuum est: profecto id, ex toto, in Sphaera

Praedicati continetur, aut quod idem est, Praedicatum de Subiecto, absque omni exceptione enunciatur. Quare Iudicium singulare, logice, universali aequipollet, et discrimen utriusque, mere materiale est. Attamen, in Logica, ad singularia quoque Iudicia reflectendum est, si modo, omnes possibiles Subiecti, ad Praedicatum Relationes, volumus cognoscere.

Obs. 2. Signa Quantitatis sunt: Omnes, quicumque, — quidam, multi, — hic, ille, et Nomina propria Petrus, Paulus, Caius etc. Quodsi Iudicium, uno aliquo ex his signo, affectum est, Iudicium designatum, contra Indesignatum appellatur, — nam voces definitum, indefinitum, ad Qualitatem spectant; — vox autem, determinatum, Universalitatem, et Individualitatem, quemadmodum vox indeterminatum, Iudicium particulare significat.

Iudicia indesignata v. c. Forma, bonum fragile est — flagitiosi sunt coërcendi, utrum universaliter, an cum restrictione sint intelligenda, id vero, intuitu Materiae illorum potest diiudicari. Logice Iudiciis universalibus, indesignata Iudicia, accensentur.

Obs. 3. Quoad Iudicia universalia, sunt, qui universale, a generali distinguant v. c. omnes Planetae moventur in orbitis ellipticis, — omnia, solidis rationibus sunt probanda. Enimvero, quia discrimen isthoc, mere materiale est: respectu logico, utraque haec iudicia, universalibus aequipollent.

Ad eundem modum, sunt quoque Iudicia necessario particularia v. c. Quaedam plantae sunt arbores, — et contingenter particularia v. c. Quaedam plantae sunt rubri coloris, — diiudicanda: cum horum quoque discrimen, quippe materiale, minime Logicam attingat.

§. 55. Formae Qualitatis Iudiciorum.

Quoad Qualitatem Iudiciorum, pariter tres sunt iudicandi Formae. Nam, aut, aliquid in Subiectum adoptari (poni), aut Subiecto excludi (tolli) aut sublatione unius, aliquid aliud poni potest. In primo casu Iudicium affirmativum, seu positivum, — in secundo, negativum, in tertio negativo-affirmativum seu limitativum appellatur. Praedicatum ergo, in primo casu, ita se habet ad Subiectum (obiective cogitatum) uti, Realitas, — in secundo, uti mera negatio, — in tertio, uti Realitas Negatione determinata, id est, uti, limitatio.

Obs. 1. Sensu stricte logico, Iudicia, quoad Qualitatem, aut affirmativa, aut negativa sunt. Nam, vi Principii Antitheseos, Praedicatum, aut competit Subiecto, aut non. Enimvero, possunt dari Praedicata, quae ponere quidem aliquid videntur, re tamen vera id tollunt, h. e. negative adfirmant, v. c. Anima est immortalis, aut: Anima est non mortalis. Huius generis Iudicia Logici Iudiciis affirmativis accensent. Quamquam vero differentia Iudiciorum, positive et negative affirmantium, nonnisi materialis est, proinde, ad Metaphysicam spectet: attamen, ut quaelibet, quae fieri possunt, subiecti ad praedicatum relationes, probe queant in Logica perspici, ad Iudicia quoque negativo-affirmativa, seorsum reflectendum esse videtur.

Obs. 2. Iudicia isthaec negative affirmantia, vulgo infinita, et, quae simpliciter affirmarent, finita appellantur: eo quod, haec Subiectum, in determinatam rerum sphaeram, illa contra idem, in infinitam aliarum rerum sphaeram, transponant. Enimvero, quia sphaera, in quam Subiectum Praedicato negative affirmante transponitur, non infinita, sed duntaxat, non tam determinata est, quam illa, in quam simplici affirmatione transponitur. Iudicia simpliciter affirmantia, definite positiva, seu definita; negative affirmantia autem, indefinite positiva, seu indefinita essent potius nominanda. Interim, optima denominandi ratio foret, si illa, ex mente Kantii, limitativa vocarentur; si quidem, cum negative quidpiam affirmatur, Sphaera mere negativi Iudicii infinita, vicissim restringitur, seu limitatur, eatenusque res, in aliam sphaeram transponitur.

Obs. 3. Caeterum discrimen Iudicii mere negativi, et negative adfirmantis, ita quoque vulgo determinatum est, ut in illo, per Negationem Copula, hic vero Praedicatum afficeretur, proinde Enunciatum hoc: Animus non est mortalis, Iudicium negativum, isthoc autem: Animus est non mortalis, infinitum foret Iudicium. Enimvero falso. Nam Copula negativa, quae nihil copularet, est in Contradictione, et Iudicium, Copula negativa instructum, foret Iudicium, sine Synthesi repraesentationum, proinde nullum Iudicium. Sed Praedicatum negativum, quo quidpiam tollitur, seu subiecto excluditur, cogitari probe non potest. Unde sequitur, Negationem, semper ad Praedicatum referri, verum, non uno modo, scil. in Iudicio negativo, Praedicatum simpliciter tollitur, in Iudicio autem negative affirmante, ita tollitur Praedicatum, ut simul aliquid in vicem eius, ponatur. Consequenter, Affirmatio pura, Negatio pura, et negativa Positio, ita se-met inter se habent, uti + 1, 0, — 1: ubi 0 — 1 tam Positivum exsistimandum est, licet negative exhibeatur, quam illud + 1.

§. 56. Designatio Quantitatis, et Qualitatis Iudiciorum.

Iudicia, in subsidium Syllogisticae, Logici, quoad Quantitatem, et Qualitatem eorundem, literis A. E. I. O. notanda, et indicanda putarunt, ea quidem ratione, ut A Propositionem universaliter affirmantem, E universaliter negantem, I particulariter affirmantem, O particulariter negantem innueret. — quod olim Scholastici, ad formam Amuletorum religiosorum, velut Hecatombaeum futurum, verius deliramentum eruditum, memoria dignum, in gratiam Bucconum logicorum, hiiugis his versiculis complexi sunt: Asserit A, negat E, sed universaliter ambo: Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

§. 57. Formae Relationis Iudiciorum.

Quoad Relationem Iudiciorum, tres vicissim sunt Formae iudicandi. Nam de Subiecto quopiam, aliquid, aut simpliciter, aut conditionate, — aut denique ita potest pronunciari, ut, dum multiplex Praedicatum proponitur, unum, aut alterum membrorum eius, sub certis conditionibus locum habere possit. Iudicium istius modi, in primo casu categoricum, in secundo hypotheti-

cum, in tertio, disiunctivum appellatur. In primo casu, Repraesentationes ad se invicem, in Iudicio referendae, (obiective cogitatae) ita se habent inter se, quemadmodum res, quarum una alteri inhaeret, — in secundo ita, ut res, quarum una ab alia dependet, — in tertio autem, ut res, quarum dependentia per Inhaerentiam determinata est, hoc est: quae commune quoddam Totum efficiunt, et eatenus in commercio versantur.

Obs. 1. In Iudicio categorico, aliquid, de Subiecto simpliciter, idque affirmative, aut negative pronunciatur: cum in eo Obiectum, certaque eius nota, (positiva aut negativa) in mutua relatione, quae interna est, cogitantur.

Id vero vehementer erroneum est, quod quidam Logici contendunt, Subiectum scil. Praedicatum et Copulam, duntaxat ad Iudicia categorica referri, cum absque tribus his essentialibus partibus, nullum Iudicium est possibile, si quidem, mutua Subiecti et Praedicati Relatio, determinanda in Iudicio est, sive id categorice, sive hypothetice, sive etiam disiunctive fiat.

Imo, si quid est, quod de se ipso pronunciatur, id in duplici Subiecti ad Praedicatum relatione cogitandum est. Iudicium huius generis, in quo, Subiectum et Praedicatum, absolute identica sunt, reciprocabile vocatur, atque Formam quoque hypotheticam assumere potest, v. c. Si A est: tum est A, non tamen disiunctivam, cum Oppositio, locum habere nequeat.

Obs. 2. In Iudicio hypothetico, conditionate tantum pronunciatur aliquid v. c. Cum dixeris: Si mingit: albet terra. Quare Subiectum, et Praedicatum hic in Relatione Rationis ad Consequentiam posita sunt, proinde Repraesentationes, ad Iudicium hypotheticum pertinentes, non in interna, quemadmodum in categorico, sed in externa Relatione cogitandae, ut unum alteri, non inhaereat, sed ab eo dependeat. Constat autem Iudicium hypotheticum, duobus membris, (propositionibus) quorum prius: Antecedens, Conditio et Hypothesis, posterius autem: Consequens, Conditionatum, et Thesis appellatur, — nexus utriusque Consequentia nuncupatur. Atque, in hac ipsa consequentia inest Copula Iudicii hypothetici, cum synthesi Repraesentationum, Iudicium hypotheticum constituentium.

Quamquam autem Iudicium hypotheticum, duplex esse apparet, atque in duo diversa Iudicia resolvi potest: neque tamen illud Iudicium compositum esse putandum est, nam cum dico: Si A est: tum est B, tantundem est, ac si dicam: B est per A. Hic autem, tam simplex cogitandi actus est, ac si categorice cogito A esse B. h. e. B esse in A. Haec causa est, cur Iudicium hypotheticum, in Categoricum permutari non possit, si quidem Cogitatio isthaec: B est per A, plane alia est, quam haec: B est in A. Quamquam ergo, in utroque Iudicii genere, Materiae sint indenticae: actus tamen cogitandi, essentialiter differunt.

Quod Iudicium hypotheticum in se sumtum, nondum Ratiocinium efficit, inde apparet, quod ex eo, pro Maiore sumto, categorica potius Conclusio elicienda est, v. c. Si dico: Deus est iustus: Ergo flagitiosus punietur: ratiocinari putandus sum, verum ita tantum, si hypothetica isthaec Maior praemittatur: Si Deus iustus est:

flagitiosum oportet puniri. Nisi ergo categoricum Iudicium, ex hypothetico deducatur: non concludimus, sed iudicamus duntaxat. — Caeterum Iudicia hypothetica, non simpliciter Caussalia Iudicia appellanda.

Obs. 3. In Iudicio disiunctivo, intuitu Relationis ad Subiectum, multiplex quidpiam praedicatur: ita tamen, ut ei, Multiplex hoc, non simultanee tribuatur, sed iudicetur tantum, sub certis quibusdam conditionibus, unum, aut alterum, locum habere posse. v. c. Homines, aut Virtutis studiosi sunt, aut flagitiosi, — idque ita, ut uno posito, alterum tollatur. Quare haec, intuitu Positionis, et Non-positionis fiendae, ut Ratio et Consecutio, reciproce cogitata et simul sumta sphaeram Subiecti constituunt. Proinde repraesentationes, ad Iudicium disiunctivum pertinentes, in externa et interna Relatione positae, simul cogitantur, veluti partes Totius cuiusdam, quae se reciproce conditioni adstringunt. Determinationes, in disiunctivo Iudicio invicem oppositae, membra disiuncta appellantur, quorum quodlibet, complementum est alterius, ad Totum, mutuaque eorundem relatio, Disiunctio nominatur, particulis disiunctivis indicata. Atque in hac Disiunctione consistit, copula Iudicii disiunctivi, quippe quâ, Synthesis Repraesentationum unice perficitur.

Quamquam autem Iudicium disiunctivum, in varia Iudicia possit resolvi, neque tamen illud compositum esse putandum est: si quidem illud, simplici cogitandi actu, Oppositione membrorum, in unam Sphaeram coacta, construitur in unam simul cogitationem. Haec causa est, cur Iudicium disiunctivum, in categoricum permutari nequeat. Licet ergo Iudicium disiunctivum, categoricumque, quoad materiam, certa similitudine gaudeant; attamen, Forma cogitandi in utroque, prorsus alia est, essentialiterque invicem diversa.

Obs. 4. Iudicia hypothetica et disiunctiva, quoad Quantitatem, semper sunt universalia. Nam ratione logica, quaelibet consecutio eiusdem, sine ulla restrictione ponitur; Disiunctione vero, Sphaera Subiecti adeo determinatur, ut determinationes oppositae, de tota Sphaera debeant valere. Interdum quidem, videri posset, quasi in his Iudiciis, quidpiam de quibusdam tantum enunciaretur, proinde particularia forent, v. c. Si quidam docti sunt: alii indocti sunt, — Qui docti sunt, aut Philosophi sunt, aut non: enimvero, facile perspicitur, huius generis Iudicia, quoad essentiam, universalia esse. Quodsi Iudicium, hypotheticum, aut disiunctivum, ad Individuum refertur: idem fieri putandum est.

Quoad Qualitatem, Iudicium, hypotheticum, et disiunctivum, quâ tale, semper est positivum. Nam Consecutio, quâ thesis, per rationem, qua hypothesim, et membra disiuncta, qua talia, h. e. in Oppositione eorundem, per sphaeram Subiecti, semper ut posita considerantur. Quamquam autem Iudicium hypotheticum, disiunctivumque, in plura Iudicia categorica possint solvi, inter quae Iudicia quoque negativa locum habebunt: tamen, neque vel hoc, positivus illarum iudicandi formarum character, ex toto tollitur.

Dixerit forte nonnemo, dari Iudicia disiunctiva, quae prorsus negativa videantur, v. c. Neque lapides, neque metalla, sunt res vivae, aut invertendo: Id quod vivum est; neque

lapis, neque metallum est. Enimvero id genus Iudicium, prorsus non disiunctivum est, sed mere negative compositum.

Obs. 5. Omnia Iudicia, quae disiunctionem in se continent, intuitu logico, aequalia inter se sunt, et sine discrimine disiunctiva appellantur. Respectu autem reali, seu materiali, Iudicia subiective disiunctiva, ab obiective disiunctivis, distinguenda sunt. Incidere enim casus potest, ut certa rei cuiusdam Praedicata, invicem, non obiective, sed subiective tantum opposita sunt, v. c. In Doctrina Motus corporum: quo consilio, Metaphysica consulenda. Caeterum ab utroque hoc Iudiciorum genere Iudicia distributiva distinguenda sunt.

Obs. 6. Formae Iudiciorum, hypothetica et disiunctiva, facile invicem possunt coniungi, cum scil. in Consequente Iudicii hypothetici, Disiunctio assumitur. v. c. Si corpora moventur: aut propria sua, aut peregrina quadam vi moventur, — Item: Si terra non corpus sphaericum esset; aut disciforme, aut angulatum corpus esset. De qua combinatione, infra, oportunitate Dilemmatis, commentabimur.

Quidam Logici, Iudicia categorica, Iudicia primi, Iudicia autem hypothetica, et disiunctiva, Iudicia secundi ordinis, seu derivata appellant.

§. 58. Formae Modalitatis Iudiciorum.

Denique, quoad Modalitatem quoque Iudiciorum, tres sunt iudicandi Formae. Nam Synthesis Repraesentationum in Iudicio, aut ita consideratur, tamquam mere cogitabilis, — aut simpliciter ut cogitata, — aut denique ita cogitata, ut aliter ne cogitari quidem queat. Iudicium in casu primo problematicum, in casu secundo assertorium, in casu autem tertio apodicticum vocatur. In omnibus his tribus casibus, Iudicia, ita se habent ad Facultatem cogitandi, quemadmodum Obiecta, se ad Facultatem cognoscendi habere possunt, scil. in primo casu, ut possibile quidpiam, in secundo, ut actuale quidpiam, in tertio autem, ut aliquid cuius oppositum impossibile est, (id genus actuale, quod non aliter possibile est,) h. e. ut necessarium quidpiam.

Obs. 1. Modalitas Iudiciorum, non id attingit, de quo iudicamus, sed ipsum Iudicium tantum, relate ad Subiectum iudicans, vel potius, ad modum, quo synthesis repraesentationum problematice, assertorice, aut apodictice perficitur. v. c. si dicas: Luna cras poterit obscurari, — Luna re ipsa hodie obscurata est, — Luna certis temporibus debet obscurari. — Caeterum Iudicium assertoricum, non semper debet esse affirmativum, quia potest etiam esse negativum, cum vox asserere, non sit identica, cum voce affirmare. Quare, neque etiam categoricum, idem est, ac assertoricum: si quidem Iudicium categoricum, potest esse problematicum, assertoricum, atque apodicticum, — et assertoricum, potest esse categoricum, hypotheticum, et disiunctivum.

Obs. 2. Quidam Logici statuunt, nonnisi Iudicia assertorica, esse Propositiones, seu Enunciata. Falso. Nam, quemadmodum Conceptum, velut *το* interne cogitatum, et Vocem, velut externam cogitati expressionem, invicem discernimus: sic Iudicium etiam quod-

que, ab Enunciato, pari modo distinguendum; proinde iudicare, Iudiciumque verbis proponere, duae diversae sunt res, ut Propositio, seu Enunciatio, nihil aliud sit, quam Iudicium verbis propositum, seu Enunciatum.

Obs. 3. Super Modalitate Iudiciorum hypotheticorum, et disiunctivorum, non videntur Logici consentire inter se. Quod ut accurate liceat diiudicare, in primis Modalitas totius Iudicii, a Modalitate partium suarum, diligenter distinguenda est. Quodlibet Iudicium hypotheticum scil. in Consequentia, et Disiunctivum, in Disiunctione, ut Apodicticum semet annunciat, unde vox debet, nunquam non cogitando, iis adiicienda. v. c. Si Luna, in umbram telluris immergitur. obscuratur = debet obscurari. Luna, aut rotunda est, aut non = debet esse rotunda, aut non. Contra si iudicia hypothetica, et disiunctiva, per partes considerantur: ea nonnisi problematica sunt: cum nec in hypothetico Iudicio determinatur, utrum, quod in antecedente enunciatur, re ipsa sit, an non: nec etiam in disiunctivo, sive unum, sive alterum Praedicatum ponitur.

§. 59. Originariae Iudicandi Formae duodecem.

Quare, nonnisi duodecem sunt originariae, seu determinatae a priori Iudicandi Formae, scil. quoad Quantitatem individualis, particularis, et universalis iudicandi forma; — quoad Qualitatem, affirmativa, negativa, et limitativa iudicandi Forma, — quoad Relationem, categorica, hypothetica, et disiunctiva iudicandi Forma, — quoad Modalitatem problematica, assertorica, et apodictica iudicandi Forma.

Obs. Hae iudicandi Formae originariae, seu a priori determinatae, ideo vocantur, quod ipsa Facultatis nostrae cogitandi constitutio, id secum ferat, ut, non aliter, quam sic, queamus iudicare. Quare, quodlibet Iudicium, quoad Formam, quatuor his momentis cardinalibus debet esse accomodatum, quemadmodum hoc ipsum Iudicium, de Formis Iudicandi latum, quoad Quantitatem, universale, quoad Qualitatem, affirmativum, quoad Relationem, categoricum, quoad Modalitatem, apodicticum est.

Notari simul meretur, Formas Iudiciorum, sub singulis classium titulis comprehensorum, ita inter se esse, ut sunt Thesis, Antithesis, et Synthesis, — ipsosque adeo cardinales Classium Titulos, huic Relationi exacte respondere. Scil. Quantitas cum Thesi, Qualitas cum Antithesi, Relatio autem et obiectiva et subiectiva (Modalitas) cum Synthesi concordat.

§. 60. Formae Enunciationum.

Si Iudicia, tamquam Enunciationes proponuntur: id vero multiplici ratione fieri potest. Atque hinc emergunt plures Enunciationum Formae, sed quae a Formis Iudiciorum essentialiter discrepant. Illae in forma Systematica, sequenti ratione possunt exhiberi, scil. Enunciationes (proinde Iudicia quoque iis designata) sunt:

I. aut Simplices, aut

II. Compositae, seu, exponibiles, sensu latiori, et quidem aut

1. manifeste compositae, v. c. copulativae et comparativae, aut

2. occulte compositae, seu, exponibiles sensu strictiori, puta:

a) exclusivae sensu latiori, v. c. exclusivae sensu strictiori, et exceptivae, aut

b) restrictivae, sensu latiori, v. c. restrictivae sensu strictiori, et reduplicativae.

Obs. 1. Originariae iudicandi Formae, sunt essentiales actus cogitandi determinationes, in iudicando, adeoque immutabiles: contra Enunciationes, velut externae Iudiciorum significationes, vario modo possunt construi, v. c. Enunciatum isthoc: Petrus et Paulus sunt divites ac docti, ex quatuor Iudiciis, pro mero arbitratu, fuit in hanc Formam compositus. Huius generis formae Enunciationum, Formae contingentes possent appellari.

Obs. 2. Si Enunciatio, unicum cogitandi actum exhibet, est simplex, v. c. A est B: contra, si plures cogitandi actus, verbis ita exhibentur, ut ii, in Forma unius Enunciationis compareant, Composita est. Enunciatio Composita, in plures simplices solubilis Exponibilis, vocatur, et quidem, si compositio manifesta est, sensu latiori, sin occulta, sensu strictiori talis. Sic, coniunctione plurium Iudiciorum, Enunciationes compositae exsistunt, diversae Quantitatis, Qualitatis, Relationis, et Modalitatis v. c. Omnes Homines, et quaedam bestiae, sunt bipedes: Hic, Iudicium Universale, et particulare, combinantur. — Caius est venustus, sed non dives: hic, Iudicium affirmativum, et negativum concurrunt. — Si Mundus adnihilandus esset: aut per se, aut vi Entis extramundani superioris, deberet ad nihilum redigi: hic, non duo Iudicia, sed duae Iudiciorum Formae, hypothetica scil. et disiunctiva combinantur. — Omnes homines eandem Facultatem originariam habere debent: eamque diversa ratione possunt excolere: Hic, Apodicticum, et problematicum Iudicium, unam efficiunt Propositionem. — Si Caius, et Titus, prudentiores fuissent; Contractum, et citius, et maiori cum utilitate, iniissent: hic, et Antecedens, et Consequens, composita Propositio est, quod in hypothetico Enunciato fieri potest. — Mercatura et Sacerdotium aut ditant, aut non: hic, solum Subiectum est compositum; cum Disiunctio, minime Compositio habenda est, in Enunciato disiunctivo. — Animalia, et Plantae, sunt res Organicae: hic commune Praedicatum, ad plura subiecta refertur: ipsi Conceptus, intuitu extensivae Quantitatis, sunt coordinati, et disiuncti. — Homines sunt Entia rationalia et animalia: hic Conceptus, intuitu Quantitatis intensivae, coordinati sunt, atque disparati.

Simulac autem Enunciatio composita, re ipsa, exposita est: Propositiones in ea contentae, et exhibitae, Exponentes vocantur, quarum illa, quae in ipsa Enunciatione, ante oculos posita est, praeiacens, quae autem ita occulta est, ut invenienda sit, postiacens dicitur.

Obs. 3. Ad Ennunciationes manifeste compositas pertinent:

a., illae, in quibus plura Subiecta, pluraque Praedicata coniunguntur, et quidem a parte ante v. c. Ceres, Pallas, Iuno, et Vesta, probabiliter olim unum idemque Corpus planetarium fuere, — aut a parte post v. c. Planetae moventur circa Solem: atque lucem suam, a Sole, mutuantur; aut utrinque sic: Saturnus, et Uranus, omnium Planetarum hucdum notorum, remotissimi sunt, suasque, quemadmodum Iupiter et Terra, lunas habent.

b., illae, in quibus Comparatio rerum, tam in Subiecto, quam in Praedicato instituitur, atque comparativae vocantur v. c. Romani potentiores fuerunt, quam Graeci. Caius plus fortunae, quam prudentiae habet. Hic tria sunt notanda, puta: Comparatum maius, comparatum minus, et tertium comparationis.

Obs. 4. Ad Enunctiationes occulte compositas pertinent:

a., illae, in quibus exclusio occurit, sensu iam latiori, iam strictiori. v. c. Solus Deus est infallibilis. Caius est mere doctus ex memoria. In huiusmodi Enunciationibus, adfirmatio, semper certam negationem occultat: contra si Enunciatio exclusiva, negativa est, occultata adfirmatio, facta Expositione, in apricum prodit v. c. Haec pictura est dundaxat non correcta. In Enunciationibus exclusivis itaque, Propositio praeiacens, et postiacens, semper diversae sunt Qualitatis.

Hic idem casus obtinet, cum Enunciationibus exceptivis, cum scil. pars Totius excluditur v. c. Caius est honesti studiosus, excepto lusu. Aqua est potabilis: excepta tamen aqua marina. Quoad Quantitatem Enunciationis exclusivae, ad Universales pertinent.

b., illae, in quibus Restrictio occurit, sensu iam latiori, iam strictiori v. c. Philosophia Practica, qua mera Felicitatis doctrina, vi et potestate sua excidit. Iudex humanus, libenter benignus est: si modo id, cum legibus iustitiae conveniat. Enunciationes exponentes hic, diversae sunt Qualitatis.

Idem hoc loco casus obtinet, cum Enunciationibus reduplicativis, si scil. Subiectum interatur. v. c. Virtus, quâ virtus, non est res noxiosa. Iudex quâ Iudex, nulla debet munuscula tollere. Qualitas Propositionum Exponentium, hic pariter diversa est.

§. 61. Relationes Iudiciorum et Enunciationum.

Si plura Iudicia data, aut etiam Enunctiationes invicem comparantur: certae ex hac Comparatione Relationes emergant, necesse est. Iudicia isthaec, atque Enunciationes, quoad Relationes has, peculiaria a Logicis obtinuerunt Nomina, — sed quae, non facile intelliguntur, nisi simul, ad materiam quoque Iudiciorum, reflectas.

§. 62. Identitas et Diversitas Iudiciorum.

Si Materia et Forma duorum Iudiciorum, quae inter se com-

parantur, perfecte eadem fuerit: eadem identica, paria, seu aequipollentia appellantur: in casum autem contrarium, diversa nuncupantur. Quodsi Iudicia inter se comparata, nonnisi certo respectu videantur esse identica, alio autem diversa: illa relative tantum identica, similia, affinia seu cognata nominantur.

Obs. Propositiones tautologicae, seu reciprocae sunt, quae, quoad verba quidem diversa, quoad sensum tamen, identica sunt. v. c. Deus omnia potest facere. Ens summum est omnipotens. — Ab hoc differt Iudicium reciprocabile, cum Subiectum, et Praedicatum, in identicis Conceptibus versantur, v. c. Homo est homo. — Propositiones relative identicae, aut quoad materiam tales, sunt v. c. Omnes plantae sunt organicae, — nulla Planta est inorganica; aut quoad formam v. c. Omnis circulus est rotundus. Omne Triangulum est angulatum. Huius generis Enunciationes, in Relatione similitudinis, Cognationis, et Affininitatis positae sunt. Iudicia materialiter identica, cognata formaliter identica, affinia nuncupantur. (§ 37. Obs.)

§. 63. Subalternatio Iudiciorum.

Cum duo Iudicia, nonnisi Quantitate inter se differunt, proinde unum universale, alterum particulare est: illa subalterna dicuntur, mutuaque eorundem Relatio, Subalternatio appellatur. Praecipue Iudicium Universale, relate ad particulare Subalternans, particulare autem Subalternatum vocitatur.

Obs. Sic dico: Omnes homines sunt mortales. Quidam homines sunt mortales: Subalternatio Iudiciorum erit mere formalis, quia sola Quantitate differunt. Si autem Materia Iudiciorum respicitur, duo quoque Iudicia Universalia subalterna dici possunt, simulac Conceptus Subiecti unius superior, Conceptus alterius inferior fuerit v. c. Omnia animalia sunt res vivae. — Omnes aves sunt res vivae, — si quidem, Animal et avis, subordinati sint conceptus.

Non tantum inter categorica, sed etiam inter hypothetica, et disiunctiva Iudicia, Subalternatio locum habet v. c. Si omnia animalia sunt entia viva: aves etiam tales sunt. — Si omnes aves vivae sunt, — sunt etiam ciconiae. Aut: Quaelibet res creatae sunt, aut entia viva, aut non viva, et: Quaelibet res creatae vivae, aut rationales sunt, aut irrationales.

§. 64. Oppositio Iudiciorum.

Si ex duobus (aut pluribus) Iudiciis, unum tollit id, quod alterum ponit, proinde ea, Qualitate eorundem discernuntur: opposita, repugnantia seu contradictoria, sensu latiori, vocantur, eorumque Relatio, Oppositio, Repugnantia seu Contradictio sensu latiori dicitur. Quandoquidem autem Oppositio Conceptuum, aut directa, per simplicem negationem, aut indirecta, per positionem alterius esse potest (§. 38. Obs. 2). Iudicia quoque, duplici ratione possunt esse opposita, scil. aut negative opposita, contradictoria sensu augustiori: aut positive opposita, vel contraria seu repugnantia

sensu augustiori. In casu priori, Relatio Iudiciorum contradictio: in posteriori autem Contrarietas sensu stricto vocatur. Proinde Iudicia ita dicta Subcontraria, non sunt vere invicem opposita: sed tantum iuxta se posita.

Obs. 1. Si dico: A est B, et A non est B: Oppositio est contradictoria. Sed si dico: A est B, et A est C. D. E etc. (posito: B. C. D. E. non posse inter se consistere): Oppositio est contraria. Consequenter in Oppositione contradictoria, nonnisi duo esse possunt Iudicia opposita; cum in Oppositione contraria, pro ratione circumstantiarum, esse quoque possunt plura.

Sed in diiudicatione Oppositionis Iudiciorum, an etiam Quantitas eorundem respicienda sit? merito quaeritur. Nam sunt Logici, qui asserant: Contradictionem nonnisi inter A et O, E et I: Contrarietatem autem nonnisi inter A et E locum habere posse. Enimvero falso. Nam in explicanda Iudiciorum Oppositione, a Quantitate eorundem simpliciter abstrahendum est, et sola Qualitas, in se, et per se, debet considerari.

Tum hic quaerendum etiam: Quomodo Iudicia, aequalis et inaequalis Quantitatis, semet, diversa eorum Qualitate, inter se habeant? Regula universalis, quae huic quaestioni satisfacit, talis est: Iudicia universalia, diversae Qualitatis, (omne A est B. nullum A est B.) simodo Praedicatum maioris, aut aequalis sphaerae est, cum Subiecto, Contradictoria inter se sunt: sin autem Praedicatum angustioris sphaerae est, quam subiectum, eadem contraria esse oportet. Nam in casu priori, Praedicatum maioris, aut aequalis extensionis, toti Sphaerae Subiecti, aut competere debet, aut non: in casu autem posteriori, Praedicatum angustius, uni sphaerae parti, competere potest, alteri non. Quodnam autem Praedicatum, Subiecto latius, angustiusque sit: id vero non logice, sed metaphysice h. e. ex ipsa repraesentationum materia determinandum est.

Contra, si Iudicia diversae Quantitatis, et Qualitatis, invicem opposita sunt: (omne A est B. quoddam A non est B, aut: Nullum A est B. Quaedam A non sunt B) ea semper sunt contradictoria, eo quod in iis, simplex negatio, seu, negatio sine positione alterius, habet locum.

Obs. 2. In Iudiciis hypotheticis, (v. c. Si sementem feceris: metes) Oppositio, aut ad Consequentiam refertur, (v. c. Si sementem feceris: non sequitur te messem habiturum) aut ad Consequens (v. c. Etiamsi sementem feceris; sequitur: ut tamen non messueris). Ibi, ipsum Iudicium hypotheticum tollitur: hic autem, in vicem eius, aliud prorsus Iudicium proponitur. Prior Oppositionis ratio, per simplicem negationem, directe tollit: posterior autem, per hoc, quod aliud quidpiam positum est, indirecte tollit. Oppositio ergo prior, ubi mera Consequentia negatur, est contradictoria: posterior autem, ubi negatione aliud prorsus Consequens ponitur, est contraria.

Cum Iudicia hypothetica, semper, ut universalia sunt consideranda (§. 57. Obs. 4): intelligitur, discrimen oppositionis contradictoriae, et contrariae, in se, et per se, non a Quantitate Iudiciorum pendere.

Quare ad Oppositionem Iudiciorum hypotheticorum, et bene instituendam, et recte diiudicandam, in vicem Normae inservient, duae

hae regulae: Duo Iudicia hypothetica, quorum Antecedens, et Consequens simul opposita sunt, non tamen idcirco invicem in toto sunt opposita, sed interse consonant. Item: Duo Iudicia hypothetica, quorum sola Antecedentia sunt opposita: nequç tamen invicem opposita sunt, sed mutuo consonare possunt, si consequens, propter plures, quam unam rationem, cogitabilis fuerit.

Obs. 3. In Iudiciis disiunctivis, Enunciatio ipsa opposita, proponitur tantum, quin unum ex oppositis ponat. Quare, ut inter plura Iudicia disiunctiva, Oppositio quaedam locum habeat: ea solam disiunctionem attingere potest. Quodsi Disiunctio pure logica est, (A est aut B aut non B) tum vero Oppositio, nonnisi, ita demum possibilis (cogitabilis) foret, si Subiectum ipsum, Obiectum impossibile (incogitabile) fuerit v. c. Quadratum rotundum, aut angulatum est, aut non. — Si autem Disiunctio non pure logica fuerit (A est aut B aut C) incidere casus potest, ut etiam, sine contradictorio Subiecto, Enunciatio Opposita, Disiunctionem tollens (A non est B aut C) proponi potest: tum vero hoc facto, ipsa Disiunctio, proinde ipsum etiam Iudicium disiunctivum, tollitur, quin determinetur, quomodo secus A cogitandum sit. Consequenter Oppositio directa, seu negativa, proinde contradictoria est.

Quodsi Iudicio illi, (A est aut B aut C) Iudicium isthoc: A est neque B, neque C, aut hoc: A est tam B quam C opponitur: tum vero, non solum disiunctio, ut irrita tollitur, sed etiam, utraque Praedicata, in relatione ad A, simul ponuntur aut tolluntur, proinde longe aliud Iudicium et quidem copulativum, in forma categorica proponitur, quod vicissim adfirmativum, aut negativum esse potest. Consequenter Oppositio est indirecta seu positiva, proinde contraria.

Quandoquidem Quantitas Iudiciorum disiunctivorum, semper eadem est: intelligitur, (quod supra iam disputatum est) Contradictionem et Contrarietatem Iudiciorum, in se, et per se, a Quantitate eorundem independentem esse.

Obs. 4. Solent Logici, Iudicia ita dicta Subcontraria, ut tertiam Iudiciorum oppositorum Classem, proponere. Sunt scil. haec Iudicia particularia, diversae Qualitatis, v. c. Quidam homines sunt docti. Quidam homines non sunt docti. Sed male. Nam cum Enunciationes hae, minime se tollunt: Subcontrarietas, mere illusoria Oppositio putanda est, et rectius Iuxtapositio vocari debet, eo quod, partes unius eiusdemque sphaerae, iuxta se mutuo collocantur.

§. 65. Conversio Iudiciorum.

Si elementa Iudiciorum essentialia, quae ad Materiam eorundem pertinent, in inversa secum relatione posita inter se sunt, Iudicia conversa dicuntur, eorumque Relatio, Conversio vocatur. Sed haec conversio aut immutata, simplex seu simpliciter talis esse potest, si scil. Quantitas et Qualitas duorum Iudiciorum eadem est; — aut mutata, et quidem per accidens, facta esse potest, si scil. Quantitas mutatur, vel vero per Contrapositionem, instituta fit, si scil. Qualitas immutatur.

Iudicium prius Conversum, sensu specialiori; posterius autem Convertens nominatur; et si Conversio posterioris generis locum habet: illud Contrapositum, hoc Contraponendum nuncupatur. Quam duorum Iudiciorum Relationem, universe, Transpositionem logicam vocare licebit, eamque in Conversionem sensu strictiori, atque Contrapositionem distribuere.

Obs. 1. Si Iudicia categorica conversa sunt: tum vero Subiectum unius, fit Praedicatum alterius, et Praedicatum unius, Subiectum fit alterius A=B. B=A. Quandoquidem autem, etiamsi Praedicatum, de tota Subiecti sphaera, aut possit enunciari, aut non: minime sequitur Subiectum quoque, de tota Praedicati sphaera, posse, aut non posse pronunciari, cum ambo diversa queant gaudere sphaera: intelligitur Formas quoque Conversionis varias esse. Scil.

a) Quantitas et Qualitas, in ambobus Iudiciis, eadem esse potest v. c. Nullus Planetarum movetur in orbita circulari. Nulla res, se in orbita circulari movens, est Planeta. Tum etiam

b) Quantitas potest mutari, v. c. Omnes Homines sunt entia organica. Quaedam Entia organica, sunt homines. Denique et

c) Qualitas potest mutari v. c. Omnes lapides sunt res vita carentes. Nulla res viva est lapis.

Quartus restare videtur casus, cum et Quantitas, et Qualitas simul immutarentur. Sed quia hic, ex coniunctione, secundi et tertii casus emergeret: peculari commemoratione non indiget. Caeterum, et de hoc casu, et de Conversionibus Iudicii hypothetici, ac disiunctivi, pluribus, in Syllogistica commentabimur.

Obs. 2. In Doctrina de Conversione logica, prolixa regnant sententiarum divortia, inter Logicos, v. c. alii Conversionem Immutationem censent esse appellandam. Alii Contrapositionem Transpositionem vocant. Alii Contrapositionem in immutabilem, et mutabilem distribuendam volunt. — Sed de his in lectionibus erit dicendi locus.

§. 66. Quaestiones, et Responsiones.

Si ad datas repraesentationes, quibus, ad perfectum, completumque Iudicium efficiendum, quidpiam adhuc deest, defectum scrutamur: quaerimus, seu interrogamus; et si, quod deest, velut supplendum, ab aliis nobis offertur, eos respondere dicimus. Quare quaestiones seu interrogationes, et responsiones, proprie, non in se, et per se consideratae, verum in mutua utriusque partis coniunctione, cogitatae, plenum Iudicium efficere putandae sunt. Iudicia, seu Enunciationes, quae ex hac coniunctione emergunt, omnes possibiles adoptare possunt formas.

Obs. 1. Quia id, quod ad plenum Iudicium deest, varii generis esse potest; procul dubio, et Quaestiones, et Responsiones, multiplices esse possunt. Potest v. c. quaeri Subiectum sic: Quis est infinitus? R. Deus, — aut etiam Praedicatum sic: Quale Ens est Deus? R. infinitum. Aut determinatio Relationis, inter Subiectum et Praedicatum, potest quaeri, v. c. Est Deus infinitus? R. Is ille est. Ex talibus demum Quaestionibus, cum suis responsionibus coniungendis,

emergit Indicium isthoc categoricum: Deus est infinitus, — unde etiam huius generis Quaestiones, categoricae possunt vocari.

Sed Ratio quoque potest eius quaeri, quod consequitur, v. c. Quomodo evadimus locupletes? R. Labore, frugalitate, Favoreque Fortunae. Aut sequela rationis potest quaeri, sic: v. c. Quid consequemur, si modo laboramus, frugalitatem exercemus, fortunamque fautricem experimur? R. Opulentiam. Aut Nexum rationis et sequelae licebit quaerere v. c. sic: Rêne ipsâ divites evademus, si labori, frugalitatique indulgebimus, fortunaque conatibus nostris adspirabit? R. Ita est. Ex huius generis deinde quaestionibus, cum suis responsionibus coniunctis, obtinetur tale Iudicium hypotheticum: Si laboriosus, si frugalis fueris, sique fortunam adiutricem habueris: opulentus evades, — unde Quaestiones tales, bene dicuntur hypotheticae.

Tum, partes quoque datae sphaerae poterunt quaeri v. c. sic: Homines sunt, aut Virtutis studiosi, aut —? R. flagitiosi. Aut sphaera partium datarum quaeritur, sic: Quis Virtutis studiosus est, aut flagitiosus? R. Homines. Aut Oppositio, et Plenitudo membrorum divisorum quaerenda sic: Hominesne sunt, aut Virtuti addicti, aut flagitio dediti? R. Ita est. Ex his Quaestionibus, cum suis responsionibus compositis, exsistit Iudicium isthoc disiunctivum: Homines, aut sunt Virtutis studiosi, aut flagitiosi, — unde etiam quaestiones hae, disiunctivae possunt nominari. Unde liquet, nullas omnino quaestiones, in se, et per se, esse, sive categoricas, sive hypotheticas, sive disiunctivas, sed postmodum eas fieri tales, si cum suis quaeque responsionibus, coniungantur.

Quoad Modalitatem, quaelibet Quaestio est problematica, — quoad Qualitatem et Quantitatem indeterminata. — Iudicia vero, ex quaestionibus et responsionibus emergentia, variae sunt Quantitatis, Qualitatis, Relationis et Modalitatis.

Obs. 2. Sunt Quaestiones, et responsiones, peraeque indeterminatae, v. c. Quam poenam meretur flagitiosus? R. illam, quam sentiat. Sunt quaestiones absurdae, seu domitianae v. c. Quamdiu duravit bellum septennale? Quadratum rotundum, angulatumne est, an non? — Sunt responsiones absurdae v. c. Quae figurae sunt angulatae? R. Rotundum Quadratum. — Sunt quaestiones et responsiones compositae v. c. Multumne scripsit Caius et bene? R. Satis multum scripsit: nec tamen perinde bene.

Appendix.

De quibusdam, peculiaribus Iudiciorum et Enunciatorum Denominationibus, quoad eorum vim, et characterem scientificum.

§. 67. Internus Iudiciorum valor.

Ob peculiarem, interni valoris Iudiciorum, et Enunciationum respectum, eadem in analytica, et synthetica, — theoretica et practica, — demonstrabilia et indemonstrabilia, — subiectiva et obiectiva distribuuntur. Enimvero discrimina isthaec, non logica, sed realia sunt.

Obs. 1. In quolibet Conceptu, qui Subiecti vicem, in Iudicio subit, certis characteribus originariis, opus est, sine quibus is, cogitari

nequit. Quodsi, talis nota, in Praedicatum Iudicii statuitur, qui ex Conceptu Subiecti, sola Analysi elici potest, Iudicium Analyticum vocatur v. c. Triangulum est figura. Contra, si ad Subiectum Iudicii, tales characteres, velut Praedicata referuntur, qui in Conceptu eiusdem, non originarie continentur, Iudicium Syntheticum est, v. c. Omne Triangulum, est aequale duobus rectis.

Obs. 2. Iudicium quodlibet, in adiumentum meae scientiae, aut actionis enunciatur. Sensu priori Iudicium theoreticum, sensu posteriori practicum exsistit. Quare Iudicia theoretica, simpliciter, ad certum Obiectum referuntur, et quid ei competat, quid non, determinant. v. c. In Luna dantur montes ignivomi: Iudicia autem practica, ad actionem referuntur, qua quidpiam, ad effectum est deducendum. v. c. Sola honesta utilia.

Obs. 3. Utrum Enunciatio quaedam, demonstrabilis, an indemonstrabilis sit: id Logica determinare non potest, adeoque sumit tantum, esse re vera in Scientiis materialibus, id genus Enunciationes indemonstrabiles, quae in Principia constitutae, efficiunt, ut Demonstrationes construantur. Caeterum Enunciatio quaedam, potest esse in Scientia inferiori indemonstrabilis, quae in altiori demonstrabilis est.

Obs. 4. Pariter, utrum Enunciatio quaedam, praeter Subiectivum valorem, (absentiam contradictionis) obiectivo quoque valore polleat, adeoque in Systema realium cognitionum quadret, Logica determinare non potest. Omnes enim, et singulae Logices regulae, id consilii habent, et quidem immediate, ut Subiectivum cogitationum valorem, exhibeant tantum ac constituant.

§. 68. Scientificus Iudiciorum character.

Quodsi, praeter internum Iudiciorum valorem, scientificum quoque eorum characterem, h. e. pretium, Relationemque mutuam, quam in possibili cognitionum systemate consequuntur, consideramus: ea, pro diversa sua proprietate, hoc respectu, peculiaria quoque nomina, et titulos sortiuntur. v. c. Axioma, Postulatum, Theorema, Problema, Corollarium, seu Consectarium, Empeirema, Hypothesis, Lemma, Scholion. Quae tamen expressiones, hic, quasi in antecessum tantum possunt explicari, cum plenam, ac perfectam significationem, mox infra in Doctrina Demonstrationum atque Methodi obtinebunt.

Obs. Decreta seu Principia, a quibus Systemata scientifica auspicia sua capiunt, si Enunciationes Theoreticae sunt, quarum certitudo inmediate cognoscitur, Axiomata; si vero Enunciationes, practicae sunt, quarum solutio, et executio, immediate perspiciuntur, Postulata vocantur. Axiomata et postulata, sunt in Enunciationibus indemonstrabilibus, atque in Scientiis vicem elementarium, seu fundamentalium Enunciationum sustinent (§. 66. Obs. 3.).

Contra, Enunciationes theorecticae, quae demonstrationem, et recipiunt et eius indigent, Theoremata nominantur, ubi proinde, ad Enunciationem, quae ipsam Doctrinam in se continet, (Thesis) alia adhuc, et plures accedunt, quae valorem Doctrinae probant, (Demonstratio); Enunciationes autem practicae, quarum solutionis, et executionis ratio probanda est, Problemata nuncupantur, ubi ergo ad Enun-

ciationem, quae Problema in se continet, (Quaestio) non modo institutio, quomodo id, quod postulatur, exsequi liceat, (Resolutio) sed etiam Probatio, indicatam Problematis solvendi rationem prorsus satisfacere, (Demonstratio) accedit. Quare Theoremata et Problemata, sunt Enunciationes demonstrabiles, atque in Scientiis, ex ipsis Elementaribus Enunciationibus deducuntur.

Enunciationes, quae immediate, ex praecedentibus eliciuntur, quin demonstratione opus habeant, Corollaria, Consectaria, Porismata, vocantur. Enunciationes, quarum vis ac potestas, observationibus ac tentaminibus nituntur, Empeiremata, Experientiae, et Experimenta dicuntur. Enunciationes, quae propter certas, non necessario determinantes rationes assumuntur, Hypotheses nuncupantur. Enunciationes, quae ex aliis scientiis, sumtae sunt, Lemmata, seu Propositiones peregrinae, appellantur, quibus domesticae, certae cuiusdam Scientiae, Enunciationes opponuntur. Denique his adiiciuntur Enunciationes, quae non cardinales sunt: attamen notitiam rerum, ad systema necessariarum, praestant, atque Scholiorum nomine veniunt. Enunciationes ipsae intuitu characteris earum scientifici, sequenti ratione, commodissime classificantur:

I. Enunciationes cardinales
  1. Domesticae
    A. Decreta, seu Principia originaria.
      a. Axioma
      b. Postulatum.
    B. Enunciationes derivatae
      a. ex rationibus necessario determinantibus, Dogmata in sensu latiori
        α. ex propriis Principiis
          א. per formalem demonstrationem
            aa. Theorema
            bb. Problema
          ב. per immediatam consequentiam. Corollaria
        β. observationes et Tentamina. Empeirema.
      b. ex rationibus non necessario determinantibus. Hypothesis.
  2. Peregrinae. Lemma.
II. Scholion.

Articulus III. De Ratiociniis.

§. 69. Syllogismus. Syllogistica.

Ratiocinari, colligere, concludere, (συλλογιζεσθαι) significat, ita cogitare, ut Iudicia ad se invicem referantur, vis ac potestas (valor) unius per alterum determinetur, proinde Veritas aut Falsitas Iudiciorum, cognoscatur. Ratiocinium itaque, subiective (quâ actus) est functio animi, Valorem Iudiciorum determinandi, eatenusque, Veritatem ac Falsitatem eorundem, cognoscendi: obiective (quâ productum) autem est Complexus Iudiciorum, quorum unum alterum, quoad valorem eius determinat. Theoria logica, de Ratiociniis, Syllogistica (επιστημη scientia) vocatur,

et habilitas Theoriam hanc in cogitando dextre exercendi Ars Syllogistica (τεχνη) appellatur.

Obs. 1. Ratiocinium itaque, nihil aliud est, quam Iudicium secundarium, intercedente Iudicio alio primitivo, elicitum, v. c. Quilibet sceleratus est puniendus. Atqui Petrus est sceleratus. Ergo etiam puniendus. Et quia Ratiocinium plura in se debet complecti Iudicia; patet, solitam illam Ratiocinii definitionem, esse illud mediatum Iudicium, falsum esse, cum solam conclusionem Ratiocinii designet.

Obs. 2. Actus Ratiocinandi, est peculiaris Facultatis cognoscendi, seu cogitandi superioris, functio, quae sensu stricto Ratio nominatur, unde etiam voces: ratiocinari, ratiocinatio, ratiocinium descendere putandae sunt, — quemadmodum Graecum συλλογιζεσθαι a radice λογος, quae Rationem significat, originem ducit.

§. 70. Consequens. Consecutio.

Si Iudicium quodpiam, respectu Valoris sui, per alterum aliquod determinatur, hoc pro ratione illius, illud pro sequela seu consequente huius reputandum videtur. Functio ergo ratiocinandi, ita quoque considerari potest, tamquam functio Consecutionem eliciendi, h. e. tamquam Deductio Iudicii, ex uno, aut pluribus facta Iudiciis: unde quaelibet Ratiocinatio, Consequentiae inductio, potest appellari.

Obs. Consequentiam elicere, et concludere, differunt. Consequentiam elicimus, cum consequens ex ratione deducimus: Concludimus autem, cum ope illius Deductionis, valorem Iudicii, ex aliis cognoscimus. Consequentiam inducere, vel in unico Iudicio licet, scil. in Hypothetico: sed concludere non licet; si quidem ad hoc, pluribus Iudiciis opus est. Quaelibet Ratiocinatio quidem, est Inductio consequentiae: sed non quaelibet consequentia, est Ratiocinatio. — Sunt, qui in Iudicio hypothetico Consequentiam quâ actum, in ratiocinio Consequentiam in actu, distinguunt.

§. 71. Partes Ratiocinii.

Quandoquidem Consequens, ut conditionatum quidpiam, a ratione, quâ conditione dependet: intelligitur rationem, ut το Prius, et Consequens, ut το Posterius, cogitari oportere. Quare, illa pars Ratiocinii, quae rationem in se continet, Praemissum, aut si illa ex pluribus constat Iudiciis, Propositiones praemissae: pars autem illa, quae Consequens in se continet, Conclusum, Propositio conclusa, seu Conclusio, sensu strictiori appellantur. Atque, ultima haec Ratiocinii pars est, quae usitate voce, Ergo insignitur. (§. 69. Obs. 1.)

§. 72. Materia et Forma Ratiocinii.

Quamobrem, in quolibet Ratiocinio, Materia et Forma distinguendae. Materia, in illis ipsis Iudiciis consistit, quae in Ratiocinio, simul cum Conceptibus in eodem occurrentibus, coniuncta sunt: Forma vero, in modo illo inest, quo Iudicia illa, invicem coniunguntur, ut unum per alterum, aut per plura, respectu valoris sui, determinetur. In quolibet Ratiocinio itaque, Varia occur-

runt, quae ope Rationis, ad unitatem conscientiae coniunguntur, scil. Thesis, Antithesis, et Synthesis.

Obs. 1. Intuitu Formae Ratiociniorum, Forma eorum essentialis, a Forma contingenti, diligenter distinguenda est. Forma essentialis, consistit in modo determinato coniunctionis, materialium Ratiocinii, ad unum Totum logicum: contra Forma contingens, in modo illo inest, quo Conceptus, et Enunciationes, externe exhibentur, catenusque, quoad numerum, situm, et sequelam determinantur.

Obs. 2. Falsum est, quod quidam Logici contendunt, Materiam Ratiocinii in Praemissis, Formam vero, in sola Conclusione contineri: quod sine negotio perspicietur, simulac Ratiocinium categoricum, iam supra (§. 69. Obs. 1.) exhibitum, cum hypothetico isthoc contuleris: Si Caius sceleratus est: profecto puniendus est. Atqui Caius est sceleratus. Ergo puniendus etiam est. Nam Enunciationes Conclusionis, utrobique perfecte identicae sunt: Forma tamen utrorumque Ratiociniorum prorsus diversa est. Quare Enunciationes singillatim sumtae, ex quibus Ratiocinium constat, ad Materiam eiusdem pertinent: Forma autem, in modo coniunctionis earundem, ad unum Totum, proinde in Synthesi Praemissi, et Conclusi, inest. Unde simul, id quoque liquet, tres illas elementares cogitationis functiones, Thesim, Antithesim, et Synthesim intuitu Formarum Ratiocinii, in omni Ratiocinandi genere, vicissim et essentialiter occurrere debere.

Obs. 3. Si, quemadmodum supra disputatum est, omnes ac singulae nostrae cogitationes, tribus, Positionis, Oppositionis, et Coniunctionis functionibus elementaribus continentur; ita Conceptus quoque nostri, Iudicia, Ratiociniaque nostra singillatim considerando, Thesi, Antithesi, et Synthesi absolvuntur: profecto, non est mirum si, ut olim Antiquitas ipsa numerum ternarium, ut Sanctum, mysteriorumque plenum observavit, sic nos quoque Triplicitatem hanc originariam, ubique consectari studeamus. Certe ipsa Arithmetica generatim, — speciatim Additio, Subtractio, Multiplicatio et Divisio, distributive sumtae, — lineae mathematicae origo, constructio linearum Euthymetriae in Triangulo, — constructio superficiei triangularis, — Constructio Corporum mathematicorum, seu trina Spatii dimensio, — trium Temporis momentorum, puta: Praeteriti, Futuri, et Praesentis constructio, — Idea trium philosophandi systematum utpote: Realismi, Idealismi, et Synthetismi, — Idea trium philosophandi Methodorum, scil. Dogmatisticae, Scepticae, et Criticae, — Idea trium Potentiarum in homine cardinalium nempe: Sensualitatis, Intellectualitatis, et Rationalitatis, — Idea distributionis omnium Scientiarium, in liberales, ligatas, et mixtas, artiumque pulchrarum in tonicas, plasticas, et mimicas, — denique Positio, Oppositio, et Mediatio (intercessio) in Trilogiis Graecorum tragicis, ad tres illas originarias Mentis humanae functiones, videlicet, ad Thesim, Antithesim et Synthesim, nos quasi manu ducit.

§. 73. Necessitas duarum Praemissarum.

Forma Ratiocinii cuiusque essentialis, in Synthesi certarum illarum Enunciationum consistit, quae in Relatione Rationis Logicae, ad Consequens, inter se positae sunt. Quandoquidem autem,

quaelibet Synthesis, Thesim et Antithesim praesupponit, (sumit) sequitur, ut in quoque Ratiocinio simplici ordinario et completo, Praemissum, ex duabus Enunciationibus constare debere, quae ob id ipsum Praemissae (scil. Propositiones) appellantur (§. 71).

§. 74. Necessitas trium cardinalium Enunciationum.

Scilicet, in quolibet Ratiocinio, primo quoque loco, Enunciatio quaedam universalis proponenda est, ex qua, cum securitate, ac certitudine liceat Consecutionem elicere. Atque haec ipsa Enunciatio, est Principium Consecutionis, proinde id genus Regula, in qua, tale quidpiam comprehenditur, quod in conditione rei alterius esse potest, vocaturque Propositio maior. Tum vero alia quaedam Enunciatio proponenda videtur, quae determinet, Regulam, cum sua conditione, re vera ad aliquid posse referri, — quae Propositio minor, seu Assumtio nominatur. Denique, haec eadem ipsa Relatio suscipienda, eiusque ope, Ratiocinium est consummandum, in Enunciatione, quae quasi intuitu Praemissarum, Postpositio diceretur, Conclusio nuncupatur.

Obs. Praemissarum una, Maior, altera, Minor, partim a consueto earum positu, progressui cogitationum naturali accomodato, partim autem, eam ob causam ita vocantur, quod in Maiori, terminus maior, in Minori, terminus minor, cum termino medio, simul ponantur, si modo Ratiocinium, Syllogismus categoricus fuerit.

§. 75. Supremum Syllogisticae Principium.

Quare, quodlibet Ratiocinium, est actus Rationis, et quâ talis, inest in determinatione Necessitatis Iudicii cuiuspiam, Relatione eiusdem ad conditionem, in Regula universali comprehensam, perficienda. Qui huius instituti valor, a Principio Syntheseos (§. 20.) dependet, atque, ut supremum Syllogisticae Principium, tali formula potest exhiberi: Quodlibet Iudicium est necessarium, ad quod, ut Consequens, Conditio in Regula universali comprehensa, velut ratio eiusdem referri potest.

§. 76. Cognitio Particularis per Universale.

Iudicium, cuius necessitas, Regula universali determinatur, etiamsi in se, et per se consideratum, ipsum universale est, tamen, in relatione ad Regulam, pro particulari potest haberi. Nam id, quod in Regula universali cogitatur, formaliter, semper in altiorem cogitandi sphaeram transponitur, quam quod per Regulam determinatur, etiamsi materialiter, eandem Sphaeram complere videretur. Quare Ratiocinium, ita quoque explicari potest, quod id, in deductione Particularis, ex Universali versetur, aut quod, in cognitione Particularis, per Universale, consistat.

Obs. Videri interdum posset, ac si Conclusio, aequalem cum Maiori haberet sphaeram, v. c. in exemplo hoc: Si Caius flagitiosus est: puniendus est. Atqui Caius flagitiosus est. Ergo etiam puniendus. Enimvero Maior isthaec, per naturam, altioris dignitatis, maiorisque sphaerae est, quam ipsa Conclusio, etiam-

si Praedicatum, puniendus, de eodem Subiecto enuncietur: si quidem Maior, propter formam hypotheticam (§. 57. Obs. 4. §. 58. Obs. 3.) universalis, et apodictica est: contra Conclusio, in assertorica, individuali Enunciatione, inest. Quare Principium Syllogisticae, Principium quoque Necessitatis, seu Universalitatis, Rationalitatisque potest nuncupari. Nam sine cognitione Universalitatis, et Necessitatis, Ratio omnino constare nequit.

§. 77. Categorica, hypothetica, et disiunctiva ratiocinandi Forma.

Omnis, generum Ratiocinii, diversitas, (si modo, non contingens ratiocinandi forma respicitur) nonnisi vario illo modo nititur, quo per Regulam universalem, Valor Iudicii, ope Assumtionis determinatur. Sed Regula ipsa est, quae conditionem in se continet, a qua vis et potestas, seu Valor Conclusionis dependet. (§. 74, 75.) Ergo in quolibet Ratiocinio, cardo rei, in eo potissimum vertitur, quomodo se conditio illa habet, ad Enunciationem Conclusionis. Atque, haec Relatio Conclusionis, potest Relatio ipsius Ratiocinii appellari. Quandoquidem porro Relatio isthaec, iam in Regula universali, quae conditionem in se continet, quaeve in ordinario plenoque Ratiocinio, ut Maior apparet, semet indicare debet: intelligitur, Relationem Ratiocinii, a Relatione Maioris pendere. Et cum denique omnia Iudicia, omnesque Enunciationes quoad Relationem, aut categoricae, aut hypotheticae, aut disiunctivae sunt (§. 57.): liquet, Ratiocinia quaeque, categorica, hypothetica, et disiunctiva esse debere, proinde intuitu essentialium ratiocinandi Formarum, non plura, quam tria haec, Ratiociniorum genera esse posse.

Obs. 1. Unde fit, quod Relatio totius Ratiocinii, pro relatione Maioris, determinetur? Inde, quod totus Ratiocinii Organismus, proprie a Relatione, conditionis Maioris, ad Enunciationem Conclusionis, pendeat, Minorque nonnisi transitum a Maiori, ad Conclusionem instruat. Quia vero Relatio isthaec, in Regula, peculiariter iam determinata esse debet, valorque Conclusionis, Regulae conditioni adstrictus est: Forma Ratiocinii, per Formam Maioris determinata sit necesse est, ut a Relatione, Minoris, ad Conclusionem nihil pendeat.

In distributione generum Ratiocinii, cur sola Relatio adtenditur, et non simul Quantitas, Qualitas, Modalitasque considerantur? Ideo, quum quaelibet Ratiocinia, quâ talia, universali ac necessaria vi, potestateque polleant, eandem quoque Quantitatem, et Modalitatem habere debent; intuitu vero Relationis, ad Consequentiam, perinde est, affirmativa sitne, Conclusio, an negativa. Quare Conclusionem, cum Ratiocinio confundunt, qui Ratiocinia ipsa, in universalia et particularia, in affirmativa et negativa distribuunt. Nonnisi Modus Ratiocinii potest ponens aut tollens nominari, pro eo ac, Conclusio, affirmativa aut negativa fuerit. — Aeque falsum est, quod quidam Logici instituunt, sola Ratiocinia categorica, esse ordinaria, reliqua, extraordinariis esse accensenda.

Obs. 2. Exemplum Ratiocinii Categorici esto: Omne Corpus

est mobile. Atqui Stellae fixae sunt corpora. Ergo Stellae fixae mobiles sunt. — Exemplum Ratiocinii hypothetici esto: Si tellus in 24 horis, circa axem suum convertitur: diurnus solis circa tellurem motus, erit tantum apparens (illusorius). Atqui tellus, circa axem suum, in singulis 24 horis convertitur. Ergo diurnus solis, circa tellurem, motus, nonnisi apparens est. — Exemplum Ratiocinii disiunctivi esto. Pax aeterna, aut Rationis Postulatum est, aut phantasia Imaginationis chimaerica. Atqui Pax aeterna, Rationis est Postulatum. Ergo Pax aeterna, non chimaerica Imaginationis phantasia est.

§. 78. Forma Syllogismi categorici.

Syllogismus categoricus, est id genus Ratiocinium, in quo Regula illa universalis, ex qua Consequentia aliqua elicitur, categoricum Iudicium est A=B. In hoc Iudicio Subiectum (A) illa, in Regula comprehensa conditio est, a qua, vis ac potestas, seu valor Conclusionis dependet. Hinc in Assumtione determinandum est, esse aliud quodpiam Subiectum (C) quod sub hac conditione complexum sit C=A. unde postmodum, in forma Conclusionis, Consequentia isthaec emergit: Praedicatum (B) in Regula comprehensum, ita se ad hoc Subiectum (C) habere, quemadmodum hoc ipsum se, ad illud (A) habebat. Quare, in quoque Ratiocinio categorico, tres termini occurrunt, qui ea ratione inter se coniuncti sunt, ut ex iis, tres Propositiones oriantur, in quibus, quilibet terminus, bis compareat. Universalis Syllogismi categorici Formula, ita se habet:

A = B.
C = A.

Ergo C = B.

Obs. Quilibet Syllogismus Categoricus, (si is ordinarius est, ac plenus) tribus partibus constitutivis, seu Repraesentationibus elementaribus continetur, qui termini vocantur: A. B. C. Horum duo C. et B. Subiectum et Praedicatum Conclusionis constituunt. Et quia, in quoque Iudicio (nisi illud reciprocabile fuerit) Praedicatum maiori gaudet sphaera, quam Subiectum: patet, recte factum esse, ut Subiectum Conclusionis C. terminus minor, Praedicatum autem Conclusionis B. terminus maior sit appellatus. Et quia, tertius terminus A. Relationem inter C. et B. exponere debeat: iure terminus medius dictus est. Quamobrem, terminus medius, et maior, in Syllogismo, Propositionem Maiorem, terminus minor et medius, Propositionem Minorem, denique, terminus minor et maior Conclusionem effingunt.

Cum vero terminus medius, cum termino, et minori, et maiori comparari debeat: facile perspicitur, cur quilibet, trium terminorum, bis in Syllogismo occurrere debeat.

Ex Exemplo supra (§. 77. Obs. 2.) laudato, et hoc, quod hic praesto est: Entibus rationalibus, non ut rebus utendum, atqui Aethiopes sunt Entia rationalia, Ergo iis non ut rebus utendum, — lucide patet, Maiorem et Conclusionem, Syllogismorum categoricorum, affirmantes, et negantes, peraeque esse posse.

§. 79. Principium Syllogismi categorici.


Valor, seu vis ac potestas omnium Syllogismorum categoricorum, hac Enunciatione nititur: In qua Relatione (Convenientiae et Repugnantiae) data quaepiam nota, se habet, ad aliam rei notam; in eadem quoque relatione, se habet, ad hanc ipsam rem. Aut: Nota (positiva aut negativa) notae, est etiam (talis) nota Obiecti, sub hac nota comprehensi. Quare haec Enunciatio Principium Syllogismi categorici potest appellari.

Obs. 1. Quia in quolibet Syllogismo categorico, data quaepiam nota B, ut Praedicatum (Conclusionis) ad rem quampiam, C, ut Subiectum (Conclusionis) nota A intercedente debet referri: intelligitur Principium Syllogismi categorici, in duas speciales Enunciationes posse resolvi, puta:

a) Quidquid notae rei cuiuspiam competit, id ipsi rei quoque competit. Atque hanc ob causam iudicamus, Praedicatum Mobilitatis, Stellis fixis ideo competere, quia id ipsi notae, eas corpora esse, competit.

b) Quidquid notae rei cuiuspiam repugnat, id ipsi rei quoque repugnat. Unde iudicamus, Praedicatum usus rei merae Aethiopibus ideo repugnare, quod id notae eorundem, esse eos Entia rationalia, repugnat.


Obs. 2. Principium Syllogismi categorici, solent quoque Logici, tali Formula comprehendere: Nota notae, est etiam nota rei. Qua in Formula, quia vox res, Subiectum Conclusionis, seu terminum minorem; vox nota terminum medium, voces autem Nota notae Praedicatum Conclusionis seu terminum maiorem, sive affirmativum sive negativum designant, patet, Principio huic, titulo universalis Applicabilitatis, minime novam hanc Enunciationem esse adiiciendam: Repugnans notae, repugnat rei ipsi. Caeterum, id quoque hic, simul intelligitur, Principium Syllogismi categorici, sensu proprio, nihil aliud esse, quam Principium relativae Identitatis, tali Schemate exhibendum:



Obs. 3. Celebrata illa Enunciatio, quam vocant: Dictum de omni (h. e. Quid quid de Omni valet: valet etiam de quibusdam et singulis): — item: Dictum de nullo (h. e. Quid quid de Nullo valet: nec de quibusdam, nec de singulis valet) sensu proprio, in mera tantum Consequentia inest, Principi praecedentis: Nota notae etc. Dictum enim isthoc, tantundem significat, ac si dicas: Quidquid Generi competit, aut repugnat, omnibus quoque Speciebus ac Individuis earundem competere aut repugnare putandum est v. c. Notae: Vivum, — non vivum, cum Conceptu Animalis comparatae, omnibus Piscibus et Avibus aut competunt aut repugnant.

Obs. 4. Euler et Lambert, Viri clarissimi, Formam, nexumque Conceptuum, ac Enunciationum Syllogismi Categorici, sequentibus Schematibus illustrare sunt conati.

Schemata Syllogismi categorici affirmativi.



§. 80. Speciales Syllogismi categorici Regulae.

Regulae speciales, ex natura Syllogismorum categoricorum, sponte resultantes, quae scilicet iis, et formandis, et diiudicandis, inserviunt, sunt sequentes:

1) Quilibet Syllogismus categoricus, si is ordinarius, ac plenus est, tres in se habere debet Enunciationes, in quibus tamen, nonnisi tres Conceptus Cardinales, sive termini possunt habere locum.

2) Maior in Syllogismo Categorico universalis, Minor autem affirmans sit necesse est.

3) Conclusio, intuitu Quantitatis, ad Minorem, intuitu autem Qualitatis ad Maiorem se debet accommodare.

Ex quibus tribus Regulis, facile fuerit postmodum, omnes reliquas prono deducere alveo.

Obs. 1. Interdum, ita saepe videtur, quasi plures, praeter tres Conceptus, in Syllogismo, alias perfecto, et regulari, comparerent, cum tamen ut Enunciationes lege Rationis, nonnisi tres esse possunt: ita plures quoque termini adesse, nisi vitio Syllogismi, non possunt v. c. Qui suam Scientiam solide intelligit: is demum genuinus Eruditus habendus est. Atqui Caius suam Scientiam solide intelligit. Ergo vere Eruditus quoque esse putandus est. Hic, octo conceptus singillatim adesse videntur: cum tamen, re vera, tres tantum hi cardinales adsunt: solida scientiae intelligentia, — genuinus Eruditus, et Caius, qui scil. compositione tantum Conceptuum deceptis, plures esse videbantur.

Contra, id quoque fit interdum, ut cum medius terminus, alio significatu in Maiori, alio vicissim in Minori sumatur, tres tantum termini adesse in Syllogismo videantur, cum tamen ii ii, ob diversitatem significationis medii termini, quatuor re ipsa sunt, quod in vitio versatur logico, v. c. Si dicas: Animalia, nulla ratione praedita sunt. Atqui Homines sunt Animalia. Ergo homines, omni prorsus ratione destitutos esse oportet. Enim vero hic, quatuor sunt termini, cum terminus medius Animal in Maiori, sensu strictiori, in Minori sensu sumatur latiori, quod non minus absurdum est, quam foret, iniquum, si Quaestor, merces suas, diversa, a legali, mensura ponderatas, venderet.

Obs. 2. Maior in Syllogismo categorico (A = B §. 78.), intuitu Quantitatis determinata est, cum in Regula versetur universali, ut ex ea, Consecutio queat elici: sed quoad Qualitatem, indeterminata est, cum, et affirmativa, et negativa peraeque possit esse. Contra Minor, quoad Qualitatem determinata est, quia assumere h. e. ponere debet, esse quidpiam sub conditione comprehensum: intuitu autem Quantitatis, indeterminata est, ut, et universalis, et particularis esse queat. Hinc, Maior in Syllogismo categorico, Universalis, Minor, affirmans sit, necesse est.

Quare, sponte hinc sequitur veritas Regulae logicae priscorum: Ex Propositionibus mere particularibus, et mere negativis, nihil sequitur. Nam, si Praemissae, mere particulares essent, nulla quoque Regula universalis adesset, sub qua assumere,

cum securitate liceret, v. c. Quidam homines sunt docti. Quidam Troglodytae (in cavernis habitantes) sunt homines. Ergo quidam Troglodytae sunt docti. Si autem praemissae mere negativae forent, nihil prorsus assumi posset v. c. Nullus homo est omniscius. Deus non est homo. Ergo Deus est omniscius.

Interim, intuitu Assumtionis, 7o realiter negativum, ab apparenter (illusorie) negativo, probe distinguendum est v. c. in hoc Syllogismo: Quicunque suam scientiam non solide intelligit, vere doctus haberi nequit. Atqui Titius scientiam suam non solide intelligit. Ergo Titius vere doctus non est, Minor re vera affirmativa est, licet negative exprimatur, quia negatio medium terminum afficit; cui Titius positive subsumitur.

Hic idem casus obtinet, si Maior exclusiva (§. 60. Obs. 4.) est v. c. in Syllogismo: Sola Entia rationalia libera sunt. Atqui Simia non Ens rationale est. Ergo neque etiam libera, Maior negativa, Minor autem affirmativa est.

Si per Transpositionem Praemissarum, Maior negativa, locum Minoris, et Minor particularis, Maioris locum occuparet: id vero minime huc spectare existimandum foret. Tunc enim, quamvis Maior in loco Minoris, Minor, et Minor in loco Maioris Maior videretur: veram tamen utraque suam dignitatem retinet, eo quod illa, terminum maiorem, haec terminum minorem, ad medium terminum refert v. c. Quidam adolescentes sunt mendaces. Nulli mendaces sunt honesti. Ergo quidam adolescentes non sunt honesti.

Intuitu Relationis et Modalitatis, Maior, per se categorica esse debet, omnesque Modalitatis gradus admittit. Minor hypothetica esse potest, neque tamen disiunctiva, eo quod Disiunctio in una suarum partium, negationem continet: quoad Modalitatem autem, si categorica est, omnes possibiles determinationes recipit.

Obs. 3. Conclusio, Qualitatem Maioris, et Quantitatem Minoris necessario sequi debet: eo quod, terminum maiorem pro Praedicato, terminum autem minorem pro Subiecto habeat. Quare si Maior affirmativa est, Conclusio quoque debet esse affirmativa: contra si Maior negativa fuerit, ut Conclusio quoque negativa sit necesse est. — Quod si Minor universalis est; Conclusio quoque debet esse universalis: contra si Minor particularis fuerit, conclusio quoque particularis sit necesse est. Quam Regulam, Logici prisci sic expresserunt: Conclusio sequitur partem debiliorem, — quippe, qui propositionem particularem universali, negativam affirmativa, dixere debiliorem.

Quoad Modalitatem Conclusio semper est apodictica, eo quod necessitatem Consecutionis involvit, etiamsi in se, et per se (absque ergo:) debiliori gauderet Modalitate, v. c. Qui fieri aeger potest: mori quoque potest. Atqui Caius potest fieri aeger. Ergo etiam mori potest.

Relatio Conclusionis, eadem est cum Minori. Quare si Assumtio fuerit hypothetica: concludi quoque nonnisi hypothetice poterit.

Obs. 4. In examinatione Syllogismorum datorum, principio statim forma: deinde autem materia eorundem est consideranda. In forma Syllogismi categorici, imprimis investigandum erit, utrum medius

terminus, in utraque praemissarum identicus est. Nam, simulac in vicem trium terminorum, quatuor fuerint deprehensi: Quadruplicitas isthaec, totam Syllogismi formam convellet.

Quod si Syllogismus, quoad formam, legitimus esse videbitur: tum vero Materia eius erit expendenda, et quidem partim id, utrum Maior revera universalis sit, partim vero, num Minor veritati congruenter fuerit assumta, v. c. in hoc Syllogismo: Nullum animal, quod in aquis vivit, vivos progignit faetus. Atqui Elephantus id genus animal est, quod in aquis vivit. Ergo, — et Maiorem, et Minorem falsam esse, ex Zoologia discendum est.

Ceterum, facile, et per se perspicitur, ridiculum fore, si Syllogismum evertere volens, destructionem eius, a Negatione Conclusionis auspicareris. Nam, si Praemissas concedas: absurdum fuerit negasse conclusionem; si vero Praemissarum alterultram, aut forte utramque negaveris, Adversarius si sapit, Conclusionem sponte dimittet, nec ei amplius inhaerebit.

§. 81. Forma Syllogismi hypothetici.

Syllogismus hypotheticus, est id genus Ratiocinium, in quo Regula illa Universalis, ex qua Conclusio elicitur, hypotheticum iudicium est v. c. Si A. est: tum est quoque B. In tali Iudicio, hoc tantum enunciatur, propositionem antecedentem A, et propositionem consequentem B, ita inter se esse, quemadmodum rationem, et rationatum, seu sequelam eius, quin tamen determinetur, num alterutrum duorum, in se, et per se consideratum, revera locum habeat an non. Ut vero id determinari queat, in peculiari quadam Assumtione, aut membrum antecedens, in se, et per se ponendum est, ut ex eo in Conclusione membrum quoque posterius poni debeat; — aut membrum posterius, in se, et per se tollendum erit, ut ex eo, sublatio membri antecedentis, in forma consecutionis eliciatur. Quare Universalis Syllogismi hypothetici forma ita se habet:

Si A est:		tum est quoque B
Atqui A est	aut	Atqui B non est
Ergo B quoque est		Ergo A quoque non est.

Obs. Syllogismus quoque hypotheticus, quemadmodum categoricus, tribus Enunciationibus constat, quippe Maiori, Minori, et Conclusione. Quia vero ad Regulam Universalem hypotheticam, Assumtio duplici modo potest institui: Formam quoque Syllogismi hypothetici, duplicem esse oportet. Scilicet, aut a veritate membri antecedentis ad veritatem membri consequentis; aut a falsitate membri consequentis, ad falsitatem membri antecedentis concludi potest, tali fere formula: Atqui verum prius: ergo et posterius; aut: Atqui falsum posterius: ergo et prius. Illa concludendi ratio: Modus ponens, haec: Modus tollens Syllogismi hypothetici appellatur.

Exemplum Modi ponentis esto: Si Religio est res Conscientiae, profecto intuitu eius plena libertas locum habere debet. Atqui Re-

ligio res est Conscientiae. Ergo intuitu eius, ut perfecta quoque libertas locum habeat, necesse est.

Exemplum Modi tollentis esto: Si Luna propria luce gaudet, plena semper esse debet. Atqui ea non semper plena est. Ergo neque propria sua luce gaudet.

§. 82. Principium Syllogismi hypothetici.

Principium Syllogismi hypothetici, hac Enunciatione continetur: Si conditio ponitur, conditionatum quoque ponendum est, et si conditionatum tollitur, conditionem quoque tolli necesse est. In Maiori scilicet Syllogismi hypothetici, membrum prius, inest in conditione illa, a qua membrum posterius, ut conditionatum quidpiam, dependet.

Obs. 1. Vis ac potestas Regulae Superioris, necessario, rationis et consequentis, nexu nititur, quae lex, salva Rationis humanae constitutione, abrogari non potest. Quare decretum isthoc: Posita Conditione, ponitur conditionatum; sublato conditionato, tollitur conditio, sic quoque exprimi potest: A ratione, ad rationatum, a negatione rationati, ad negationem rationis, valet consequentia. Pars Regulae, normae loco inservit modo ponenti: pars autem altera modo tollenti in Syllogismo hypothetico.

Obs. 2. Quaeri solet: Utraque haec concludendi ratio hypothetica, cur non potest inverti, ut a rationato, ad rationem, — et a negatione rationis, ad negationem rationati, liceret ratiocinari? R. Hi concludendi modi, nonnisi tunc demum pro validis haberi, permittique possent, si quaelibet consequentia, nonnisi unam rationem haberet, et si ex falsa ratione, vera consequentia elici nequiret.

Obs. 3. Quomodo Syllogismus hypotheticus, in Cathegoricum permutari potest? Resp. Id quidem haud quaquam videtur necessarium, cum hypothetica concludendi ratio, tam valida in se putanda est, quam ipsa categorica. — Tum, Permutatio isthaec, duntaxat tunc possibilis est, si Maior Syllogismi hypothetici, tres in se continet conceptus cardinales, quorum unus, tamquam medius terminus, cum reliquis duobus, categorice potest coniungi. Contra una concludendi Ratio hypothetica, in aliam, h. e. modus ponens, in modum tollentem, et vice versa, nunquam non transmutari potest, simulac Maior contraponitur. (§. 65. Obs. 2.)

§. 83. Speciales Syllogismi hypothetici Regulae.

Regulae Speciales, ex natura Syllogismorum hypotheticorum, sponte resultantes, quae scil. iis, et formandis, et diiudicandis, inserviunt, sunt sequentes:

1) Quilibet ordinarius, plenus, perfectusque Syllogismus hypotheticus, tres in se habere debet Enunciationes, in quibus tamen, plures quoque, quam tres conceptus cardinales, seu termini, occurrere possunt.

2) Maior, quoad Quantitatem, et Qualitatem, nonnisi una eademque ratione, Minor autem, utroque respectu, varia ratione potest determinari.

3) Conclusio, intuitu suae Quantitatis, et Qualitatis, ad illud Maioris membrum semet accomodat, quod non fuit assumtum, et-quidem, in modo ponente directe, in modo tollente autem indirecte, per Oppositionem.

Obs. 1. Quemadmodum categorici, ita hypothetici quoque Syllogismi, constant ex Maiore, quae Regulam universalem, Minore, quae Assumtionem, et Conclusione, quae Iudicium consecutione elicitum, in se continet. Nam, assumere, non id tantum significat, Conceptum, ut sub alio comprehensum cogitare, sed etiam universe quidpiam in relatione ad aliud, ut subordinatum cogitare. Haec cogitandi functio autem, in omnibus Syllogismis hypotheticis locum habet. Ii ergo, non minus, quam categorici ipsi, re vera, et proprie, ratiocinia Rationis sunt, etiamsi plures, quam tres, possunt in se habere Conceptus Cardinales.

Obs. 2. Maior, in Syllogismo hypothetico, semper universalis, et positiva est. (§. 57. Obs. 4.) Sed partes eius, membrum scil. prius, et posterius, minorem possunt habere Quantitatem et Qualitatem. Hinc Minor quoque variae Quantitatis et Qualitatis esse potest, et quidem potest esse Minor in modo ponente negativa, in modo autem tollente affirmativa esse.

Relatio, et Modalitas Maioris, per se ipsa, iam determinata est. Minor usitate, categorica est, potest tamen etiam hypothetica esse; quod si cathegorica est: tum vero problematica, assertorica, et apodictica esse potest. Disiunctiva quoque potest esse Minor, si prius, et posterius Maioris membrum, Disiunctionem in se continet.

Obs. 3 In Conclusione, et quidem in modo ponente, membrum Maioris posterius ponitur, quia in Minori, membrum prius, positum est. Tum ergo Conclusio, eandem membri illius Quantitatem et Qualitatem habebit. — In modo tollente autem, membrum Maioris prius tollitur, quia in Minori membrum posterius sublatum est. Quare, quoad Quantitatem et Qualitatem, Conclusio diversa esse potest, a membro Maioris priori, aut etiam posteriori.

Quoad Modalitatem, Conclusio semper apodictica est, licet in se considerata, debiliorem quoque habere potest Modalitatem; ut tamen per hoc, Consequentia non afficiatur.

Denique, quoad Relationem, Conclusio est categorica, si Minor est categorica. Si Minor fuit hypothetica: Conclusio quoque hypothetica esse debuit. Quodsi Assumtio, disiunctive facta est, et membrum Maioris posterius disiunctivum est, Conclusionem quoque disiunctivam esse oportet.

Obs. 4. In Examinatione dati Syllogismi hypothetici, in primis Consequentia Maioris, et rectitudo Assumtionis respiciendae sunt. Nam si Consequentia languida, aut nulla est: totus quoque Syllogismus nullius valoris esse putandus est. Et, si Assumtio minime recta est: Conclusio, etiamsi Maior accurata fuerit, cadat, necesse est.

§. 84. Forma Syllogismi disiunctivi.

Syllogismus disiunctivus, est id genus Ratiocinium, in quo Regula illa universalis, ex qua consecutio elicitur, Iudicium est disiunctivum v. c. A est aut B. aut C. Sed in tali Iudicio, id enunciatur, quod B et C, tamquam oppositi Conceptus, nonnisi possibilia τοῦ A Praedicata sint, quin tamen determinetur, utrum est

ex iis, quod τῷ A revera competat, aut non. Ut vero hoc determinari queat, in peculiari quadam Assumtione, unum ex Praedicatis, aut ponendum, ut ex eo, in Conclusione, sublatio alterius consequatur; — aut vero tollendum, ut ex eo, positio alterius eliciatur. Quare Forma Syllogismi disiunctivi talis est:

A est aut B, aut C.

Atqui est B	aut	Atqui non est B.
Ergo non est C.		Ergo est C.

Obs. 1. Syllogismus quoque disiunctivus, tribus constat Enunciationibus, puta: Maiore, Minore, et Conclusione. Nam primum, Regula universalis, in Enunciatione disiunctiva proponenda est. Tum vero Assumtione unius, ex Praedicatis disiunctivis facta, in Conclusione, relatio alterius Praedicati ad Subiectum debet determinari. Quia vero in Relatione, ad Regulam universalem disiunctivam, duplici modo Assumtio fieri potest: patet, in Syllogismo disiunctivo, duplici ratione posse concludi, scil. aut a veritate unius membri Disiunctionis, ad falsitatem alterius; aut a falsitate unius, ad veritatem alterius: prior concludendi ratio modus ponens, posterior modus tollens appellatur. Formula illius haec est: Atqui verum prius: ergo falsum posterius; Formula vero huius talis est: Atqui falsum prius: ergo verum posterius, — ubi sponte intelligitur, perinde esse ac si dicas: Atqui verum posterius: ergo falsum prius, — Item: Atqui falsum posterius: ergo verum prius. Nam, a quo demumcunque Disiunctionis membro, (B aut C) positionem, aut sublationem auspiceris, nihil interest.

Exemplum modi ponentis (ponendo tollentis) esto: Deus, aut omnia scit, aut quaedam ignorat. Atqui Deus omnia scit. Ergo quaedam quoque non ignorat.

Exemplum modi tollentis (tollendo ponentis) esto: Aethiopes, aut Entia rationalia sunt, aut inrationalia. Atqui Aethiopes sunt non inrationalia Entia. Ergo sunt Entia rationalia.

Obs. 2. Id hic praesupponitur, Disiunctionem in Maiori, pure logicam esse, proinde eam, ex directe, aut negative, invicem oppositis, seu contradictoriis Conceptibus, constare v. c. B non B. Nam, si Disiunctio plura, quam duo habeat membra, v. c. A est aut B aut C aut D etc; proinde membra isthaec, indirecte, seu positive oppositi, seu contrarii Conceptus essent: tum vero tam modus ponens, quam modus tollens duplici ratione posset institui. Schema Syllogismi disiunctivi contrariae Disiunctionis esto sequens:

A est, aut B, aut C, aut D.

Atqui est B	aut:	Atqui est aut B aut C
Ergo neque C neque D.		Ergo non est D.
Atqui non est B.	aut:	Atqui nec B est nec C.
Ergo aut C est aut D.		Ergo est D.

§. 85. Principium Syllogismi disiunctivi.

Principium Syllogismi disiunctivi, hac Enunciatione continet: Si ex duobus contradictoriis Conceptibus, unus

ponitur, alter tollitur, et, si unus tollitur: alter ponitur. Scilicet in Maiore Syllogismi disiunctivi, Conceptus oppositi, (B et C) in relatione ad certum Subiectum (A) pro talibus Praedicatis cogitantur, ex quibus unum, Subiecto competere debet, sed etiam ei, nonnisi unum potest competere.

Obs. 1. Principium isthoc immediate, ad syllogismos, contradictoriae Disiunctionis, refertur; sed quia Syllogismi contrariae Disiunctionis, facile in Syllogismum contradictoriae Disiunctionis transmutari possunt: eadem Regula, ad omnes, et singulos Syllogismos Disiunctivos, valet, breviter sic expressa: Ab unius contradictorii positione, ad negationem, a negatione, ad positionem alterius, valet consequentia. Quodsi autem Regula haec, peculiariter adhuc, ad Syllogismos contrariae disiunctionis debeat modificari, sic videtur exprimenda: Quod membrum Disiunctionis aut determinate, aut indeterminate, non ponitur: tollitur; et quod non tollitur: aut determinate, aut indeterminate ponitur.

Obs. 2. Quilibet Syllogismus Disiunctivus, in unicum hypotheticum, potest transmutari: eo quod, in hac Ratiocinii forma, Positio, in ratione sublationis, et vicissim sublatio, in ratione Positionis inest, v. c. Exempla proxime (§. 84. Obs. 1.) laudata sic transmutantur: Si Deus omnia scit: quaedam quoque non ignorat. Atqui Deus scit omnia. Ergo — item: Si Aethiopes non sunt inrationales: profecto Entia rationalia esse debent. Atqui ii non sunt inrationales. Ergo — Unde liquet, ex Syllogismo Disiunctivo, sive is in modo ponente, sive in tollente sit, ope Transmutationis, nonnisi unum Syllogismum hypotheticum, in modo ponente, posse exsistere.

Quodsi Syllogismus disiunctivus, in Maiore, nonnisi duo membra disiunctiva continet, quae ad unum Subiectum simplex referuntur; Syllogismus hypotheticus, qui inde per Transmutationem fit, nonnisi tres terminos habiturus est, qui proinde (§. 82. Obs. 3.) facile in categoricum convertetur. Sin autem Syllogismus disiunctivus, plura quam duo membra disiuncta habet, aut Subiectum compositum est: is non in unum, sed in plures Syllogismos categoricos potest transmutari. Enim vero hoc labore molesto per se, animus adgravabitur tantum, ac delassabitur, cognitioni veritatis autem, nihil prorsus accedet.

§. 86. Regulae Syllogismi disiunctivi speciales.

Regulae speciales, ex Natura Syllogismorum disiunctivorum sponte resultantes, quae scilicet iis, et formandis, et diiudicandis inserviunt, sunt sequentes:

1. Quilibet Syllogismus disiunctivus, ordinarius, et plenus, tres Enunciationes habere debet, in quibus, si Disiunctio pure logica est, tres quoque tantum occurrere possunt Conceptus cardinales, seu termini.

2. Maior, quoad Quantitatem et Qualitatem, nonnisi una, eademque ratione, Minor autem, utroque respectu, diversa ratione, potest determinari.

3. Conclusio, eandem cum Minore Quantitatem: sed Qualitatem eidem oppositam habet.

Obs. 1. Syllogismi disiunctivi, quemadmodum categorici, et hypothetici, constant ex Maiore, tamquam Regula universali, Minore, tamquam Assumptione, et Conclusione, tamquam Iudicio, per consecutionem elicito. Sunt ergo hi, sensu proprio, Ratiocinia Rationis, et, si in Maiore Disiunctio contradictoria est, in Syllogismo disiunctivo, nonnisi tres termini occurrunt. In Disiunctione quidem contraria, plures Conceptus possunt adesse: sed quandoquidem tales Syllogismi, compositi sunt, in tot Syllogismos simplices, cum tribus Conceptibus possunt resolvi, in quot Enunciationes simplices, Maior potest dissolvi.

Obs. 2. Quando quidem, Maior Syllogismi disiunctivi, Iudicium disiunctivum est: hoc semper universale, et Positivum est (§. 57. Obs. 4.), Minor, quoad Subiectum, Maiori se accomodat, quae universalis et particularis esse potest, et quoad Qualitatem, in modo ponente, affirmativa, in modo tollente, negativa esse debet. Relatio, et Modalitas Maioris per se determinata est. Minor ut plurimum categorica est: potest tamen etiam hypothetica esse. Intuitu Modali, Minor nonnisi assertoria, et apodictica esse potest.

Obs. 3. Conclusio, non aliam habere potest Quantitatem, quam habet Minor, cum de eodem Subiecto enunciat. Quoad Qualitatem, in modo ponente (ponendo tollente) negativa, in modo tollente (tollendo ponente) affirmativa debet esse: proinde Qualitas eius, Qualitati Minoris, semper opposita est. Quoad Relationem, ut plurimum, categorica est, — quoad Modalitatem, apodictica.

Obs. 4. In Examinatione, dati Syllogismi disiunctivi, in primis accuratio Disiunctionis, et rectitudo Assumtionis respici debent. Prius, praecipue in Oppositione contraria, necessarium est, ubi facile fieri potest, ut membrum disiunctivum, ad Totum necessarium, desit, aut Conceptus, nonnisi diversus sit, non oppositus. — Sed rectitudo Assumtionis, in Logica diiudicari nequit: eo quod, ad materiam Syllogismi pertinet.

§. 87. Dilemma.

Si Maior Syllogismi cuiuspiam, hypothetica, disiunctivaque simul est, et in Minori, tota Disiunctio, ut membrum posterius, ideo sublatum est, ut in Conclusione Hypothesis, tamquam membrum prius, tollatur: id genus Syllogismus Dilemma vocatur. Forma Dilemmatis sequens est: Si A esset: tum aut B, aut etiam C, esse oporteret. Atqui neque B, est neque C. Ergo ne A quidem est. Regulae Dilemmatis, ex Regulis hypotheticarum, et disiunctivarum ratiocinandi formarum, sponte emergunt (§. 81.—86.).

Obs. 1. Exemplum Syllogismi hypothetico-disiunctivi, in modo omnino tollente, esto: Si homo in sui perfectibilitate, progredi, sine intermissione non posset: aut merum animal, aut Ens infinitum esset. Atqui is vi naturae suae finitae, rationalisque, neutrum horum est. Ergo, ut is, in sui perfectibilitate, sine intermissione progredi possit, necesse est. Hinc canon: A negatione totius consequentis (rationati, conditionati) ad negationem antecedentis (rationis, seu conditionis) valet consequentia.

Obs. 2. Dilemma (διλημμα, bis sumtum, seu, Cornutus, scil. syllogismus) est id genus Ratiocinium, quo adversarium, quasi cornu,

seu ariete, undiquaque pulsum, et perculsum, in angustias cogimus. Si Disiunctio bimembris est, Syllogismus sensu proprio Dilemma, seu bicornis, — sin autem Disiunctio, plura, quam duo habet membra, Polylemma, seu multicornis dicitur; et quidem, pro ratione membrorum disiunctorum, iam Trilemma, seu tricornis, iam Tetralemma seu quadricornis, iam Pentalemma seu quinquicornis appellatur.

Exemplum Trilemmatis esto: si hic Mundus non esset optimus: tum vero Deus Mundum optimum, aut ne cognosset quidem, — aut producere non potuisset, — aut ne producere quidem voluisset. Atqui intuitu Omniscientiae, Omnipotentiae, et infinitae Bonitatis, nihil horum in Deo locum habet. Ergo hic Mundus optimus est.

Exemplum Tetralemmatis esto: Si Monachatus probandus foret: tum id, ideo fieret, si is, aut Religiositati vere morali, — aut scientiis, — aut artibus, — aut statui civili re ipsa utilis esset. Atqui Monachatus, non modo, nullo horum respectuum utilis est, sed potius vi Spiritus sui, superstitiosum Pharisaismum, Ignorantiam, Defectum gustus, atque Depopulationem promovet. Ergo Monachatus nulla ratione probandus est.

Exemplum Pentalemmatis esto argumentum Stoicorum, Divinationem, teste Cicerone, ita probantium: Si sunt Dii, neque ante declarant hominibus, quae futura sunt: aut non diligunt homines; — aut quid eventurum sit, ignorant; — aut existimant, nihil interesse hominum, scire, quid futurum sit; — aut non censent esse suae Maiestatis, praesignificare hominibus, quae sunt futura; — aut ea, ne ipsi quidem Dii significare possunt. At neque non diligunt nos, sunt enim benefici; — neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta, et designata sunt; — neque nostra nihil interest, scire ea, quae eventura sunt, erimus enim cautiores, si sciemus; — neque hoc alienum ducunt Maiestate sua, nihil est enim beneficentia praestantius; — neque non possunt futura praenoscere. Sunt autem Dii: significant ergo. Est igitur Divinatio.

Obs. 3. Dilemmatica argumentandi ratio, in se, et per se, improbabilis non est: interim, non est diffitendum, facile eam, in Sophisticas artes degenerare posse culpandas. Quare, in examinatione dati Dilemmatis, in primis tria haec erunt observanda 1) num, inter prius, posteriusque Maioris membrum, Consequentia locum habeat? 2) num Disiunctio, in membro posteriori, recta sit? 3) num in Minori, omnia membra disiunctiva, iure meritoque sint sublata? Quod ut perspicere liceat, adiiciam exemplum, quod in singulas has Regulas, impingit v. c. Si Philosophia bona esset: tum ea, aut potentiam, aut divitias, aut honores in nos conferret. Atqui Philosophia nihil horum trium praestat. Ergo.

§. 88. Contingentes Syllogismorum Formae.

Genera Ratiociniorum hactenus proposita, ac constituta, Forma sua invicem, idque essentialiter distinguuntur, quoniam Maiores eorundem, tamquam Iudicia, essentialiter diverso charactere gaudent, atque a Maioribus, tamquam Regulis universalibus, vis ac potestas, seu valor Ratiociniorum pendet (§. 77.). Quare, in in-

vestigatione quoque naturae Syllogismorum, nonnisi essentialis haec, seu interna eorundem Forma fuerat consideranda. Enimvero Syllogismi, intuitu exhibitionis eorundem, diversas possunt recipere Modificationes, a quibus contingentes, seu externae illorum Formae, pendent (§ 72. Obs. 1.), quarum deinde respectu, illi, diversas denominationes sortiuntur.

§. 89. Syllogismi formales.

Syllogismi nominantur formales, si, quid quid ad Ratiocinium constituendum pertinet, eo ordine in se continent, qui naturali cogitationum cursui, inter ratiocinandum maxime accommodatus fuerit, sique proinde, contingens, seu externa Syllogismi forma, cum essentiali, internaque eiusdem forma consonat, consequenter haec, per illam quam perfectissime fuerit expressa. Tum ii ordinarii, pleni, perfecti, manifestique vocantur Syllogismi, quoniam hac ratione facillime, qua Syllogismi cognosci possuut. Cum ergo hactenus essentialis, internaque Syllogismorum Forma, fuit investigata, Syllogismi in sua quique Formalitate erunt considerandi, si quidem Forma illa, hac ratione, quam maxime perspicue, et determinate poterat cognosci.

§. 90. Syllogismi Non-formales.

Sed Syllogismi, ita quoque comparati esse possunt, ut ii, essentialem, internamque suam ratiocinandi formam, nonnisi imperfecte exprimant: tum ii, Non-formales appellantur. Quae Non-formalitas, aut in eo consistere potest, quod ii, non omne id in se continent, quod ad Syllogismum pertineret, quem ad casum minus plena, decurtata, seu cryptica Ratiocinia vocantur: aut in eo, quod ii, in positione, situque Enunciationum, et conceptuum, ab ordine illo, qui naturali cogitationum cursui maxime respondet, declinant, et tum extraordinaria, perversa, impura, seu, mixta Ratiocinia nominantur.

§. 91. Contractio, et Decurtatio Syllogismorum.

Syllogismi minus pleni, seu abbreviati, vicissim duplicis sunt generis, si quidem, Abbreviatio, aut in Contractione, aut in Decurtatione, potest consistere.

§. 92. Syllogismus Contractus.

Syllogismus contractus, est id genus Ratiocinium, in quo, Conclusioni, ratio valoris eius, nonnisi breviter adiungitur, idque, aut praeponendo, aut appendicis instar, adiiciendo, meditationique alterius relinquitur, ut Praemissas, inde ipse expediat.

Obs. Si quis dicat: Iustitia est laudabilis: est enim virtus; — aut: Quoniam Iustitia est virtus: laudabilis est (caussalis, conditionalisque particula, non efficit Iudicium hypotheticum) nonnisi medium terminum proposuit, Auditori, aut Lectori relicto, ut eum, cum maiori, et minori termino, coniungendo, Prae-

missas detegat, tali fere ratione: Omnes virtutes sunt laudabiles. Atqui Iustitia est virtus. Ergo Iustitia est laudabilis.

§. 93. Syllogismus decurtatus.

Syllogismus Decurtatus, est id genus Ratiocinium, in quo, nonnisi una Praemissarum proponitur, atque Enthymema vocatur, quia aliquid, quasi in animo (*εν Θυμω, εν Θυμεισθαι* cogitare) reservat. Quia vero tali ratione, aut Maior, aut Minor potest reticeri: hoc titulo, Enthymemata, vicissim duplicis sunt generis, scilicet Enthymema primi, et secundi ordinis.

Obs. 1. Exemplum Enthymematis primi ordinis, seu omissae Maioris esto: Caius est sceleratus. Ergo puniendus. Exemplum secundi ordinis esto: Quilibet sceleratus est puniendus. Ergo Caius est puniendus. Sunt qui hoc, Saltum in concludendo dicant: sed falso. Nam Saltus, in vitio ponitur, Enthymema vero legitima concludendi ratio videtur. Interim, in Enthymemate primi ordinis, defectus habet locum, non Saltus; in Enthymemate autem secundi ordinis, reticens transitio tantum obtinet.

Obs. 2. Prisci Rhetores, vocem Enthymematis, diverso in significatu sumserunt, quod a Quinctiliano in Institutionibus notatum.

§. 94. Syllogismi immediati.

Ad Enthymemata pertinent, omnes omnino Syllogismi, immediata, seu Ratiocinia Intellectus dicti. In omnibus enim his Syllogismis, si modo pro legitimis haberi debeant, Maior, in qua conditio valoris eius continetur, cogitatione adiicienda est. Id genus Syllogismi Enthymemata primi ordinis appellantur.

Obs. 1. Quandoquidem, ad quodlibet Ratiocinium, tres Enunciationes sunt necessariae, quarum una, transitum duntaxat a prima, ad tertiam instruit: intelligitur, nulla esse Ratiocinia Intellectus, sed ea, quae pro talibus habentur, si, omissa propositio suppleatur, ad functiones Rationis pertinebunt. Ea nos ad quatuor classes putamus reducenda. Scilicet

a) Ratiocinia Pariationis, Aequipollentiae, seu, Conclusiones ad aequipollentem.

b) Ratiocinia Subalternationis, seu Conclusiones, ad subalternam (Propositionem).

c) Ratiocinia Oppositionis, seu Conclusiones, ad oppositam.

d) Ratiocinia Conversionis, seu Conclusiones, ad conversam.

Obs. 2. Recentiores Logici, iam quatuor, iam quinque numerant Ratiociniorum Intellectus species. Enimvero, ut infra demonstrabitur, plura quoque immediati Syllogismi, dantur genera; si modo variae illae Species, secundum quas Iudicia, intuitu tantum Formae differentia, a se invicem derivantur, enumerandae videantur.

§. 95. Syllogismi Pariationis, seu Aequipollentiae.

Syllogismi Aequipollentes sunt, in quibus Veritas, aut Falsitas Enunciationis unius, ex alia, quae verbis solum ab hac diversa est, elicitur. Huius generis Enunciationes scil. quia in Re-

latione Pariationis, inter se sunt positae, invicem possunt, substitui (§. 62. Obs.).

Obs. v. c. Nihil est quod Deus efficere non possit. Ergo est omnipotens. Caius est Titii pater. E. Titius est filius Caii. Ut autem hic, Consequentia (Ergo) procedat, Identitas in antecessum sumenda est, in Relatione rationis, ad consequentiam. Unde sequitur, data exempla esse Enthymemata hypothetica primi ordinis, quae ita se habent: Si Deus nihil non efficere potest: Omnipotens est. At verum prius. E. et posterius. — Si Caius Titii pater est: Titius Caii Filius esse debet. At verum prius. E. et posterius. Consequenter Syllogismi Aequipollentiae, nonnisi cryptica, et mediata sunt Ratiocinia. Quia vero in Syllogismis Aequipollentibus Iudicia, solum verbis differunt; in iis, a veritate unius, ad veritatem alterius, et a falsitate unius, ad falsitatem alterius, potest concludi.

§. 96. Syllogismi Subalternationis.

Syllogismi Subalternationis sunt, in quibus, ex Relatione Enunciationis particularis, ad universalem, sub qua illa comprehensa est, concluditur. Huius generis Enunciationes scilicet, quia in Relatione Subordinationis sunt positae, sola Quantitate invicem discernuntur (§. 63. Obs.). Quare, non minus a veritate universalis, ad veritatem particularis, quam a falsitate particularis, ad falsitatem universalis, concludere licet, sed tamen in neutro casu, vice versa.

Obs. Exemplum Syllogismi, per Iudicia subalternata esto: Omnes Virtutes sunt laudabiles. Ergo etiam quaedam. — Item: Omnes Scientiae, ad perpoliendos animos sunt comparatae. Ergo etiam quaedam. — Et quia hic in Maiori, Enunciatio hypothetica tacite sumitur; patet hos Syllogismos, esse crypticos mediatos, h. e. Enthymemata hypothetica.

§. 97. Syllogismi Oppositionis.

Syllogismi Oppositionis sunt, in quibus, ex Relatione talium Enunciationum mutua, quae reciproce ponunt, et tollunt, concluditur. Enuntiationes huius generis, in Relatione Oppositionis positae sunt, et Qualitate invicem discernuntur (§. 64. Obs.). Quandoquidem autem Oppositio, aut directa, seu contradictoria, aut indirecta, seu contraria esse potest: intelligitur, quod, cum vi utriusque huius Relationis, legitimae consequentiae possint elici, Syllogismi quoque Oppositionis, duplicis generis dari oporteat, scil. Syllogismos Contradictionis, et Contrarietatis.

Obs. 1. Cum per Iudicia contradictorie opposita, aut a veritate unius, ad falsitatem alterius; aut a falsitate unius, ad veritatem alterius concludere liceat: patet, totam concludendi rationem esse hypotheticam. v. c. Si verum est omnes homines, vi naturae suae rationalis, ut personas esse tractandas: ergo falsum est, quosdam homines, ut res meras tractari licere. Atqui. — Ergo.

Obs. 2. Cum per Iudicia contrarie opposita, nonnisi una ratione potest concludi, scil. a veritate unius, ad falsitatem alterius: intelligitur, hic quoque, totam concludendi rationem, esse hypotheticam v.

c. Si verum est omnes homines Entia esse organica: Ergo falsum es, nullum hominem esse Ens organicum.

Obs. 3. Tertiam quoque classem Syllogismorum Oppositionis, memorant adhuc Logici, Ratiocinia scil. per Iudicia subcontraria. Sed quia Enunciationes subcontrariae, non sunt verae Oppositiones: sequitur, Syllogismos quoque hos, esse tantum per Iudicia iuxta posita (§. 64. Obs. 4.) adeoque nullius pretii.

§. 98. Syllogismi Conversionis.

Syllogismi Conversionis sunt, in quibus, ex Relatione talium Enunciationum, ad se invicem concluditur, quarum elementa, ad Materiam Iudicii essentialiter pertinentia, loca sua logice (non mere grammatice) permutarunt. Enunciationes huius generis, in Relatione Conversionis inter se positae sunt, atque Relatione elementorum suorum mutua inter se discernuntur (§. 65. Obs.). Quandoquidem autem Conversio, aut immutata, seu pura, aut mutata est: tum, in quantum, utroque Conversionis genere, legitimae Consecutiones possunt inferri, Syllogismorum Conversionis, duo sunt genera, scil. Syllogismi simplicis Conversionis, et Syllogismi Conversionis per accidens. Et cum Immutatio ipsa, vicissim duplicis generis est, pro eo ac illa, aut Quantitatem, aut Qualitatem Iudicii attingit: patet Syllogismos Conversionis immutatos, tam quantitativos, quam etiam qualitativos esse posse.

Obs. 1. Quia Forma omnis Conversionis est A = B. B = A: intelligitur, ut per Iudicia conversa rationari liceat, non satis esse, Iudicia convertisse, verum, ad Conversionem adhuc requiri, ut ea in Forma Rationis et Consecutionis quoque, coniungantur, sic v. c. A=B. Ergo B=A. Unde liquet, omnes Syllogismos conversionis, esse hypothetica Enthymemata primi ordinis, et quidem in modo ponenti: Atqui verum prius. Ergo et posterius v. c. Omnia Animalia sunt entia organica: ergo quaedam entia organica, sunt animalia: — in Forma hypothetica erit: Si omnia animalia sunt entia organica: sequitur, ut quaedam entia organica, sint animalia. Atqui. Ergo.

Obs. 2. Intuitu Iudiciorum Categoricorum, tres sunt casus Syllogismorum Conversionis, recte instituendorum, scil.

a) Per Iudicia simpliciter conversa, nonnisi universaliter negantibus, et particulariter affirmantibus Iudiciis, potest concludi.

b) Per Iudicia per accidens conversa, nonnisi universaliter affirmantibus Iudiciis licet concludere.

c) Per Iudicia contraponendo conversa, seu contraposita, nonnisi universaliter affirmantibus, et particulariter negantibus Iudiciis, concludendum est.

Obs. 3. In Syllogismis quoque Conversionis Iudiciorum hypotheticorum et disiunctivorum: ante omnia semper Iudicium conversum, et convertendum debent inter se in Relatione Rationis ad Consequentiam cogitari, proinde utraque per, si, et ergo coniungi. Consequenter etiam in hypotheticis, et disiunctivis Conversionis Syllogismis, Maior hypothetica est omissa h. e. ii, pariter sunt Enthymemata hypothetica primi ordinis.

§. 99. Syllogismi Modalitatis.

Immutatione quoque Modalitatis Iudiciorum, id genus Syllogismi possunt informari, qui immediati videntur esse; cum scil. unum Iudicium, ex altero, ita deducitur, ut intuitu Materiae, ambo quidem ii sint identici, intuitu autem Formae, diversi. Syllogismi huius generis, Ratiocinia Modalitatis possunt appellari. Sed omnes, ac singuli Modalitatis Syllogismi, quemadmodum etiam quaelibet, ita dicta Ratiocinia immediata, pariter Enthymemata hypothetica, primi ordinis esse censenda sunt, si quidem, Enunciationem quandam hypotheticam, ut primam Praemissam praesupponunt.

Obs. Cum quid in cogitando, ut necessarium ponimus: id quoque simul, ut actuale cogitamus, et si quid, ut actuale ponimus, possibile quoque idem simul esse cogitamus. Proinde, id quod necessarium est, semper etiam ut possibile cogitamus. Quare, a veritate Iudicii apodictici, ad veritatem Iudicii, ex iisdem materialibus elementis constantis assertorii, — non secus, a veritate Iudicii apodictici, et assertorii, ad veritatem problematici, eiusdem Materiae, iure concludimus. Atque, hinc demum natae sunt Regulae, Syllogismorum Modalitatis universales, sequentes: Ab oportere ad esse, — ab esse ad posse, — ab oportere ad posse valet Consequentia. Item: A posse ad esse, — ab esse ad oportere, — a posse ad oportere non valet Consequentia. Tum: a non oportere ad non esse, — et sic porro, omnia, quae nunc statim dicta sunt, tollendo.

§. 100. Systema Syllogismorum immediatorum.

Cum omnes Syllogismi immediati, sic dicti, in eo inter se conveniunt, quod Iudicia illa, ex quibus ii constant, aut plane non h. e. nec in Materia, nec in Forma, aut in Forma tantum diversi sint: intelligitur omnes illos ac singulos, Ratiocinia Aequipollentiae sensu latiori appellari posse, Systematiceque sequentem in modum exhiberi:

I. Ratiocinia Aequipollentiae absoluta, seu sensu strictiori (κατ' ἐξοχην) in quibus scil. Iudicia praeter verba, quibus exprimuntur, nihil differunt.

II. Ratiocinia Aequiqollentiae relativa, in quibus Iudicia nonnisi intuitu Formae inter se differunt, et quidem:
1) Intuitu Quantitatis per Iudicia subalterna
2) Intuitu Qualitatis per Iudicia opposita
3) Intuitu Relationis per Iudicia conversa
4) Intuitu Modalitatis per Iudicia modaliter immutata.

Obs. In priori horum Syllogismorum Classe, sola Expressionis Differentia locum habet: in posteriori autem Classe, Differentia Formae occurrit, cum priori differentia non confundenda. Simulac enim Expressio Q q R M. mutatur: Differentia Formam concernit.

§. 101. Syllogismi extraordinarii.

Altera Syllogismorum Non — formalium Classis, extraordinaria, seu perversa (§. 90.) in se continet Ratiocinia. Quandoquidem autem Ratiocinia haec, a positu Enunciationum, et Conceptuum, ad Syllogismum pertinentium maxime naturali, seu essentiae Syllo-

gismi logicae accommodato discedunt: in primis necessarium est, ipsum hunc positum iterato considerare, initiumque a categorica Syllogismi Forma capere, cum ipsi Logici, in Expositione extraordinariarum, seu perversarum ratiocinandi Formarum, universe, nonnisi ad fundamentalem hanc Formam, reflectendum putarint.

§. 102. Ordinaria Syllogismi categorici Forma.

Positus Enunciationum, Conceptuumque ad Categoricum Syllogismum pertinentium, maxime naturalis, in eo consistit, ut Regula universalis, et Assumtio, tamquam Praemissae, illa quidem ut prior, haec, ut posterior Praemissa compareant, Medius autem terminus, in his Enunciationibus, primum quidem ut Subiectum, cum termino maiore, qua Praedicato, tum vero ut Praedicatum, cum termino minore, qua Subiecto comparetur. Quod si Subiectum Conclusionis litera S, Praedicatum eiusdem litera P, Medium terminum autem litera M. designare liceat: Schema ordinariae categoricaeque Syllogismi Formae tali ratione videbitur exhibendum.

Praemissae.	Maior.	M—P.
	Minor.	S—M.
Conclusio.		S—P.

§. 103. Mutabilitas Formae ordinariae Syllogismorum.

Quandoquidem Mens humana, intuitu minus essentialis, et contingentis Coniunctionis cogitationum, certam quandam, ut ut, observata omni legalitate, libertatem tuetur ac exercet: fieri non potuit, quin naturalem illum Enunciationum, ac Conceptuum positum demutaret. Atque ex mutato hoc positu, id genus Formae Syllogismorum categoricae emergunt, quae, quamquam minime naturae repugnantes, ac irregulares sunt: attamen extraordinariae videntur esse nuncupandae.

§. 104. Quatuor usitatae Syllogismorum Formae.

Ad extraordinarias Syllogismorum, Formas categoricas pertinent, scil. Syllogismi, partim ii, in quibus solae Enunciationes transponuntur (Thesis) — partim ii, in quibus, soli Conceptus in Enunciationibus transponuntur (Antithesis) — partim ii, in quibus, et Enunciationes, et Conceptus transponuntur (Synthesis). Logici autem, nonnisi secundam Formarum Syllogismorum extraordinariarum Speciem (antitheticam) in qua positus termini medii, in Praemissis potissimum agebatur, peculiariter considerandam putarunt. Quandoquidem autem, terminus medius, in extraordinariis Syllogismorum Formis, aut ut Praedicatum his, (Thesis) aut

ut Subiectum bis, (Antithesis), aut ut in Maiori quidem Praedicatum, in minori vero Subiectum (Synthesis) apparere potest: extraordinarias has Formas, in Coniunctione cum ordinaria, in qua medius terminus in Maiore, ut Subiectum, in Minore, ut Praedicatum comparet, quatuor Syllogismorum figuras appellarunt. Schema earum tale est:

Praemissae.					
	Maior.	(M—P)	P—M	M—P	P—M
	Minor.	(S—M)	S—M	M—S	M—S
Conclusio.		(S—P)	S—P	S—P	S—P
		(1)	2	3	4

Obs. 1. Enunciationes in Syllogismo, triplici ratione possunt transponi, aut scil. ita, ut Praemissae inter se permutentur, Conclusione legitime secuta, — aut, ut Conclusio antecedat, et Praemissae eam excipiant, — aut, ut Conclusio Praemissis interponatur.

Obs. 2. Pariter Medius quoque terminus, triplici modo potest in Praemissis transponi v. c. aut ita, ut Medius terminus, et in Maiore, et in minore, Praedicati locum occupet, — aut ita, ut, et in Maiore, et in Minore, Subiecti locum occupet, — aut ita, ut Medius terminus in Maiore locum Praedicati, in Minore autem locum Subiecti occupet. Illam secundam, isthanc tertiam, hanc quartam Figuram appellant. Nam, ordinaria concludendi ratio, quam primam Figuram vulgus vocat, haud quaquam Figura esse potest.

Obs. 3. Extraordinariae concludendi Formae categoricae, in quibus, et ordo Enunciationum, et Conceptus simul permutantur, novies possunt permutari: — sed de quibus, vivae vocis ministerio, in Lectionibus dicendum erit.

§. 105. Septem Figurae syllogisticae.

Si immutatas illas, seu, extraordinarias categoricas concludendi rationes (Figuras vocant), quae ex transpositione Conclusionis cum Praemissis oriuntur, tamquam res minoris momenti transilimus, proinde ad declinationes a Forma ordinaria, in Praemissis possibiles reflectimus: Septem Figuras offendemus, quarum Schema tale est:

Figura.		I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.
Praemissae	Mai.	S.M.	P.M.	M.P.	P.M.	S.M.	M.S.	M.S.
	Min.	M.P.	S.M.	M.S.	M.S,	P.M.	M.P.	P.M.
Conclusio.		. .	. .	. .	S.P.	. .	. .	. .

Obs. 1. Figura secunda, tertia, quarta, cum antiquis, sic numeratis Figuris coincidunt: in locum autem antiquae primae Figurae, — (ea enim, quippe ordinaria concludendi ratio, haud quaquam Figura dicenda est) — quae Figura hic posita est, eam novam Primam liceat appellare.

Obs. 2. Syllogismi, ordinariae Categoricae concludendi Formae congruenter informati, Syllogismi puri, qui autem extraordinariae Formae convenienter construuntur, impuri, seu Hybridae (Substant.) nominantur. — Ratiocinia, in quibus logica Figura occurrit, Syllogismi extraordinarii seu figurati nuncupantur.

§. 106. Reductio Syllogismorum.

Syllogismum extraordinarium, in ordinarium, quin valor eius, quoad essentiam, demutetur, transmutare, tantundem est, atque illum reducere. Quae Reductio eo valet, ut Syllogismus, eius adiumento, examinationi queat subiici, cum veritas cogitationum, facilius perspicitur, si hae ordine maxime naturali, animo offerantur. Ut autem Regulas Reductionis liceat invenire, natura solum Syllogismorum erit, in qualibet Figura accurate perlustranda, eaque, cum Natura ordinariae Ratiociniorum Formae (prima Figura antiqua) comparanda.

§. 107. Modi Primae Figurae antiquae.

In Prima Figura antiqua, Quantitas Maioris determinata est: nam ea debet esse universalis; Qualitas autem est indeterminata: potest enim, et affirmativa, et negativa esse: contra Quantitas Minoris indeterminata est, si quidem ea, et universalis, et particularis esse potest; Qualitas autem est determinata, debet enim esse affirmativa. (§. 80. Obs. 2.) Quandoquidem autem conclusio, intuitu Quantitatis Minori, intuitu autem Qualitatis Maiori semet accomodare debet: intelligitur Conclusionem, tam Universalem, quam particularem tam affirmativam, quam etiam negativam esse posse (§. 80. Obs. 3.). Quia vero proprietas Syllogismi, intuitu Quantitatis et Qualitatis suarum Enunciationum Modus vocatur: patet in Syllogismis Primae Figurae antiquae, quoslibet Modos, seu, quamlibet Quantitatis, et Qualitatis Conclusionis speciem, locum habere. Ii, vocibus his solent, exemplo priscorum Scholasticorum, designari: Barbara, Celarent, Darii, Ferio.

Obs. Cum, ut supra visum, Quantitas, et Qualitas Enunciationum, Vocalibus A. E. I. O. a Logicis sit designata: patet Conclusionem, in Prima antiqua Figura, aut universaliter affirmantem = A, aut universaliter negantem = E, aut particulariter affirmantem = I, aut particulariter negantem = O, esse posse. Sumtis ergo his Conclusionibus; si, quae esse possunt, Maioris et Minoris Species detegantur: quatuor hi modi emergent, puta:

Maior.	A.	E.	A.	E.	aut:	M.m.C.	M.m.C.	M.m.C.	M.m.C.
Minor.	A.	A.	I.	I.		AAA.	EAE.	AII.	EIO.
Conclusio.	A.	E.	I.	O.					

quibus respondent termini Logicorum technici: barbara, celarent, darii, ferio, in quibus, solae initiales literae, et vocales, certum ac determinatum habent significatum. Distinguentur autem in Syllabas, certo consilio (ut infra videbitur) sic: barb—ar—a — cel—ar—ent — dar—i—i — fer—i—o. Exempla sunto sequentia:

Barbara: Omne compositum est divisibile. Atqui omnia corpora sunt composita. Ergo omnia corpora sunt divisibilia. — Celarent: Nemo homo est omniscius. Atqui omnes Eruditi sunt homines. Ergo nemo Eruditus est omniscius. — Darii: Omnes avari sunt aspernandi. Atqui quidam divites sunt avari. Ergo quidam Divites sunt aspernandi. — Ferio: Nullus iactator est suspiciendus. Atqui quidam Heroës sunt iactatores. Ergo quidam Heroës suspiciendi non sunt.

§. 108. Modi, et Reductio primae novae Figurae.

Cum prima nova Figura (§. 105.) in sola Metathesi, seu Transpositione Praemissarum primae antiquae Figurae inest: facile ad eam reducitur, cum totidem modos habeat, quamvis ob transpositionem, variamque primae et secundae Enunciationis Quantitatem, et Qualitatem, immutatam debeat habere designationem.

Obs. Modi primae novae Figurae sunt hi:

Mai.	A.	A.	I.	I.	aut:	M.m.C.	M.m.C.	M.m.C.	M.m.C.
Min.	A.	E.	A.	E		AAA.	AEE.	IAI.	IEO.
Concl.	A.	E.	I.	O.					

Termini technici, quibus Modi primae novae Figurae exprimuntur, sunt hi: Bar—am—a — Cal—em—e — Dir—am—i — Fir—em—o. Esto nunc Syllogismus in modo Firemo: Quaedam Virtutes, nonnisi praetensive tales, in scelere versantur. Atqui nullum scelus est laudandum. Ergo sunt quaedam Virtutes, quas dicunt, quae laudandae non videantur. Reducitur ad Modum primae antiquae Figurae Ferio sic: Nullum scelus est laudandum. Atqui quaedam Virtutes nonnisi praetensivae tales in scelere versantur. Ergo sunt quaedam Virtutes, quas dicunt, quae non videantur laudandae.

§. 109. Modi, et Reductiones reliquarum Figurarum.

Quandoquidem in omnibus sequentibus Figuris, 2—7. (§. 105.)

aut sola Conceptuum Transpositio, aut simul ipsarum Praemissarum quoque cum iis transpositio, locum habet: Reductio harum Figurarum, ad primam antiquam, non aliter fieri potest, quam Transpositionum illarum sublatione. Ut autem Transpositio Conceptuum tollatur: Enunciationes illae sunt convertendae, in quibus Conceptus sunt transpositi. Cum vero tres sunt conversionis modi (§. 65.), providendum est, quis conversionis modus, in quolibet casu locum habere debeat, si modo Enunciationem veram, et Conclusionem rectam esse oporteat. Quae occupatio, ut facilior reddatur, Modi secundae, tertiae, et quartae Figurae, talibus Terminis technicis characteristicis designatae sunt, in quibus Consonantes S. P et C (in medio) tres Conversionis species cardinales, in quantum una, aut alia, in certo quodam Modo, ad Reductionem necessaria fuerit, simul indicent. Hi termini technici sunt sequentes:

Pro 2. Fig. Ces—ar—e (cam—estr—es), fest—in—o, bar—oc—o.

Pro 3. Fig. dar—apt—i, fel—apt—on, (dis—am—is,) dat-is—i, boc—ard—o, fer—is—on.

Pro 4. Fig. fres—is—on, fes, ap—o, (cal—ent—es,) dib—at—is, bar—al—ip.

Modi, parenthesi inclusi ad quintam, sextam, septimam et ad novam primam Figuram pertinent, eo quod in iis transpositio Praemissarum occurrit.

Obs. 1. Si Vocales A. E. I. O. quibus Quantitates, et Qualitates Enunciationum designantur, binae inter se consocientur, 16 Modi existent, qui, pro ratione quatuor Figurarum, quater sumti 64 Syllogismorum Modos exhibebunt. Ex his Logici 19 assumserunt, qui tamen, cum plures inter illos identici sint, accurate, et proprie sumti, 10 nonnisi Modos continent.

Intuitu Reductionis notandum est, Terminos hos technicos, qui Modos designant, praeter Vocales, quae ipsum Modum immediate indicant, et praeter literas initiales, quae Modum illum primae antiquae Figurae (Baroco ad Barbara) commonstrant, in quem opporteat Syllogismum reliquarum Figurarum, in Reductione transformare, ipsas quoque, pone Vocales positas Consonantes S. P. M. et C. peculiarem habere vim et significationem, quae pro more Seculorum illorum mechanicorum, in quibus talia generare Monstra in voluptate fuit, in gratiam Bucconum, miserabilibus his, et pudendis versiculis comprehensa est:

S vult simpliciter verti P vero per accid — (ens).
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

h. e. S. significat Enunciationem illam, pone cuius Vocalem characteristicam, illud positum est, simpliciter, proinde absque ulla mutatione, — P. autem innuit, Enunciationem mutata Quantitate, seu per accidens, esse convertendam; — M. significat necessitatem Metatheseos, seu Transpositionis illius Enunciationis, pone cuius vocalem characteristicam, illud positum reperitur, proinde, excepta nova prima Figura, in iis Modis occurrit, quae Figuris Syntheticis accensentur. Denique C.

significat, in vicem Praemissae illius, pone cuius vocalem characteristicam illud collocatum est, Contradictorium Conclusionis, eiusque loco, Contradictorium Praemissae illius esse sumendum. Et quia quatuor hae literae S. P. M. C. ad praecedentem vocalem referuntur: intelligitur, cur termini technici hac ratione in Syllabas fuerint dissecti: cesar-e, fres-is-on.

Esto Syllogismus Figurae secundae in modo Cesare talis: Nullum Ens finitum est omnipotens. Deus est omnipotens. Ergo Deus non est Ens finitum. Reducitur ad primam antiquam (vel potius ordinariam concludendi rationem) Figuram, et in specie eius Modum Celarent sic: Nullum Ens omnipotens est finitum. Atqui Deus est omnipotens. Ergo

Esto Syllogismus Figurae tertiae in Modo Darapti talis: Omnia animalia, sibi similia generant. Omnia animalia sunt mobilia. Ergo quaedam mobilia, sibi similia generant. Reducitur ad Modum Darii sic: Omnia animalia sibi similia generant. Atqui quaedam mobilia sunt animalia. Ergo res quaedam mobiles, sibi similes generant.

Esto Syllogismus Figurae quartae, in Modo Fresison talis: Nullum Ens rationale est machina. Atqui quaedam machinae, per se sunt mobiles (Automata). Ergo quaedam Automata non sunt Entia rationalia. Reducitur ad modum Ferio sic: Nulla machina est ens rationale. Atqui quaedam Automata sunt machinae. Ergo quaedam Automata non sunt Entia rationalia.

Obs. 2. Omnes ac singulae Reductionis Regulae, summatim, hac Regula universali possunt comprehendi: Quilibet Syllogismus extraordinarius, ad Formam ordinariam reducitur, aut mera transpositione, aut mera Conversione, aut Transpositione et Conversione Enuntiationum simul, pro eo scil. ac, aut solae Enunciationes, aut soli Conceptus, aut ambo simul sunt transpositi.

Totum Reductionis Syllogismorum Figuratorum mysterium itaque, in eo consistit, ut ordinaria concludendi forma, accurate cognoscatur, — ut in quovis Syllogismo dato, Termini: medius, maior, et minor, diligenter distinguantur, — denique Regulae conversionis adeo perspectae sint, ut determinari queat, utrum in hac operatione, Quantitas, et Qualitas Iudiciorum, immutari debeat an non?

§. 110. Reductio Syllogismorum hypothicorum et disiunctivorum.

In Syllogismis hypotheticis, et disiunctivis, mutua Elementorum Ratiocinii relatio, Formâ horum Syllogismorum, tam accurate est determinata, ut Transpositio Conceptuum, vi cuius Forma ordinaria, in extraordinariam permutaretur, in iis locum habere nequeat. Nonnisi Transpositione Enunciationum potest ergo Forma illa immutari: quae tamen immutatio, in se, et per se considerata, non ita momentosa est, ut ob eam solam, peculiares hypotheticas, et disiunctivas Syllogismi Figuras, adoptare, posset videri necessarium.

Obs. In Syllogismo hypothetico, Maior contraponi potest, et in Modo ponente, et tollente, licebit ratiocinari. Enimvero hac immutatione, Forma eadem, quae fuit, mansit, sed valor Syllogismi, plane demutatus est, si quidem eo, ad oppositum deducimur Resultatum.

Pariter in Syllogismo disiunctivo, Maior converti potest. Enimvero, cum hac ratione Iudicium disiunctivum, in categoricum transformatum est: disiunctiva quoque Syllogismi Forma, penitus exstincta est.

§. 111. Monosyllogismus. Polysyllogismus.

Si unicus duntaxat Syllogismus, tamquam consummata cogitationum series, proponitur: is Syllogismus simplex, seu Monosyllogismus vocatur; sin autem plures, et quidem in Forma rationum et consequentiarum cohaerentes Syllogismi, inter se coniunguntur: tum vero Syllogismus compositus seu Polysyllogismus exoritur. Id genus Syllogismus, aut ita potest esse compositus, ut qui sequitur Syllogismus, rationem antecedentis in se habeat; aut vero ita, ut antecedens rationem sequentis, in se comprehendat. In casu priori Analytice, seu regressive, in posteriori Synthetice, seu progressive, concludimus. Syllogismus in serie, quo alter velut Fundamento nititur Prosyllogismus: is autem, qui, alii velut fundamento innititur Episyllogismus apellatur. Quaelibet itaque Syllogismorum series, ex Prosyllogismis, et Episyllogismis simul constet, necesse est: ea tamen Prosyllogistica vocatur Series, si sequens, qui instat, Syllogismus, Prosyllogismus est: contra Episyllogistica dicitur, si Ratiocinium sequens, Episyllogismus praecedentium fuerit. Proinde, quaelibet analytica seu regressiva Syllogismorum series, prosyllogistica est: contra syntheticam seu progressivam seriem, episyllogisticam esse oportet.

Obs. 1. Prosyllogismum non Coordinatio, sed Subordinatio Syllogismorum efficit. Id fit duplici ratione. Potest scil. una, aut altera Praemissa, pro Consequentia, seu pro Conclusione dati Syllogismi, respici, ad quam, aliunde mox Praemissa erit querenda. Tum vero Syllogismus prior, per secundum constituitur, seu fundatur, atque hic est, qui Prosyllogismus vocatur. v. c. Huius Syllogismi

Maior.	A = B
Minor.	C = A
Concl.	C = B

Syllogismus hic:

Maior.	D = B
Minor.	A = D
Concl.	A = B

Prosyllogismus est, quia Praemissa illius A = B, Conclusio huius est: proinde prior ille Syllogismus, vim, roburque suum, ab hoc consequitur. Quare, cum ad solitam illam provocationem: Proba Maiorem — — Proba Minorem Syllogismus sequitur, hic illius Prosyllogismus est, licet, quoad Tempus, hic illum excipiat, qui in cogitationibus prior est dignitate.

Sed vice versa, Conclusio quoque dati Syllogismi, pro ratione, proinde pro Praemissa illa respici potest, a qua, alia Conclusio deducitur. Tum vero Syllogismus alter, per priorem constituitur, seu fundatur, atque ille est, qui Episyllogismus dicitur v. c. Si ab hoc Syllogismo

Maior.	D = B
Minor.	A = D
Concl.	A = B

Sic porro procedo:

Maior.	A = B
Minor.	C = A
Concl.	C = B

tum vero hic Syllogismus, prioris illius Episyllogismus est habendus, quotiescunque ergo ad quaestionem: Quid inde sequitur Syllogismus sequitur, hic semper Episyllogismus est, cum non tantum ratione temporis, sed etiam ratione valoris, consequentia illius esse videtur. Unde id quoque hic simul perspicitur, nullum Prosyllogismum, sine Episyllogismo, et vice versa, esse posse, cum reciproce ad se invicem referantur (Correlatio). Consequenter, illa concludendi ratio, ubi Syllogismi per se invicem non constituuntur, Orbis in concludendo, vulgo, Circulus vocatur.

Obs. 2. Cum Seriem cogitationum, a Prosyllogismo auspicamur, ut sequens Ratiocinium, Episyllogismus sit: tum vero, Conditionatum Conditioni suae alligamus, contra, si ab Episyllogismo, ad Prosyllogismum recedimus: Conditionatum, in suas Conditiones resolvimus.

Obs. 3. Non tantum Syllogismi categorici, sed etiam categorici, et hypothetici simul, componi possunt. Sed Syllogismi disiunctivi, nisi circuli vitium incurras, componi non possunt.

§. 112. Syllogismi manifeste et occulte compositi.

Compositio Syllogismorum aut manifesta est, aut occulta. Syllogismi occulte compositi Epicheremata; manifeste compositi Sorites seu Concatenati Syllogismi nominantur.

§. 113. Epicherema.

Epicherema (επιχερημα argumentatio) est id genus Syllogismus, qui, cum alio ita coniunctus est, ut hic, nonnisi, ut Enunciatio adiuncta, in Praemissis illius compareat, proinde nihil aliud sit, quam Syllogismus cum alio sed abreviato, suffultus.

Obs. Recentiores, nomine Epicherematis, Syllogismum intelligunt, cuius Maiori, aut Minori, in adiecta Enunciatione, ratio quoque adiungitur, cur illa, pro vera haberi debeat. v. c. Quicunque diligens est, aestimatione videtur esse dignus, eo quod officio suo strenue fungitur. Atqui Caius est diligens. Ergo dignus quoque aestimatione videtur. Id vero facile perspicitur, compositionem Syllogismorum occultam, hic locum habere, cum Prosyllogismus, ad Syllogismum pertinens, nonnisi strictim indicatur. Prosyllogismus scil. fundamenti loco positus, ita se habet: Qui suo officio strenue fungitur, aestimatione dignus est. Atqui Diligens, officio suo strenue fungitur. Ergo Diligens aestimatione videtur esse dignus.

Exemplum Epicherematis hypothetici esto: Si Deus iustus est: profecto sceleratus punietur. Atqui Deus est iustus, est enim ens perfectissimum. Ergo sceleratum punitum iri dubitari nequit.

Exemplum Epicherematis disiunctivi esto: Caius aut honestus vir est, aut fraudator. Atqui honestus esse vir dici nequit, nam ex Scidarum lusu victitat. Ergo Caius fraudator sit necesse est.

§. 114. Sorites.

Si plures Syllogismi, enthymematice inter se ita coniunguntur, ut communem omnes obtineant Conclusionem, existit Sorites seu Syllogismus concatenatus. Quemadmodum vero Enthymemata (§. 93.), ita Sorites quoque, in primi et secundi ordinis Sorites distribuuntur, pro eo ac, aut Maiores (prima excepta, qua initium capit) aut Minores (prima excepta, quae incipit) omittuntur. In casu priori Sorites progressivus, inversus, seu Gochlenianus (a Gochlenio Scholastico, qui in Aristotelem commentatus est, ita dictus); in casu autem posteriori, regressivus, ordinarius, vulgaris, seu communis appellatur. Utrique, tam categorici, quam hypothetici esse possunt. Sorites disiunctivi nulli sunt. Ceterum, quomodocunque sit Sorites comparatus: tamen cum is, in completos Syllogismos resolvitur: semper episyllogistica quaedam Syllogismorum series inde nascatur, necesse est, hoc est talis, in qua Syllogismus sequens, nunquam non Conclusionem praecedentis, in Praemissam habet, ita quidem, ut ultimus in serie, Episyllogismus omnium reliquorum sit.

Obs. 1. Sorites (σωρος acervus), seu Syllogismus acervalis, si categoricus est, duplici hoc Schemate poterit exhiberi.

Sorites primi ordinis.
E = F
D = E
C = D
B = C
A = B
A = F

Sorites secundi ordinis.
A = B
B = C
C = D
D = E
E = F
A = F

Quomodo concatenata haec Syllogismorum series, in ordinarios categoricos Syllogismos resolvatur, duplex hoc Schema exhibet:

1.
E = F
D = E
(D = F)
2.
(D = F)
C = D
(C = F)
3.
(C = F)
B = C
(B = F)
4.
(B = F)
A = B
A = F

1.
B = C
A = B
(A = C)
2.
C = D
(A = C)
A = D
3.
D = E
(A = D)
A = E
4.
E = F
(A = E)
A = F

Obs. 2. Exemplum Soritis ordinarii esto ex Seneca:

Qui prudens est, et temperans est.
Qui temperans est, et constans.
Qui Constans est, et imperturbatus est.
Qui imperturbatus est, sine tristitia est.
Qui sine tristitia est beatus est.
Ergo Prudens beatus est.

Exemplum Soritis Gochleniani esto:

Omnia Entia sensualitate adfecta felicitatem appetunt.
Omnia Entia finita sensualitate sunt affecta.
Omnes homines sunt Entia finita.
Caiûs est homo.
Ergo Caius appetit felicitatem.

Obs. 3. Regulae Soritis ordinarii, seu communis, sunt sequentes.

a) Enunciatio prima (A = B) potest esse universalis, et particularis, ut tamen affirmativa esse debeat.

b) Quaelibet sequentes Enunciationes, usque ad penultimam, debent esse universales, et affirmativae.

c) Enunciatio penultima (E = F) universalis esse debet, potest autem esse sive affirmativa sive negativa.

d) Ultima Enunciatio (A = F) seu Conclusio, quae A E I O esse potest, quoad Quantitatem primae Enunciationi (A = B) quoad Qualitatem autem Enunciationi penultimae (E = F) semet accomodare debet.

Regulae Soritis Gochleniani sunt sequentes:

a) Enunciatio prima (E = F) affirmativa, et negativa esse potest.

b) Enunciatio penultima (A = B) universalis et particularis esse potest.

c) Enunciatio ultima (A = F) affirmativa et negativa, particularis et universalis esse potest, — reliquas autem omnes, universaliter affirmantes esse oportet.

Numerus Enunciationum Soritis indeterminatus est. Et quia tres Enunciationes ordinarium efficiunt Syllogismum: quatuor Enunciationes ad Soritem constituendum sufficiunt. v. c.

Quidam homines sunt avari.
Omnes avari sunt lucri cupidi.
Nullus lucri cupidus sua sorte contentus est.
Ergo sunt quidam homines qui sua sorte contenti non sunt.

Exemplum Soritis hypothetici esto:

Si Caius avarus est: est quoque ille habendi cupidus.
Si is habendi cupidus est: profecto etiam minime contentus est.
Si minime contentus est: nae is etiam infelix est.
Atqui Caius avarus est.
Ergo Caius etiam infelix est.

§. 115. Syllogismi recti et fallaces.

Denique Syllogismi quoad vim ac potestatem, seu valorem, in rectos et fallaces distribuuntur. Syllogismus autem fallax, aut est Paralogismus, si auctor eius falsitatis eiusdem non conscius, ipse sibimet imponere videbatur: Aut vero est Sophisma, fallacia, captio, cavillatio, si scil. error, consilio alios

decipiendi fuit commissus, tantoque opere tectus est, ut non statim in oculos incurrat. Interim omnes omnino fallaces, et abnormes Syllogismi, sine discrimine, Paralogismi, Sophismata, et Fallaciae possunt appellari. Sed Fallaciae aut in Materia, aut in Forma, aut utroque respectu, deceptorii sunt Syllogismi.

Obs. Conspectus omnium Syllogismorum. Sunt scil. ii.

I. quoad Formam.
  A. essentiales s. interni.
    1) categorici.
    2) hypothetici.
    3) disiunctivi.
  B. contingentes seu externi.
    1) formales, seu ordinarii.
    2) non-formales.
      a) minus pleni s. abbreviati et cryptici.
        α. compositi.
        β. truncati.
      b) extraordinarii, seu perversi.

II. quoad numerum partium.
  A. simplices.
  B. compositi.
    1) manifeste compositi.
    2) occulte compositi.
      a) Epicheremata.
      b) Sorites.

III. quoad vim ac potestatem.
  A. recti.
  B. abnormes, seu, fallaces.
    1) respectu ad indolem.
      a) Paralogismus.
      b) Sophisma.
    2) sine respectu illo.
      a) formaliter } deceptorii.
      b) materialiter }

Appendix.

De peculiaribus falsorum Syllogismorum speciebus.

§. 116. Sophismata Amphiboliae.

Omnium formalium Paralogismorum, quam creberrime occurrunt ii, qui quatuor terminos in se continent, ubi tamen terminus quartus, ob ambiguitatem expressionis, non statim animadvertitur. Hi, Sophismata Amphiboliae, seu ambiguitatis appellantur.

Obs. Quamquam in Syllogismo categorico plures, quam tres termini adesse non possunt, ut Syllogismus quatuor terminorum, per iocum animal quadrupes logicum vocitetur: attamen, ob falsam vocum identitatem saepissime ad hanc chordam aberratur. Tres sunt fallaciae, quae ad ambiguitatem referuntur.

a) Fallacia sensus compositi, et divisi, cum Conceptus, iam collective, iam distributive intelligitur, v. c. Errare est inevitabile. Atqui Caius errat. Ergo Caius inevitabiliter errat.

b) Fallacia a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, cum Conceptus, iam cum restrictione, iam sine illa sumitur v. c. Arma reddenda sunt domino suo. Ergo etiam domino furioso.

c) Fallacia Figurae dictionis, si sola vocis ambiguitate luditur v. c. Mus syllaba est. Mus Caseum rodit. Ergo Syllaba caseum rodit.

§. 117. Sophismata fictae universalitatis et falsi medii.

Inter materiales Paralogismos, ii videntur esse frequentissimi, in quibus, aut ex Enunciatione, quae haud quaquam universalis est, sed particularis, universalem tamen consecutionem elicimus: aut Consequentiam mere illusoriam, pro vera realique habemus, proinde aliquid assumimus, quod se, in vicem subsidii interponat, quod tamen non fit. Fallacias illas: Sophismata fictae Universalitatis: has Sophismata falsi medii appellamus, quarum quaedam species, simul in forma quoque ipsa, vitiosae esse videntur.

Obs. Iudicia nostra, de quibusdam Individuis, saepissime sunt Sophismata fictae universalitatis, v. c. cum dicimus: Galli sunt ventosi — Iudaei sunt perfidi, — Nobiles sunt arrogantes, — Faeminae sunt vanitati deditae etc. Ad Sophismata falsi medii referuntur.

a) Sophisma non causae pro caussa v. c. Cometa apparet. Ergo bellum imminet.

b) Sophisma pigrum, seu ignava Ratio v. c. Cum quis ita argutatur: Si Deus omnia praedestinavit: Nae is, qui medicina utitur, nihil sibi prodest; contra qui non utitur, nihil sibi nocet. Ergo nihil omnino, ad sanitatem recuperandam, agendum est.

c) Sophisma Polyzeteseos, quando plura in quaestionem vocantur, ut non possit categorice responderi v. c. Lucas et Petrus, Apostoline fuerunt, an Evangelistae?

d) Sophisma Heterozeteseos, hoc est, alienae quaestionis v. c. Si quis quaerat: Abiecistine cornua? — abieci, dices: ergo habuisti, dicet alter; — non abiecisti? regeres? ergo habes, concludet ille.

SECTIO II. Methodologia Pura.

CAPUT. I. De Methodo in genere.

§. 118. Conceptus Methodi.

Methodus, universe, in Regularitate agendi inest. Quare, sine Methodo in cogitando observata, nulla quoque Repraesentationum, et Cognitionum harmonia, possibilis esse videtur. Nam Regula, certam quandam Unitatem innuit, ac praescribit, cui certa quaedam Varia subiici debeant, ut proinde illa, in Conditione insit, consensus variorum. Quandoquidem autem Ratio vi Tenden-

tiae suae ad *το* Absolutum, tam in theoreticis, quam in practicis (Fund. §. 81.) Harmoniam illam efficiendam postulat: procul dubio eadem est, quae Regularitatem quoque, in Institutionibus logicis, seu Methodum, in elaborandis nostris cognitionibus, exigit. Quamobrem, defectus Methodi, dum agimus, Rationi directe repugnat, proinde Finalitati quoque adversatur, si quidem irregularis agendi ratio, finibus Rationis obstruit.

Obs. Mens humana, ex originario Naturae instituto, nunquam sine Regulis agit, cum originarie, ad certas Leges actuositas eius alligata est. Enimvero, quamquam id in nobis fieri, nemo facile dubitaverit: neque tamen Regularum illarum conscii semper sumus. Quare, ut actuositas mentis logica, in agendo methodica sit, necessarium est, ut regulis Naturae, quas in se quisque reperit, cum Conscientia obsequatur. Atque, hac ipsa re, Modus logicus, a Modo aesthetico distinguitur. Modus scilicet aestheticus, Tactum magis, eiusque stimulos, quam Intellectum sequitur: contra Modus logicus, Regulas Intellectus, cum Conscientia illarum, exsequitur.

§. 119. Aggregatum, et Systema.

Quamdiu cognitiones nostrae, nonnisi singillatim positae, (isolatae) in Conscientia occurrunt, proinde illae, Idea Unitatis Totius cuiusdam adhuc destituuntur: merum Aggregatum efficere putandae sunt. Simulac autem Ideae huic congruenter coniunguntur, ac ordinantur: Systema quoddam, seu Scientia ex iis oriatur, necesse est. (Fund. §. 98.) Modum, quo hoc ad effectum liceat deducere, Methodologia logica commonstrat.

Obs. In Aggregato, nonnisi partes, semper singillatim sumtas, conquirimus, colligimus, et coacervamus. Hic ergo partes, Toti antecedunt, suntque in meris materialibus, ad futurum aedificium exstruendum, necessariis. In Systemate autem, ab Idea Totius initium capimus, eiusque ope, partes ipsas determinamus, Ideae subordinandas. Proinde Aggregatum, opus est nonnisi fragmentarium, et rhapsodisticum: contra Systema, architectonicum quoddam, et organicum Totum. Consequenter, qui in meris Aggregatis subsistit: nae is, nonnisi confusum cognitionum inter se non coagmentatarum chaos obtinet: quod animo, oneri potius esse, eumque deprimere existimandum est, quam ut eundem, vera ac solida cognitione imbuerit, adque maiora Scientiae fastigia eveheret.

§. 120. Methodus analytica, et synthetica.

Quaelibet Methodus, in quantum illa repraesentationes, cognitionesque nostras elaborandas concernit, aut analytica, aut synthetica est. Methodus analytica, in regressu occupata est, dum a conditionato, et rationato, ad suam conditionem et rationem ascendit: Methodus autem synthetica, in progressu inest, dum a conditionibus et rationibus, ad conditionata et rationata, quae ab iis pendent, descendit. Illa itaque regressiva quoque, haec progressiva Methodus dicitur. Quodlibet Systema, quâ Totum cognitionum quoddam scientificum, nonnisi progressive, s.

synthetice potest construi, licet elementa eius, regressive seu analytice detegantur, atque inveniantur.

Obs. Omnis nostra actuositas, principio quidem analytica est. Nam prima statim oportunitate, cum Naturam ipsam contemplamur, illiusque reddimur conscii, id quod conditionatum, rationatum, et compositum est, nobis in illa offertur, atque datur, ut nonnisi postmodum, plurimoque labore liceat, conditiones, rationes, et quod in cognitionibus simplex fuerit, sensim sensim detegere, ac conquirere, h. e. a principiatis ad Principia regredi. Atque haec caussa est, cur analytica agendi ratio, Methodus heuristica appelletur, accommodatissima quoque semqer ad id existimata sit, ut eius ope, quaelibet Scientiarum dogmata possint examinari. Posteaquam autem Methodo analytica, cognitiones iam singillatim comparatas, in nobis animadvertimus: tum demum Systema ex iis, velut aedificium scientificum, a Principiis ad principiata progrediendo, construendum videtur.

§. 121. a) Argumentum Methodologiae.

Logica Cognitionis perfectio, consistit in scientifica, s. systematica eius forma, quae nonnisi methodica cognitionum tractatione conficitur (§§. 118, 119.). Ad hunc finem, pro summe necessaria Conditione, id requiritur, ut cogitationes nostras, quoad earum argumentum, ambitum, nexumque mutuum, accurate determinare studeamus. Id fit Declaratione, Divisione, et Argumentatione. Quare Declarationes, Divisiones et Argumentationes, sunt purae illae logicae conditiones, methodicae cogitationum tractationis, ab quarum numero, alterum Methodologiae Caput, tribus articulis commentabitur.

Obs. Cum cogitationes nostras, pro eo ac par est, ita pertractamus, ut eas in unum Totum systematicum coniungamus: ante omnia sciendum esse videtur: quid est, quod cogitamus? quam multifariae sunt res, ad quas cogitationes nostras extendimus? quamque ob rem, sic et non aliter cogitandum putamus? — quo facto, Argumentum, Ambitum, Nexumque cogitationum nostrarum logicum constituimus. Et cum Argumentum cogitationum nostrarum Declarationibus, Ambitus Divisionibus, Nexus autem cogitationum, Argumentationibus respondet; et haec omnia, cum Analogia Intellectus, Iudicii et Rationis exacte congruunt: intelligitur, ad solennem Theseos, Anthitheseos, et Syntheseos Relationem feliciter nos vicissim appulisse.

CAPUT. II. De conditionibus fundamentalibus, methodicae cogitationum Tractationis.

I. Articulus. De Definitionibus.

§. 121. b) Declaratio.

Enunciatio illa, in cuius Praedicato, notae Subiecti ita indicantur, ut hoc eatenus, ab aliis rebus distingui queat, sensu latiori, Definitio, seu Declaratio appellatur. Quaelibet itaque, huius generis Enunciatio, in categorico Iudicio inest, in quo Subiectum

Declaratum, s. Definitum, sensu latiori, et Praedicatum Declarans, seu Definiens (scil. membrum) sensu latiori nominatur. Quamobrem, secundo Declarationis membro, primum, intensive perspicuum efficitur, quandoquidem characteres eius, cum claritate repraesentantur. Et quia Conceptus simplices, nullius intensivae Declarationis distinctae capaces sunt: intelligitur eos, ne declarari quidem posse (§. 28, 34.).

Obs. Conceptus, Declaratione, quasi clarus efficitur, ut Argumentum eius videre, quasi lucide liceat: quod ipsum iam, latina declarandi vox, innuit: quemadmodum vox definiendi, aut finiendi, Conceptum certis quibusdam finibus inclusum esse significat, quo sic is, a reliquis diligenter discernatur.

§. 122. Declarationes, Definitiones et Descriptiones.

Sed Declarationes quaeque, aut explicantes, aut definientes, aut describentes esse possunt. Declarationes explicantes, nonnisi quasdam notas, easque indeterminate indicant, atque exhibent, quae plane notae, et certi subsidii loco sufficientes sunt. Declarationes definientes, seu Definitiones, sensu strictiori, duntaxat duas essentiales, s. cardinales notas, easque determinate exhibent, quarum una cum Declarato, velut nota generalis, seu genus, communis est: altera autem, illud idem, ab his, velut nota specialis s. Differentia specifica discernit. Declarationes describentes, s. Descriptiones, Declaratum ipsum prolixa notarum copia ita characterisant, ut eae, ad faciliorem rei descriptae notitiam, ac recognitionem queant inservire. Continuata haec Conceptus evolutio, quae fit plurium Declarationum coniunctione, quo sic ad Definitionem, aut Descriptionem praeparatio, legitimatioque adhibeatur, Expositio nuncupatur.

Obs. 1. Quo accuratior, ne quid nimium sit, pleniorque, ut nihil desit, fuerit Declaratio: eo illa praestantior esse putanda est; quod per gradus licebit assequi. Quare, praeliminares quaedam Declarationes, ante omnia erunt instituendae, ut eae perfectioribus inveniendis, instrumenti loco inserviant, quaeve Latinis Explicationes dicuntur, ut illae, tam diu continuandae, quam Conceptus plane fuerit exhaustus, quod in Expositione demum, consequimur. Tum vero ex notis iam inventis, eae in primis sunt deligendae, ac deducendae, quae essentialem rei characterem, in se complectantur, simulque, et genus, et species, et notae convenientes, ac discernentes, debebunt determinari, quasique certis finibus claudi, quod ipsum est, qua in re Definitio inest. Denique ad uberiorem rei notitiam consequendam, specialia quoque adiuncta, et effectus eiusdem, copiose possunt percenseri: quod dum fit, Descriptionem illius exhibemus. Conceptus, Descriptione, sensibilem obtinet claritatem, fitque magis completus, ut a communi quoque Intellectu, facile queat apprehendi: contra Definitione, Conceptus abstractior, consilio ac finibus scientiarum accommodatior redditur.

Obs. 2. Quilibet Conceptus, si modo Declarationem non respuit, aut datus, aut factitius est. Si Conceptus dati sunt: tum ii Declaratione, nonnisi in suas notas resolvuntur, vocanturque analytici: sin autem

facticii sunt, tum vero notae ope Declarationis, in unum Totum coniunguntur, synthetice que appellantur. Sic v. c. si, quid nomine Virtutis, et Iuris intelligas, edisseras: Conceptum utriusque analyticum dederis: contra Conceptus Trianguli et Horologii, Synthesi notarum utriusque, prius construuntur, quam eorum Characterem exposueris.

Quandoquidem Conceptus mathematici, ad Quantitates in Spatio et Tempore repraesentabiles, referuntur, adeoque, arbitraria Synthesi continentur: facillime definiuntur; contra, cum in Philosophia, maiorem partem in Conceptibus datis versamur, qui ad originariam Mentis actuositatem referuntur: Definitiones longe difficilius, et nonnisi successiva Characterum Conceptuum evolutione obtinentur. — Dati vero Conceptus, si sunt empirici, definiri non possunt, sed tantum describi, v. c. Aqua, ignis, aurum, argentum, avis, piscis, canis, quercus, pinus, flos, etc. nonnisi specificis notis, ita possunt describendo repraesentari, ut tamen ad perspicuitatem horum Conceptuum, nihil omnino deesse videatur, quod exemplo Physiographiae palam est.

Obs. 3. Definitiones nominales, reales, et geneticae, distinguuntur. Nam Definitiones nominales, significationes tantum vocum attingunt, reales essentiam rei exponunt, geneticae autem originem rei exhibent. Exemplo hic loci sint, tres Circuli Definitiones, puta: Circulus est linea uniformiter curva, — Circulus est linea, in se ita rediens, ut quaelibet eius partes, a puncto quodam determinato, aequaliter distent, (seu radii sint aequales) — Circulus est linea curva, quae oritur, si punctum quoddam mobile, circa aliud punctum immobile, relictis ad eandem distantiam vestigiis, tam diu circumducas, quam finale motus punctum, cum initiali concurrat. Unde liquet, Definitiones nominales, in declarationibus praeliminaribus inesse; reales autem, declaratum iam Conceptum, ut datum exhibere, ambasque analyticas esse: contra Definitionibus geneticis, Conceptus, ut synthetice constructos, proinde facticios comprehendi, intelligitur.

Obs. 4. Si plures Declarationes, in mutua secum relatione positae, successive proponantur: tum illae, quae certum quempiam Conceptum, secundum notas eius characteristicas exhibent, Declarationes primariae; illae autem, quae veram Conceptus eius notam, amplius tantum explicare videntur, Declarationes secundariae nominantur.

§. 123. Regulae Definitionis.

Ut Definitio logice perfecta esse videatur: sequentes, in ea conficienda, Regulae sunt observandae:

1) Definitio debet esse adaequata, consequenter, ut ea, nec latior, nec etiam angustior sit definito suo, necesse est.

2) Definitio praecisa esse debet, proinde talis, quae nonnisi essentiales, originariasque notas in se comprehendat.

3) Definitio debet esse non-identica, consequenter talis quae neque in Declaratione cardinali, neque etiam in collaterali Declaratum repetat, quo in casu Orbis in definiendo, seu, Circulus exsistit.

4) Definitio debet esse perspicua, proinde talis, quae

consueto linguae usui congrua sit, propriisque verbis, et quam brevissime expressa.

Obs. 1. Cum Definitio iusto latior est: argumentum eius parvum, et ambitus magnus est: contra, cum ea, iusto angustior est, argumentum eius magnum, ambitus parvus sit, necesse est. Hoc vitii genus, ut in definiendo liceat evitare: nota proxime generica, ac specialis, erit alleganda. Sic cum vulgo dicimus: Homo est animal rationale, Definitionem ponimus iusto latiorem, quia addendum foret terrestre; et si dicas: Hominem esse animal terrestre, cum Ratione agens, Definitionem dederis iusto angustiorem, quia et infantes, et multi, qui ematuruere, sunt, quos irrationaliter agere videas, ut tamen homines ii esse non desierint. Ad quod vitium detegendum, tentandum erit: num Definitio sine immutatione Quantitatis pure, et contraponendo converti possit? (§. 65.). Nam si Definitio contraponi quidem, neque tamen simpliciter converti potest: ea iusto latior est. Contra, si Definitio simpliciter quidem converti, non tamen contraponi potest: ea iusto angustior esse putanda est.

Obs. 2. Notae Conceptus extraessentiales, et fortuitae, seu contingentes, non satis characteristicae sunt, eo quod, et adesse, et abesse, et etiam aliis rebus, sub eodem Conceptu non complexis, communes esse possunt, proinde in Definitionem cooptatae eandem, iam iusto latiorem, iam iusto angustiorem efficiunt, v. c. Definitio Hominis Platonica: Hominem esse animal implume bipes, tanquam iusto latior, gallo deplumato sufficienter refutatur. Etiamsi ergo Definitio non talibus solum constaret notis, sed eae in Definitione essentialibus commiscerentur tantum: eae tamen Praecisioni logicae adversari putandae essent. Hinc notae quoque derivatae, a Definitione pari iure removendae.

Obs. 3. Definitio in orbem rediens, s. Circulus in Definitione, quem vocant, cum declaratum Declarando vicissim immiscetur; proinde idem de se praedicat, nihil explicare censenda est. Id vero fit, aut immediate, si v. c. dicas: Pulchritudo est, pulchra rei proprietas, aut mediate, si dixeris: Lex est voluntas Superioris: sed Superior est, qui Legem dictat. Ambo hi Circuli sunt tamen manifesti. Enimvero, est quoque Circulus occultus, si v. c. dicas: Ius est Facultas quidpiam agendi, aut ommittendi. Circulum in Definitione Diallelen (διαλληλων) Antiqui dixerunt.

Obs. 4. Declarationem quamlibet, ita perspicuam esse debere, ut ea sine labore, sponteque intelligatur, in aprico est. Quis enim Declarationem esse dicat, si quis obscurum, per, aeque obscurum quid? quod per obscurius satagit explanare? Ad Perspicuitatem vero expressionum, in Declarationibus adhibendarum, haec tria referuntur: ut Declaratio, consueto Linguae usui sit accommodata, — ut verbis, quoad eius fieri potest propriis, non item tropicis concipiatur, et edatur, — ut denique salva claritate brevis sit; si quidem, ut Tautologiae quaelibet, sic laconicae quoque, laesa Perspicuitate, expressiones, peraeque in vitio ponendae.

Obs. 5. Reliquae Declarationis Species, a Severitate Legum Definitionis immunes esse videntur, eo quod, certas modificationes, et exceptiones admittant. Nam cum Declarationes, praeliminaria sunt tantum,

ad uberiorem Cognitionem quaerendam, instituta, saepe sine vitio eae, iusto latiores, aut etiam, iusto angustiores esse possunt, simulque notas fortuitas, derivatasque adoptant, quin imo, ne Circulum quidem refugiunt: salva tamen semper perspicuitatis lege, cui subtrahi nequeunt.

Descriptiones, quemadmodum ipsas Definitiones, adaequatas quidem esse oportet, et circulo vacuas: attamen, neque adeo praecisae esse debent, ut non notas, fortuitas, et derivatas recipere in se queant, cum in notis rerum plene, ac copiose exhibendis, sint per Naturam occupatae.

Cum notae negativae ad res invicem tantum discernendas spectent, ad Explicationes pertinere putandae sunt: neque tamen, vel hae, in meris negativis notis inesse possunt, si quid est, quod declarandum in iis suscipitur.

II. Articulus. De Divisionibus.

§. 124. Divisio. Divisum.

Enunciatio, in cuius Praedicato Varia, sub Subiecto comprehensa, ut opposita exhibentur, Divisio vocatur. Quaelibet ergo Enunciatio huius generis, originarie, Iudicium disiunctivum est (§. 57. Obs. 3.): Sed tamen, ut categorico-copulativum quoque exprimi potest (§. 60. Obs. 3.). In eadem Enunciatione, Subiectum, Totum divisum, Praedicatum autem, Membra dividentia appellantur. Quare Subiectum, Praedicato, extensive perspicuum redditur, eo quod eius ambitus, cum claritate repraesentatur. Quandoquidem autem Conceptus singulares, Perspicuitatis extensivae capaces non sunt: tum eos, ne dividi quidem posse, palam est (§. 29, 34.).

Obs. 1. Divisio Conceptus cuiuspiam, minime Analysis eius esse putanda est: cum haec, exhibitione argumenti illius fit, in Enunciatione declarativa. Divisio autem, singulariter ad ambitum Conceptus spectat, atque certarum notarum Synthesi nititur. Quare argumentum Membri Divisionis, maius est argumento divisi Totius, cum contra hoc, maiori praeditum est ambitu, quam illud (§. 27.). Proinde, in qualibet Divisione, certa quaedam nota, pro fundamento posita est, ad quam reflectendum est, atque, velut Punctum conspectus esse videtur, unde Totum ipsum considerandum sit. Punctum hoc conspectus Fundamentum dividendi appellatur.

Obs. 2. A Divisione, essentialiter differt Distinctio. Illa, logicum Conceptus ambitum designat: haec, in grammatico vocum ambitu determinando, versatur, adeoque, diversas, unius eiusdemque vocis significationes, discernit. Distinctio est, v. c. cum dicimus: Mundus, aut complexum omnium rerum finitarum, aut globum nostrum terraqueum, aut novum Orbem a Columbo detectum innuit. — A Divisione differt etiam Partitio, quae, Totius cuiusdam compositi partes integrantes exhibet, v. c. Homo constat corpore et animo. Quod si Totum compositum, species quaedam Dissertationis est, de certo quodam Themate elaborandae: tum vero partium eiusdem complexum, Partitionem idealem, Ordinem autem partium, Dispositionem vocant.

§. 125. Membra Divisionis.

Divisiones sunt, aut bimembres (dichotomiae), aut multimembres (polytomiae) quo in casu, eae, pro numero Mem-

brorum Divisionis trimembres (trichotomiae) quadrimembres (tetrachotomiae) etc. appellantur. Divisio pure logica, nonnisi Conceptu contradictorio, (§. 38.) proinde dichotomice fieri potest. Quandoquidem autem, unum idemque Totum, ex pluribus conspectus punctis, atque Membrum Divisionis eiusdem, ut Totum vicissim dividendum, considerari potest: tum vero plures, tam dichotomicae, quam polytomicae Divisiones, invicem coordinari, aut subordinari possunt, quo in casu, Codivisiones et Subdivisiones existunt. Systema talium Divisionum, Classificatio nominatur, et plerumque in Forma tabellari exhibetur.

Obs. Cum intuitu logico, nihil aliud de proprietate rei cuiuspiam, scire ac cognoscere liceat, quam notam aliquam, ei, ex Principio Antitheseos, aut competere aut non: facile intelligitur, omnem Divisionem vere logicam, esse mere contradictoriam. Quodsi autem, ultra Sphaeram Logicae, ad realem rerum proprietatem reflectimus, in quantum scil. haec, aut a priori, aut a posteriori cognoscitur: tum vero Divisio, multimembris esse potest. — Si Membra Divisionis, in Divisione allegata, diversa sunt, ex quibus Totum dividendum potest considerari: tum vero Divisiones coordinatae, s. Codivisiones oriuntur, — quemadmodum ex earum membris, pro Toto partiali singillatim sumtis, Subdivisiones emergunt, quae iam superiores, iam inferiores sunt. Harum prima, Divisio fundamentalis nuncupatur. — Denique, si Divisiones certi cuiusdam Conceptus cardinalis, adeo plenae ac perfectae sunt, ut eae, in certos ordines, certo consilio respondentes, ita inter se dispescantur, ut Systema quoddam Divisionum inde progignatur, Classificatio appellatur, qualis est v. c. in Physiographia Regni mineralis, vegetabilium, et animalium exhibitio.

§. 126. Regulae Divisionis.

In Divisione qualibet regulari:

1) Nullum Divisionis Membrum, aut deesse, aut superflue adesse debet.

2. Membra Divisionis, ita inter se distinguenda sunt, ut semet reciproce excludant.

3) Subdivisiones inferiores, cum Divisionibus superioribus, commisceri non debent.

4) Divisiones temere, et sine certo consilio, multiplicandae non sunt: verum in gratiam Finalitatis Divisionis, sola Membra Divisionis foecunda, et ad rem ipsam spectantia, eligenda sunt.

Obs. 1. Cum quaelibet Divisio, tanquam Iudicium disiunctivum, Conceptum quempiam, ut Totum quoddam, cum suis partibus simultanee repraesentat: Membra Divisionis simul sumta, Toti diviso aequalia esse oportet. Id vero non obtinet, si quod Membrum Divisionis defuerit, v. c. si dicas: Determinationes legales, aut in Praeceptis, aut in Prohibitionibus insunt: addendum enim insuper adhuc est: in Permissionibus. — Sin autem Membra Divisionis, iusto plura sunt, h. e. si id genus Conceptus, quâ Membrum Divisionis allegatur, qui tamen Conceptui Totius, non subest: tum vero Definitio Totius, ad quodlibet Divisionis Membrum, non quadrat, quod in vitio est, si, v. c. dicas: Fi-

gurae Mathematicae aut Corpora sunt, aut superficies (pro: aut lineae, aut puncta).

Obs. 2. Si Membra Divisionis se mutuo non excludunt: profecto tum, quemadmodum nulla Disiunctio adest, nulla quoque Divisio facta esse putanda est. Hoc vero vitii genus inde exsistit, si penes unum Divisionis fundamentum non perseveramus, proinde Membra Codivisionis, ut Membra unius, eiusdemque Divisionis, componimus, v.c. Mala est Divisio isthaec: Actiones hominum aut bonae sunt, aut utiles, quam si reconcinnabis: Actiones hominum, intuitu interni, seu absoluti pretii, aut bonae sunt, aut malae: intuitu autem externi, s. relativi pretii, eaedem, aut utiles sunt, aut noxiae.

Obs. 3. Divisiones, in quantum modo fieri potest, continuas esse oportet, ut scilicet ab una quaque Divisione, ad aliam, gradatim transeatur, quo sic, nullus saltus, nullus hiatus, in dividendo, committatur. Quae dividendi continuitas, oppido vitiabitur, simulac Membra Divisionis inferioris, ut Membra simul superioris, allegantur, v. c. cum olim dictum est: Philosophia est, vel rationalis, vel naturalis, vel moralis: patet, duo prima Membra, Philosophiae theoreticae esse subordinata, atque Philosophiam moralem directe huic, i. e. theoreticae opponi.

Obs. 4. Divisiones quidem, si placet, in infinitum diduci possunt: attamen, cum Divisiones, hac ratione, nullius prorsus usus efficerentur, ridiculum sane foret, eas supra modum, multiplicare. Quamobrem, Divisiones, comparative, ad finitas erunt reducendae, ut consilio certo respondeant, quae tum Divisiones finales nominantur. v. c. si Milites, in pedites, et equites, distribuas, destinationi militari, ex asse putabis satisfactum.

III. Articulus. De Argumentationibus.

§. 127. Argumentatio. Argumentum.

Arguere, s. argumentari, tantundem significat, atque vim et potestatem, seu, valorem Iudicii cuiuspiam, ex uno aliquo, aut pluribus aliis, docere ac probare. Est ergo Argumentatio, quaedam cogitationum series, in qua, varia Iudicia, intuitu valoris eorumdem, ita ad se invicem se habent, quemadmodum determinans, ad determinatum. Qua in cogitationum serie, momentum illud, cui valor certi cuiuspiam Iudicii, innititur, Argumentum vocatur. Quamobrem, quaelibet Argumentatio, inest in Deductione, nondum pro vero recogniti Iudicii, ex illo, quod pro tali iam recognitum est, proinde illa revera nihil aliud est, quam certi cuiusdam iudicii Verificatio. Quandoquidem autem, ratiocinandi, seu concludendi functio quoque non in alia re inest, quam in Deductione Iudiciorum, ex se invicem reciproca (§. 70.): patet, quamlibet demonstrationem, uno, aut pluribus Syllogismis constare, etiamsi forma syllogistica, manifeste in iis, non videatur esse expressa.

Obs. 1. Cum nomine Deductionis nihil aliud intelligimus, quam longiorem, aut breviorem cogitationum seriem, in qua Veritas cognitionis cuiuspiam obiectiva, veluti consecutio quaepiam, ex rationibus eandem antecedentibus elicita, probatur: profecto Argumentatio quaeque, pleno iure potest Deductio appellari.

Obs. 2. In qualibet Argumentatione, aut aliquid iam in antecessum demonstratum exstat, aut in vicem eius, tale quidpiam sumendum est, quod neque probantis Argumenti amplius capax est, neque etiam eo indiget, proinde, immediate, seu in se, et per se, certum atque indubitatum est. Danturne tales veritates, an nullae: id vero Logica decidere nequit. Logice tamen, seu ex Conceptu Argumentationis, tantundem licet perspicere, quod, si a conditionatis ad conditiones, a rationatis ad rationes, sine fine altius atque altius regredi liceat, idque ita, ut nullum Absolutum, s. Primum offendas: tum vero, universe constituendum foret, nullam sufficientem uspiam dari rationem, adeoque omnem quoque Argumentationem, ad nihilum recidere. Quandoquidem autem in Argumentatione, plura momenta dari possunt, a quibus valor Enunciationis probandae pendeat: multum interest nostra, Argumentum primarium, s. principale, a secundario, s. auxiliari distinxisse. Caeterum, quaelibet Argumenta probantia, nihil aliud sunt, quam totidem cogitandi momenta, quoniam animum, ad aliquid certo modo cogitandum, commovent. Ipsa Principia autem, sunt fundamentales Enunciationes, a quibus seriem cogitationum auspicamur, — quorum alia relativa sunt, alia vero absoluta.

§. 128. Materia, Forma, et Vis Argumentationis.

In quolibet Argumento, partim Materia eiusdem, seu Enunciationes illae respici debent, quae ut determinantes, et determinatae, in eo cogitantur; partim vero Forma eiusdem, sive modus est considerandus, quo vi determinantis, aliquid in eo, ut determinatum cogitatur; partim denique Vis Argumentationis, seu Nervus probandi, ex ambabus partibus resultans, h. e. vis ac robur Nexus, inter determinans et determinatum intercedentis, ut et, valoris Nexu effecti, debet spectari. Sed Forma Argumenti vicissim, aut ut interna, aut ut externa contemplanda videtur, pro eo atque, aut eius habetur ratio, quod essentiale, aut quod extraessentiale in Argumentatione fuerit.

Obs. Nervus probandi, ab Argumento principali distinguendus est. Nam quaelibet Argumentatio, si modo probare aliquid debet, Nervum probandi habeat, necesse est, etiamsi non pluribus, quam uno polleat probandi momento. Sic in simplici Syllogismo categorico, Terminus medius est Nervus probandi, ut ut, nullum aliud Argumentum principale, in eo occurrat.

§. 129. Argumentatio a priori, et a posteriori.

Argumentationes, intuitu Materiae, aut purae, seu a priori, aut empiricae, seu a posteriori sunt, prout scilicet Enunciationes, quae illis fundamenti loco substratae sunt, aut originarias spiritualis nostrae actuositatis Leges, aut sensibiles datorum Obiectorum perceptiones, exprimunt. Quandoquidem autem Logica, ab Argumento Cognitionum sibi temperat: titulo logico id quoque Argumentum licebit a priori nominare, in quo, ex datis Regulis universalibus, sive eae purae, sive empiricae fuerint, aliquid demonstratur, quin res quaedam particularis, in facto posita, in subsidium assumatur.

Obs. Quaelibet Argumentatio, est quidem Argumentatio rationalis, cum ratiocinando, seu origininario Rationis actu perficitur: sed tamen, non omnes Argumentationes rationales sunt purae, h. e. tales, quae originarie, ex ipsa Ratione exsisterent. Nam sunt quoque Argumentationes empiricae, quae originem suam ex sensibus repetunt. Logica quidem, discrimen Argumentationis purae et empiricae, per se ignorat: illud tamen, tali propemodum ratione supponit, quemadmodum Astronomi, dudum augurabantur, inter Martem et Iovem, planetaria Corpora revolvi debere, antequam re facti planetae Ceres, Pallas, et Iuno fuissent detecti.

§. 130. Argumentatio directa, et indirecta.

Argumentationes, intuitu internae earundem formae, aut directae sunt, seu ostensivae, aut indirectae, seu apagogicae, vel Deductiones ad absurdum; prout nempe, aut id, quod probandum est, directe ex rationibus eiusdem probatur, aut tantum, ex falsitate Oppositi, id, per Consecutionem elicitur. Cum autem interim Argumentationes indirectae, nullam in rationes rei ipsius perspicientiam praestant, facileque iis ad Sophismata abuti liceat: videntur eae diligenter examinandae, et summa cum cautione adhibendae.

Obs. Si Veritas Enunciationis cuiuspiam, ut Conclusio ex Praemissis elicita perspicitur; tum solidam obtinemus cognitionem: contra, si veritatem Enunciationis alicuius, nonnisi inde inferimus, quod eius oppositum absurdum sit, tum vero necessarium Enunciationis Nexum, cum aliis veris Enunciationibus minime penetramus, proinde nonnisi coacti, assensum ei praebendum esse putamus. Hoc tamen non obstante, Argumentationes apagogicae, non videntur simpliciter contemnendae, dummodo in usu, diiudicationeque eorum, primo quoque providendum est, ne oppositum illud, ex cuius absurditate Veritatem Enunciationis volumus elicere, non mere Contrarium, sed re ipsa Contradictorium sit, cum secus fieri posset, ut Enunciatio una, cum Opposito suo falsa foret (§§. 64 et 97.); — deinde autem, ut Absurditas, non modo illusoria quaedam, sed realis sit, h. e. talis, quae indubitatis veritatibus repugnet. Certe enim multa sunt, quae prima fronte videntur esse absurda: ea tamen postmodum, aliter comparata esse observamus.

§. 131. Argumenta apodictica et probabilia.

Argumenta, quoad vim eorum probandi, obiective considerata, aut sunt apodictica, seu, demonstrationes sensu strictiori, aut probabilia, h. e. probationes, sensu strictiori, prout scilicet, ex iis Impossibilitas Oppositi elucet, vel non, — subiective vero sumta, aut universalia sunt, κατ' αληθειαν, aut particularia, seu, κατ' ανθρωπαν, pro eo ac Argumentum, aut in se, et per se, aut tantum quoad certa Subiecta, validum esse videtur.

Obs. Si Argumentum Enunciationis cuiusdam, conscientiam Possibilitatis Oppositi penitus excludit: tum illud, summa vi pollet, et per Eminentiam (κατ' εξοχην) Demonstratio vocatur. Huius generis demonstrationes, facillime in Mathematica construuntur, neque tamen etiam, in Philosophia videntur impossibiles, v. c. negotiationem mancipiorum Anglicanam iniustam esse, tam evidenter potest probari, quam

Theorema quodlibet geometricum. Contra, si Argumentatio, Conscientiam Possibilitatis Oppositi non tollit: ea possibilis tantum, seu Probatio stricte sic dicta potest appellari, v. c. Probatio, testium relationi innixa. Quodsi Argumentum, ad Hominem tantum evincendum, non ad veritatem inveniendam, et confirmandam valet: haec argumentandi ratio, Advocatoria, seu, Rabulistica quoque vocatur, quod Rabulae, hoc artificio plerumque solent, victoriam in litibus gerendis de parte opposita reportare.

§. 132. Argumentatio simplex, et composita.

Denique, Demonstrationes quoad externam Formam, 1) si ad numerum Syllogismorum in iis contentorum respicitur, aut simplices sunt (monosyllogisticae), aut compositae (polysyllogisticae), prout scilicet eae, ex uno, aut pluribus constant Syllogismis; — sin autem 2) expressio horum Syllogismorum consideratur, Demonstrationes, aut sunt formales et completae, aut non-formales, et incompletae; prout scilicet omnes, ad eandem Argumentationem pertinentes Enunciationes, re vera, aut expressae sunt, et syllogistice exhibitae, aut non.

Obs. Quaelibet Argumentatio quidem, sensu proprio, composita est; cum ea Syllogismo saltim uno constat, quilibet vero Syllogismus, Praemissis et Conclusione absolvitur: attamen eminenter, ea demum Argumentatio composita solet salutari, quae pluribus Syllogismis perficitur. Ipsa vero Argumentatio composita, aut progressiva est, aut regressiva (§. 111.).

§. 133. Regulae Argumentationis.

Quodsi Argumentatio valida esse debeat: sequentes Regulae erunt observandae:

1) Argumentatio emendicata, seu obreptitia esse non debet, h. e. nihil pro indubitate certo sumendum est, quod Argumento adhuc probandum foret, — atque hoc argumentandi vitium, Petitio Principii, seu, Fallacia quaesiti Medii appellatur.

2) Argumentationis Finis, atque Consilium, immutari non debet, h. e. non aliud quidpiam probandum est, quam quod re ipsa, probandum erat, — atque hoc argumentandi vitium, Ignoratio, seu Mutatio Elenchi vocatur.

3) Argumentatio, vitium Circuli incurrere non debet, h. e. minime permittendum, ut Enunciatio ipsa, quae probanda foret, in rationem probandi adhibeatur, — atque hoc argumentandi vitium Orbis in demonstrando vocitatur.

4) Nullus in Argumentatione Saltus est faciendus, h. e. a nulla Enunciatione ad aliam, sine consequentia transeundum est, — atque hoc argumentandi vitium, Saltus in demonstrando nuncupatur.

Obs. 1. Cum quis in argumentando, quidpiam, ut nervum probandi proponit, quod tamen alter iure, meritoque, aut negat, aut in dubium saltim vocat: tum ille incertum per aeque incertum probat, vel, ut Logici loquuntur, Principium petit, et assensum emendicat, v. c.

cum Angli negotiationem mancipiorum inde probant, quod in ea re, magna Nationis Anglicanae utilitas, vertitur.

Obs. 2. Si Argumentatio non id probat, quod probandum erat; ea quidem in se, seu, absolute valida esse potest: attamen relative, invalida esse censenda est, ad probandum. Tali enim ratione, scopus quasi Argumentationis, a sua directione dimovetur, atque punctum quaestionis immutatur: quod malae Argumentationis vitium, si id non studio agitur, Sophisma Ignorationis; aut si consilio fit, Sophisma Mutationis Elenchi (ελεγχος argumentum) appellatur.

Obs. 3. Circulus in demonstrando, a Petitione Principii essentialiter differt. Nam ad Circulum proprie, duae Argumentationes pertinent, quae ita ad se invicem se habent, ut unius Praemissa, sua propria Conclusione in altera probetur v. c. Enunciatio A vera est, quia Enunciatio quoque B vera esse videtur, atque B Enunciatio ideo vera est, quia Enunciatio A vera fuit. Sed raro evenit, ut quis, manifestum hoc Circuli vitium incurrat: occulte vero, eo frequentius accidit. Sic v. c. sunt, qui, Exsistentiam Dei ex Revelatione, Revelationem autem, ex Proprietatibus Dei probent: cum tamen, in priori Argumento, Exsistentia Dei, Principiatum, et Revelatio, Principium fuit: in altero autem vice versa.

Obs. 4. Verus et illegitimus Saltus in eo est, cum ab una Enunciatione ad aliam, sine omni consequentia transitur, proinde, plus in Conclusione asseritur, quam, quod in Praemissis praestructum fuit (salto mortale). Talis foret Argumentatio, si quis diceret: Socrates non fuit Christianus. Ergo quaelibet eius bona Opera, splendida tantum fuisse peccata: censenda sunt.

Obs. 5. Inter argumentandi Regulas, hanc quoque commemorare solent Logici: Nec minus, quam debeas, neque tamen etiam nimium probandum est. Regula recta est: sed hoc loco superflua. Nam, qui minus probat, quam quod probandum erat, is non probat, et scopum argumentandi, a sua directione dimovet: qui autem nimium probat, vitium Saltus incurrit (unde Canon Logicorum: Qui nimium probat, nihil probat), quod utrumque Regulis nunc statim laudatis adversatur.

PARS II. Logica Applicata.

§. 134. Partes Logicae Applicatae.

Cum Logica Applicata, Regulas Cogitationis analyticae proponat, in quantum haec, a certis empiricis Cognitionis conditionibus pendet (§. 11.); et cum conditiones hae, analyticum Intellectus usum, partim restringere, partim promovere etiam possint: sane Logica Applicata, in primis, conditiones illas, velut restringentes conditiones, cum suis quasque sequelis noxiis, remediisque earumdem considerabit; tum vero etiam modum monstrabit, quo, per has ipsas conditiones, si remediis illis diligenter utimur, Cognitio possit ad desideratam Perfectionem deduci. Quare Logica Applicata quoque, in Doctrinam Elementarem, et Methodologiam dividenda est.

Obs. Logica Applicata, anthropologica quoque Logica commode posset vocari: eo quod haec, cogitationem, sub certis illis, fortuitisque modificationibus considerat, quae illam, quâ humanam cogitationem concernunt, quales sunt v. c. quod Homo a sensibus, velut, oculis, auribus, a sanitate, morbis, aliisque Circumstantiis pendeat. Quemadmodum ergo Logica pura, ab Enunciatione hac: Ego cogito, scil. in abstracto, sua cepit auspicia: profecto, Logica quoque Applicata, hac Enunciatione: Ego cogito, scil. in concreto, vel, haec aut inter illa adiuncta, functiones suas ordietur. Quamobrem, fieri etiam non potest, quin Logica Applicata, complura Lemmata, ex Anthropologia empirica transumat.

SECTIO I. Doctrina Elementaris applicata.

§. 135. Partes Doctrinae Elementaris applicatae.

In Doctrina Logicae Applicatae Elementari, principio statim, empiricae illae Cognitionis Conditiones perpendendae videntur, ex quibus, variae illusionis et erroris species, exsistere possunt, ut deinde etiam remedia, quae ad tollendas illusiones, erroresque sanandos, apta nata fuerint, proponat. Quare Doctrina Elementaris applicata, in Pathologiam, et Therapeuticam Mentis humanae, distribuenda videtur.

Obs. Illusio atque Error, sunt duo illi hostiles Daemones, qui mentem humanam, in cogitando, a tramite Veritatis deducunt, eamque invadunt, exagitant, et propemodum opprimunt. Quare Theoria Illusionis, ac Errorum, iure potest Pathologia logica appellari, quemadmodum Theoria remediorum, quibus illis promte occurritur, Therapia logica merito nuncupatur.

CAPUT I. Pathologia logica.

§. 136. Illusio logica.

Quandoquidem nos, res nonnisi in tantum cognoscimus, in quantum de iis repraesentationes habemus: nos quoque in Iudiciis nostris de illis, ad has repraesentationes nosmet accommodamus. Enimvero, cum iam de obiectis variis, easdem repraesentationes, mox de iisdem obiectis, diversas repraesentationes obtinemus: saepe lubrica illa oportunitas evitari nequit, quin idem Iudicium feramus, cum diversa ferri deberent, diversaque pronunciemus, cum identica forent pronuncianda. Atque, hac in re plane, logica Illusio consistit. Quodsi autem hac Illusionis oportunitate, Intellectus se ad falsa, licet pro veris habita, patitur determinari Iudicia: tum vero progignitur in nobis Error.

Obs. Illusio logica, in mera errandi Possibilitate, ac oportunitate inest: Error non est. Fieri scilicet potest, ut quispiam, cum ex distantia remotiori turrim, arboremque contemplatur, aut binas utrinque turres, aut binas arbores videre se sibi persuadeat. Is tum, de diversis obiectis, identicas sibi informat repraesentationes. Si ergo dicit: Ita mihi videtur, nae is, dicto suo non errat, id enim, quod di-

cit, verum est. Sin autem dicat: Duo illa Obiecta sunt duae turres, — aut duae arbores: tum vero, errare idem putandus est; id enim, quod verum esse opinatur, falsum est. Idem est, si quis, unam eandemque rem, nunc sic, mox aliter sibi repraesentat, ob eamque caussam ipsam, duas esse res iudicat. — Illusio logica, ab aesthetica, distinguenda est: illa scil. ab empiricis conditionibus, quibus in cognoscendo restricti sumus, pendet: haec ab artefactis, ope Imaginationis, in nobis progignitur.

§. 137. Errores sensibiles, seu Vitia Subreptionis.

Cum Sensualitas (sensu sumta strictiori), quâ Facultas immediatarum Perceptionum, illius, quod sive extra, sive intra nos est, acciditque, nonnisi intuetur, atque sentit (Fund. §. 77.), non autem iudicat: profecto illa, ne errare quidem putanda est. Cum autem actuositas Sensualitatis, quâ Sensus externi, et interni, a certis conditionibus restringentibus pendet: patet, ea re, ansam errandi, nobis sponte offeri. Atque nonnisi hoc intuitu dici potest, sensum, aut sensus fallere. Qui hac ratione exsistunt Errores, sensibiles s. aesthetici (sensu etymologico), aut etiam Vitia Subreptionis nominantur, eo quod Intellectus, vi Sensuum, quasi se opprimi patitur, cum sensibili Illusione excoecatus, falso iudicat.

§. 138. Sensus externus.

Quodsi ministerio Sensus externi, quidpiam repraesentandum est, ante omnia Organa, quae ad id requiruntur, adesse debent, et quidem in ea conditione, quae Fini videatur respondere: tum vero, id quoque necessarium est, ut Obiecta quoque ipsa, in certa sint posita relatione ad Organa, ut haec, ab iis, convenienter affici possint, atque eatenus, haec illa apte queant apprehendere. Quare, partim variata organorum conditione, partim immutato Obiectorum positu, quemadmodum de iisdem Obiectis diversae repraesentationes, ita de diversis Obiectis, eaedem repraesentationes, possunt in nobis excitari.

Obs. Absque oculis, Visus, absque auribus, Auditus, fieri omnino non possunt. Oculi hebetes, quemadmodum etiam Auditus difficilis, facile repraesentationes vitiant, et depravant. Icterico flava esse omnia videntur. Baculus, quem rectum esse sentimus, ac experimur, in aquam mersus, obliquus esse apparet. Sic in casibus, quam plurimis, dum Illusio sensuum locum habet: nae illa, falsis Iudiciis effingendis, sponte nobis, oportunitatem videtur suppeditare.

§. 139. Sensus internus.

Respectu Sensus interni, variae mutationes possunt universe, in animo accidere, quae, quamvis indeterminatae, quâ tales tamen, dum percipiuntur, aut repraesentationes ipsas de Obiectis, aut conditionem animi generatim modificant, atque eatenus, magnum omnino momentum quoad modum adferunt, quo Obiecta diiudicamus. In quantum ergo his omnibus, ad falsa iudicia ferenda, ansâ sup-

peditatâ, quasi sollicitamur: profecto sensus quoque internus, ut Fons sit errorum, necesse est.

Obs. Sensus internus, seu, Facultas interna percipiendi, proeul dubio, quemadmodum etiam sensus externus, certis organis, tanquam materialibus actuositatis suae conditionibus, alligatus est, licet Organa haec, quemadmodum illa externa, commonstrari non possint. Quare, neque etiam mutationes, in Organis his internis factas, percipimus, ut tamen illae, hoc non obstante, magnam in Functiones cogitandi nostras, vim exercent. Atque horum Organorum ope fit, ut clarae, perspicuaeque nostrae repraesentationes, in obscuras et confusas, ut et vice versa, transformentur, et ita, ut de uno, eodemque Obiecto, opposita plane nobis informemus Iudicia, iam pro iucundo, iam pro iniucundo, idem illud habendo, prout scil. pro interna Sensus interni conditione, in horas mutabili, sic aut aliter disponimur, ac intendimur.

§. 140. Memoria. Imaginatio. Reminiscentia.

Cum quaelibet Repraesentatio, tamquam eventus, qui in animo accidit, in Obiecto sit Sensus interni: attamen actuositas huius multo amplius se exporrigit, quam illa Sensus externi. Sensus internus est, qui repraesentationes diligenter in se adservat, ut eae, certis temporibus, vicissim in Conscientiam queant intrare, quo respectu is, ut Memoria apparet, — Sensus internus est, qui pristinas intuitiones, atque sensationes, certo cum claritatis gradu iterat, easque, in novas repraesentationes transformat, quo intuitu, ut Vis imaginandi apparet, — Sensus internus est denique, qui repraesentationes, quae olim in Conscientia praesto erant, quâ tales, cum Conscientiam denuo subeunt, recogniscit, et hoc titulo ut Facultas reminiscendi apparet.

Obs. Expressiones hae: Memoria, Imaginatio, Vis reminiscendi, proprie quidem, non diversas animi Facultates designant, sed tantum peculiares Sensus interni modificationes indicant, quatenus scil. is, hac aut illa ratione, est actuosus. Sensus externus, nonnisi quod praesens est, repraesentat, Obiectaque in tantum duntaxat cognoscit, in quantum ea inpraesentiarum data sunt, non autem ita, quemadmodum illa, iam olim data fuere, et nunc, pro iisdem recognoscuntur. Perduratio Repraesentationum in Animo, Restauratio, Transformatio, Recognitioque earundem, negotium est Sensus interni, respectu cuius, quaelibet Repraesentatio, Obiectum eius est, unde demum cunque Originem ea duxerit. Sed Efficacitas Sensus interni, in omni sua actuositate, restricta est, unde variae Illusionis, atque Erroris Species progignuntur.

§. 141. Memoria Fons Erroris.

Cum Perfectio, seu fortitudo Memoriae, a magnitudine, facultate, constantia et fidelitate pendet: ansam illa, ad Illusiones, Erroresque suppeditare potest, si, aut omnino, nonnisi paucas repraesentationes adservare valet, aut saltim prolixo tempore, magnaque contentione, ad eas conservandas opus habet, aut etiam illas, non satis diu servare potest, aut denique, si non ita illas cu-

stodit, quemadmodum illae, ei fuerunt concreditae. Nam his rebus, aut immediata repraesentationum commutatio consequitur, aut saltim Summa cognitionum nostrarum, adeo restringitur, ut Intellectus, Identitatem et Diversitatem repraesentationum, non quem admodum deberet, diiudicare valet.

Obs. Memoria ampla est, si, quoad repraesentationes adservatas, magnum habet ambitum, — facilis est, si eas celeriter, et sine labore arripit, — tenax, si, repraesentationes apprehensas, diu intra se continet, — fidelis, si eas, quin vitientur, in originaria earumdem forma conservat. Quodsi Memoria, singulis his dotibus praedita est, potens et valida dicitur. Cum vero nulla cogitatio, sine certa repraesentationum copia fieri possit, atque superiores, quas vocant, cognoscendi actuositates, iudicandi quippe, et ratiocinandi solertia, maiorem in modum ab ea pendeant: intelligitur, Memoriae debilitatae, magnam erroribus oportunitatem suppeditari, cum tempus, loca, personas, res, adiuncta, multiplicesque rerum relationes, temere inter se commutamus.

§. 142. Vis imaginandi.

Quando quidem Vis imaginandi, partim, quâ mere reproductiva; partim quâ productiva agit: Illusio et Error, peraeque possunt per eam, in nobis excitari, et quidem non minus, si ea iusto languidior, quam si, iusto vividior fuerit, functionemque suam productivam, iniquo loco exercuerit, ac insinuaverit. Nam, aut repr. esentationes ipsae, hac re vitiabuntur, aut merae Sensus interni repraesentationes, pro repraesentationibus Sensus externi habebuntur. Errores hac ratione exorti, imaginarii possunt nominari, qui etiam interdum per excellentiam Vitia subreptionis (§. 137.) nuncupantur.

Obs. Imaginatio reproductiva, repraesentationes de Obiectis sensibilibus olim perceptas, sine immutatione, cumque intuitiva claritate, denuo producit: contra, Imaginatio productiva, vi combinationis datarum repraesentationum sensibilium, sponte sua, novas repraesentationes effingit, qualis est v. c. novi cuiusdam aedificii delineatio, unde etiam Facultas fingendi, merito appellatur. Quodsi Imaginatio productiva, languida est: Imaginationes rerum, olim perceptarum, tanta cum obscuritate et confusione restaurat, ut vera earum facies, ac proprietas, prorsus pereat, tumque Imaginatio productiva, quia quod deest, suplet, re ipsa, repraesentationem depravare putanda est. Sin autem languor, productivam quoque Imaginationem occupaverit: tum vero Animus, in progressu cognitionum suarum felici, et vividitate, et energia destituatur, et inertem contrahat pigriciem, et libera ac spontanea sua actuositate excidat, necesse est. Contra, si Imaginatio, iusto vividior fuerit: tum vero repraesentationes, sive renovatae, sive recenter effictae, eandem cum externis Perceptionibus vim in Animo exserunt, atque Illusiones et Errores progignunt, — unde procul dubio factum esse debuit, ut apparitiones mortuorum, et spectrorum, tanta quondam fidentia fuerint recitatae, propagatae, adsertae, et defensae.

§. 143. Vis reminiscendi.

Cum Vis reminiscendi, Repraesentationes pristinas, si eae denuo in conscientiam ingrediuntur, cognoscere rursus debeat: tum vero illa, in hac occupatione restringetur, si Repraesentationes, aut originarie non satis clarae, perspicuaeque fuerint, ut profundam, vivamque impressionem in animo facerent, aut longinquitate temporis, impressio isthaec, vicissim animo deleretur, exstingueretur-que. In utroque casu, Illusio potest habere locum, quae nobis occassionem praebet, aut ad varia Obiecta pro identicis, aut identica pro diversis habenda, proinde ad errandum.

Obs. Repraesentationes nostras, quas olim habuimus, vicissim conscientiam nostram, ope memoriae, et imaginationis subire, res est in facto quotidiano posita. Enimvero, simulac hae animi functiones, ulla in parte debilitatae forent, ut nec repraesentationes priscas fideliter adservarent, nec eas vivide restaurarent: profecto debilitatem quoque Reminiscentiae post se traherent. Sive itaque hoc ponas, in prima Perceptionum nostrarum oportunitate, repraesentationes de Obiecto, non debita cum claritate nos, nobismet comparasse; sive hoc, olim quidem, claras nos habuisse repraesentationes, sed longa temporum intercapedine, eas decoloratas quasi, et obliteratas paene esse: utroque in casu intelliges, non amplius nos, tam accurate eorum recordari, quae olim percepimus, ut veram differentiam, aut identitatem liceat recte diiudicare. Quo facto, ut nova Illusionibus ac Erroribus occasio sit oblata, necesse est.

§. 144. Associatio repraesentationum.

Repraesentationes, in interno Sensu, cum etiam involuntarie, secundum tamen Leges Associationis repraesentationum, inter se coniunguntur, tum vero, occupatio cogitandi, per hoc iam promovetur, iam etiam impeditur, prout scil. aut Repraesentationes, ad logice regulares, et completas cogitationum series, necessariae, in Mente excitantur, aut prorsus aliae adducuntur, quod ipsum efficit, ut heterogeneis quibusque repraesentationibus, inter se permiscendis, ac commutandis, per hoc oportunitas subministretur.

Obs. Si vel methodice cogitamus, neque tamen repraesentationes quasque nostras, voluntarie semper, certoque cum consilio, inter se coniungimus, cum plures earum sint, quae in seriem cogitationum nostrarum, imprudentibus nobis irrepunt, quaeve, licet legibus Associationis congruenter, colliguntur, neque tamen logicum inter se nexum efficiunt. Atque haec fortuita, temereque saepe facta Repraesentationum coniunctio, eo quod nulli universali, ac necessariae Legi potest subiici, magnum omnino, et periculosum habet in cogitationes influxum, si quidem involuntaria hac, in seriem cogitationum, irreptione, non tantum confusae cogitationes, continuo in nobis exsistunt, sed etiam hoc facto, falsae notae semet, in Conceptum insinuant, atque, ut vera eius criteria negligantur, aut etiam obliterentur, perficiunt. Quamobrem, fortuito Repraesentationum concursu, vi Associationis conglobato, idem nobis evenire putandum est, quam, cum in pravam

hominum societatem incidimus. Illo scil. in lapsus cogitationum irretimur, hac in nequitiam actionum pellicimur, seducimurque.

§. 145. Lingua.

Cum Mens humana, ad Repraesentationes suas, et firmandas ac stabiliendas, et etiam communicandas, certis quibusdam signis, seu symbolis opus habet; inter omnes vero, quae modo fieri possunt, signandi ac describendi species ea est palmaria putanda, quae tonis articulatis, vocibusque conficitur: profecto, Lingua, hoc consilio, magnum omnino momentum, ad cognitiones nostras promovendas, ac perficiendas adfert. Enimvero, in magna hac, quae inter homines, ac nationes obtinet, linguarum copia, ac varietas, in magna hac, quam nemo ignorat, liguarum solide condiscendarum difficultate, in gravi hac linguarum, quae cuique propria est, ac inevitabili paupertate, et quae inde exsistit, et singularum et coniunctarum inter se vocum ambiguitate, — fieri nequit, ut non simul signa quoque illa Repraesentationum nostrarum arbitrarie descripta, uberes aperiant fontes, ex quibus Illusio, ac Errores, in nobis possint scaturire, ac profluere. Errores, qui hac ratione in mente nostra exciuntur, Symbolici appellantur.

Obs. Repraesentationes mentis humanae, aliquid eius generis sunt, quod Internum dicimus, cuiusque Repraesentans ipse, nonnisi in momento Repraesentationis conscius est, eo quod, dicto citius praetervolat. Quae, ut quam firmissime maneant, et stabiliter perdurent, cumque aliis communicari queant, externo quopiam signo opus erat, quod Memoriam, cum debita praecisione, ad internum illud excitet, ut eius cogitatione, res ipsa signata, continuo repraesentetur. Internas nostras cogitationes, conatus, desideriaque, id genus signis exhibere, et manifestare, cumque aliis communicare, tantumdem est, ac loqui. Complexus signorum sensationis, cogitationum, conatuumque nostrorum, vocatur Lingua. Ea est, aut oculorum, aut aurium, tonis articulatis comprehensa. Quamquam autem Lingua, in potentissimo insit instrumento, partim ad cogitationes nostras tenaciter adservandas, communicandasque, partim ad omnem omnino cognitionem amplificandam, quid? quod illa in summa inesse debeat conditione universi, et Intellectus et Rationis usus, ac culturae: attamen, quia Lingua quaeque, etiamsi excultissimam illam sumas, multiplici ratione restricta, ac circumscripta est: fieri profecto nequit, quin illa, quam plurimis, et Illusionibus, et Erroribus, oportunitatem nobis subministret ipsa. Scil. cum tanta sit Linguarum varietas, ut eas percipere omnes penitus, et callere solide non opis sit humanae, si quidem vix maternam Linguam ex asse, sineque defectibus comprehendere possumus, — cum et materiales, et formales Linguarum proprietates, adeo prolixae sunt, ut eas perfecte tenere, ac exhaurire, nemo est, qui, vel solertissima industria adhibita valeat, — cum nulla sit Lingua, tanta vocum ubertate, et amplitudine praedita, ut ad omnes omnino nostras cogitationes, voluntates, ac relationes designandas, sufficiat, quin ad tecta troporum, ac figurarum artificia, aliasque technas, vix evitabiles confugiendum sit,

unde ambiguitas omnis generis, exoriatur necesse est; quis non videat, quam plurimos errores, ex hoc fonte ad omnes certe populos, ac nationes semper dimanasse, hodiedumque dimanare.

§. 146. Facultas Mentis connitendi.

Ipsa quoque Mentis Facultas connitendi, empiricis illis determinationibus, quas assumit, Fons fieri potest variorum Errorum, si vi earum, Receptivitas Animi ad veritatem amplectendam debilitata, naturaleque virium cognoscendi aequilibrium sublatum fuerit. Hinc exsistit Insalubritas Intellectus, quae plerumque, cum animo insincero coniuncta est, et in obliqua eius Directione consistit, vi cuius is actus, stimulis inclinationum, quoad cognitiones determinatur, et per hoc ipsum, ad Iudicia ex una tantum parte ponderata, factionique dedita seducitur. Errores, qui hac ratione progignuntur, pathologici possunt praecipuo iure appellari.

Obs. Magna Errorum nostrorum copia, ea propemodum, et sola ratione continetur, quod Verum, sincere, et sine adulteratione cognoscere nolimus, atque veritatem, nonnisi in tantum audiendam putamus, in quantum ea, nostris cum propensionibus, vanitate, dominandi libidine, lucri cupidine, et aliis nostris affectionibus sensualibus, consonare videtur. Optamus v. c. ut, adversarius noster, quem odio prosequimur, iustitiâ causae destitueretur: qua optatione, intellectus continuo obnubilabitur, tanto quidem opere, ut rationes adversarii nostri, non amplius videamus, neque vim earum sentiamus, et ob eam unicam rem quidem, quod nolumus, ut adversarius noster, de nobis triumphum reportaret. Fons ergo Erroris, hoc in loco, in facultate nisus, vel quemadmodum vulgo vocant, in Facultate Appetendi inest. Ideo in Theoreticis labimur, quia in practicis male sumus comparati. In Speculatione erramus, quod invitamentum veritatis, pure naturale amisimus, neque amplius veritatem, propter se ipsam, sed propter sequelas consectamur. Atque haec vera est sensu proprio Insalubritas Intellectus, nec Ignorantia, quae in defectu cognitionis inest, neque Amentia, cui Medicus, curato corpore medebitur, dicenda: eo quod, indole morali depravata, Intellectus pervertitur, eatenusque Homo, Veri, Bonique amoris, sensusque Iusti et Honesti, proinde Receptivitatis Virtutis et Veritatis, peraeque facit iacturam.

§. 147. Externae Hominis Circumstantiae.

Denique, magnus est, externarum quoque illarum Circumstantiarum numerus, quae cognitionem quidem veritatis, parte quidem ab una amplificant, ab alia tamen parte eam sufflaminant. Huc spectant v. c. Conditio Corporis, Educatio, relationes sociales, vitae ratio, et plurima alia rerum adiuncta, quae iudicia nostra multiplici ratione, adeo modificare possunt, ut mens, vi earum percita, a veritate discedat. Proinde externae quoque hae nostri adiunctiones, ad Fontes illos referendae videntur, ex quibus nobis, Illusiones ac Errores propinantur.

Obs. Affectiones Corporis, maximam procul dubio habent vim, in Facultate nostra cognoscendi, sive scil. Temperamentum universe re-

spicias, quod ab organisatione pendet, hominemque intuitu spiritualis suae actuositatis, iam segnem, iam solertem efficit, — sive discrimen eius sexuale, aetatem, conditionem, aliaque eiusdem adiuncta, consideres. Compara quaeso, si placet Phlegmatici et Cholerici, Sanguineique, mox Viri et Foeminae, item Iuvenis et Senis, Valetudinarii, et bene valentis cogitationes, ac Iudicia, de uno, eodemque Obiecto: et tum, quanta sit inter utrosque discrepantia, non sine stupore animadvertes. Adde, quantum Clima, quantum Alimenta, affectiones Corporis nostri perpetuo modificent ac demutent: nihil amplius dubitabis, cogitationes, Iudiciaque nostra, multum ab his pendere. Unde facile colligas, multo maiorem adhuc esse vim Educationis, ut infitiari nequeas, animos nostros, adeo in utramque partem in potestate Educatorum nostrorum esse, ut pauci sint, qui non toto vitae suae curriculo, quibus olim imbuti sint principiis, monstrent. De vitae vero ratione, de conditione, gradnque dignitatum, honorum, ordinum, generis ac prosapiae, de paupertate, opulentia, ipsaque quotidiana, novorum rituum consectandorum, Cacozelia (Mode) nihil opus est, pluribus commemorare, cum non monitus, facile quisque per se videat, cogitationes, indolemque nostram, dum a materialibus his actuositatum nostrarum conditionibus pendemus, novis ac novis Illusionum, atque Errorum periculis nosmet obiici.

§. 148. Verus Erroris Fons.

Quantumlibet, varii possint esse Illusionis, atque Erroris Fontes: vero tamen sensu nunquam non duntaxat Intellectus et Ratio, seu superior haec cognoscendi Facultas, in quantum scil. haec iudicat, est, quae errat, proinde Vis ipsa iudicandi. Omnes autem Facultatis huius iudicandi Errores, qui postmodum, sive a nobis ipsis, sive ab aliis, pro falsis Iudiciis, atque Erroribus recognoscuntur, proxime quidem, aut ex naturali debilitate, aut ex defectu exercitii, aut denique ex inopia attentionis progignuntur.

Obs. In Legibus Intellectus, atque Rationis, in quantum eae, originarie constitutae, determinataeque sunt, nihil falsi, erroneique inesse potest, cum ipsa, omnis cognitionis nostrae Possibilitas, inde pendet. Sed in applicatione demum Legum illarum, facile casus interveniunt, rerumque adiuncta, quae pro Fonte Errorum haberi possunt, dum Facultas iudicandi, actuositatem suam sponte sua exercet; quae, cum novis ac novis applicandi Legibus, contineri tamen a periculo Erroris non posset, si quidem in infinitum eae augeri et multiplicari deberent, ipsa suae libertati erat relinquenda. Hinc, si summam omnium Illusionum ac Errorum oportunitatem, defectui Attentionis adscribas, rem acu tetigeris: nam cum ex una quidem parte, praecipitantia, ex alia autem parte, Incogitantia hinc exoriantur, nihil miraberis, nos tot sinistris saepe laborare iudiciis, Errore proprio et libere commissis.

§. 149. Error principalis, seu radicalis.

Quamobrem, omnes omnino Errores, in falsis versantur Iudiciis, quae intuitu certi cuiusdam Subiecti, speciem, seu colorem veritatis illusorium prae se ferunt, atque ipsa illa, ex Illusione exsistunt. Quodsi id genus Iudicium universale est, atque in vicem

Principii, aliis falsis Iudiciis fundamenti loco substernitur, Error principalis seu radicalis appellatur. Ipse ergo hic Error, vicissim novorum Errorum Fons est. Sed Errores, a meris opinionibus praeiudicatis, s. Iudiciis praeviis, v. praeliminaribus (vulgo, sed minus bene Praeiudiciis) discerni debent, in quibus scilicet, non tam eorum argumentum, quam modus Originis consideratur.

Obs. Iudicium isthoc: Sol et reliqua Sidera omnia, quotidie circa Terram, ab Oriente versus Occidentem revolvuntur, est falsum: licet speciem habeat Veritatis, et ex Illusione nascatur, cum re vera, cuique nostrum, apparenter ita videatur, ac si Sol, et reliquae stellae, in Oriente orirentur, et in Occidente occiderent. — Quodsi, quis hoc Iudicium, in Praemissam sequentis Syllogismi adoptando, sic concluderet: Inter Corpora Mundi coelestia, illud pro primario, et maximo habendum est, circa quod Sol, et reliqua sidera omnia rotantur. Atqui et Sol, et omnia Sidera, circa Tellurem nostram circumaguntur. Ergo — nae is ex falso Iudicio, aliud eliceret Iudicium peraeque falsum. Illud ergo, quod fundamenti loco positum erat, est in Errore fundamentali, s. Principio falso. Atque, hac ratione demum, Errores omnes, quemadmodum lolia propagantur, continuata per Naturam, ipsâ quoque errandi oportunitate.

Errores tamen, a Praeiudiciis, ut aiunt, in tantum differe putandi sunt, quod illi, semper in falso Iudicio versantur, haec autem vera esse possunt. Praeiudicia sensu latiori, vel potius Iudicia praevia, seu opiniones praeiudicatae, sunt id genus Iudicia praeliminaria, quae prius pro veris sumuntur, quam de rationibus eorum iudicanti posset constare. Iudicia huius generis, non semper sunt falsa, atque ut talia, problematice, eo consilio assumuntur, quo sic eorum adiumento, alia quoque detegantur, improbari nec possunt, nec debent, quamvis Rationi non videatur universe approbandum, ut, quidlibet demum id fuerit, prius pro vero habeatur, quam rationes Veritatis perspiciantur; cum hoc, in oportunitate magna insit, ad Illusiones contrahendas, atque Errores committendos.

Praeiudicia, sensu stricto, illa sunt, quae semper, falsa sunt Iudicia, quibus interim, alia vicissim innituntur. Atque, haec sunt, quae maxime perniciosa, omnique studio animis hominum eradicanda, videntur. Enimvero, maxima cum cautione, quae modo adhiberi potest, prudentique Circumspectione opus est ei, qui Praeiudiciis tollendis, operam dare voluerit utilem. Sed in primis, in Praeiudiciis religiosis, hoc valere debet, quae homines, ex Educatione, Institutione publica, politicisque et ecclesiasticis Relationibus, fide auctoritatis nixi, iam dudum inbiberunt, cumque iis normas morales, seu elateres, coniunxerunt. Exstirpatio itaque Praeiudiciorum horum, non prius auspicanda erit, quam in promtu sit, quod in eius locum collocandum videatur, idque tale, quod nec Veritati, nec Moralitati adversum esse censeatur.

Caeterum, Praeiudicia quaeque, sensu tamen stricto sumta, in Praeiudicia Auctoritatis et Temporis dividuntur. Praeiudicia Auctoritatis vicissim, aut sunt Praeiudicia Auctoritatis, Personae, quale est v.

c. illud: αυτος εφα, aut Praeiudicium Auctoritatis Multitudinis, qualis est v. c. Fides isthaec carbonaria: Credo, quod Ecclesia credit. Praeiudicia autem Temporis, aut sunt Praeiudicia Antiquitatis, aut Praeiudicia Novitatis, quibus ambobus, hominum genus esse obnoxium, quis est, qui, et in se, et in aliis peraeque non animadvertat.

§. 150. Errores originarii et derivativi.

Omnes ac singuli Errores, aut originarii sunt, aut derivativi: prout scil. ii, pro[illegible]e, aut ex mera Illusione, aut ex alio, qui iam praesto est, Errore proveniunt. Sed ii, respectu propioris eorum Relationis, ad ambas actuositatis humanae species cardinales; in theoreticos et practicos distribuendi videntur. Errores practici, vim suam (influxum) in actionibus nostris exserunt, cum scil. falsos fines, falsaque media, ad eos consequendos, nobis ostentant: quod in theoreticis Erroribus locum non habet. Principio quoque, Errores originarii debellandi sunt, eo, quod derivativi Errores postmodum, per se extenuantur, et evanescunt, aut saltim facilius abolentur. Et quia Errores practici, theoreticis perniciosiores existimandi sunt: intelligitur, Errores practicos, prius, quam theoreticos esse exstirpandos, nisi forte, quod frequenter accidit, Errores practici, ex theoreticis originem duxisse videantur.

CAPUT II. Therapeutica logica.

§. 151. Error, evitabilisne, an inevitabilis?

Quandoquidem Error universe, ex certis conditionibus, cognitionem humanam restringentibus oriatur, conditiones autem hae, a subiecto cognoscente, in quantum id empirice determinatum est, inseparabiles sunt (§§. 134, 135.): profecto, Error, si collective, seu universe sumas, inevitabilis est. Quia vero, quilibet Error, singillatim consideratus, postremo, ex certa Illusione nascitur (§§. 136, 150.), quae in se, et per se sumta, nondum Iudicium est, neque nos ad iudicandum impellere, cogereque potest: si sapientes, prudentesque nos praestiterimus, impediri sane poterit, ne Illusio, Errorem in nobis progignat, proinde Error, distributive consideratus, re vera evitabilis esse videtur. Quamvis ergo errare humanum est: operam tamen dare, ut ab erroribus liberemur, longe humanius esse putandum est.

§. 152. Duplex Erroris remedium.

Remedia Erroris, aut praeservativa sunt, si ipsum Erroris ortum prohibent, aut sanativa, si errorem, qui praesto est, tollunt.

§. 153. Remedia Erroris praeservativa.

Ad praeservativa Errorum remedia, referuntur sequentia: ipsa virium cognoscendi notitia, — variorum Erroris fontium co-

gnitio, — Providentia in iudicando, — retentio Assensus in dubiis iudicandi casibus.

Obs. Ad notitiam Facultatis nostrae cognoscitivae, notitia legum actuositatis, et limitum applicationis earumdem, pertinet. Qui enim vires suas hac ratione cognoscit, procul dubio iis, et congruenter earum regulis, atque ita utetur, quemadmodum hoc, finalitati, quam maxime videatur respondere; neque se patietur seduci ad errorem, ut plus iis velit efficere, quam quousque eae porriguntur. Atque hinc pendet determinatio Horizontis cognitionum nostrarum, qui aut absolutus, aut relativus est. Quare intuitu Horizontis absoluti, minime arroganda est licentia, ut de rebus feramus iudicium, quae terminos cognitionis humanae migrant: tum enim, in summum errandi periculum, ipsi nosmet coniiceremus. Privatus autem cuiusque nostrum Horizon, non necessarios habet limites, quin eos continuo, et sine intermissione, quoad eius fieri potuerit, amplificare, in officio sit gravissimo. Quae privati Horizontis amplificatio, ut eo magis e voto, et ita succedat, ut simul errandi oportunitates feliciter praecaveantur, varii errorum fontes erunt diligenter cognoscendi. Nam, qui cogitando et providendo praecipit, quae, et quanta ei in Oceano Cognitionis a scopulis, vorticibus, et syrtibus impendent pericula, aut facilius ea effugiet, aut saltim tutus eis praetervehetur. Quod ipsum etiam est, quo is, in qualibet iudicandi functione, cautus, circumspectus, ac prudens reddatur, ne unquam, aut praecipitanter iudicium ferat, aut incogitantiâ, inertiae crimen incurrat, sed cum omni considerantia, maturaque reflexione, ad iudicandum accedat. Certe, Praeiudicia Auctoritatis, non difficulter exuuntur, ast, Praeiudicia Praecipitantiae, tam vicina nobis sunt pericula, ut contra illa, toto nobis, vitae nostrae curriculo, mascule videatur esse decertandum. Denique, si tamen ad liquidam certitudinem non licuerit nobis eluctari, optimum, contra errores, remedium esse videtur, si nos a iudicando penitus contineamus, quod Retentionem adsensionis vocant. Qui enim non iudicat: profecto is, ne errare quidem potest, cum falso non iudicârit. Quae adsensionis retentio, quamquam inscientiae sit confessio, nemo tamen dedecorari se ea opinetur. Aliud enim est Inscientia, simplicitate, hebetudine, aut inertia contracta, aliud vicissim Inscientia illa, quae ex eo nata est, quod solidam cognitionem in prospectu habeat.

Ab Inscientia, Ignorantia videtur distinguenda, quae exsistit, cum ideo Obiectum quodpiam cognoscere nolumus, quod illud parvi esse putamus, aut quod notitia eius uberior, ad fines nostros nihil confert. Sed in investigationibus scientificis, nunquam illud: cui bono? quaerendum est, verum in cognitione rerum, ea solertia grassandum, idque sine intermissione, quasi nihil ignorare omnino vellemus. Certe, dudum actum fuisset de omnibus Scientiis, si, qui in iis perficiendis elaborarunt, de lucro materiali solliciti, tali quaestione, se in sua palaestra, sponte ivissent retardatum.

§. 154. Remedia sanativa.

Quodsi Error, re vera iam contractus est: nonnisi unicum est, exploratum illud remedium, quod contra Errorem adhibendum videtur, atque hoc in detectione et solutione Illusionis illius

inest, ex qua ille natus est. Detegitur autem Illusio, si causa occasionalis, falsi cuiusdam Iudicii, in determinato casu, cognoscitur: solvitur autem Illusio, si falsitate Iudicii perspecta, verum Iudicium, in locum falsi ponitur.

Obs. Interdum fieri potest, ut ad Conscientiam Erroris perveniamus, quin tamen errore prorsus liberati videamur: v. c. cum in progressu cogitationum nostrarum, id genus Iudicium offendimus, quod verum quidem esse nobis videtur; attamen alii cuidam Veritati, cui nos adsentimur, repugnat. Quo in casu licebit quidem alterutrum Iudicium abiicere; sed si evenerit, ut vero Iudicio renunciantes, falso fuerimus adstipulati: tum sane, cura non radicalis, sed palliativa duntaxat esse putanda est. Quare ad primum Erroris fontem adscendendum est, ut omni errandi periculo obstruamus, errorque ipse radicitus exstirpetur. v. c. si refractione radiorum lucis, opticam te incurrisse fallaciam observasti, monitum te putabis, in casibus similibus, non Illusioni Sensuum, coeco impetu esse credendum, sed investigata prius re ipsa, fore iudicandum.

§. 155. Remedia errorum Sensus externi.

Quoad errores illos, quibus oportunitas per Sensum externum suppeditatur, principio quidem, statum et conditionem organorum investigare oportet, et si constiterit, ea naturali sua perfectione destituta esse, eadem illis, aut universe restituenda, aut saltim pro Perceptionis momento reddenda est; — deinde autem, situs et status Obiecti investigandus, et si hic Organis non videbitur esse accommodatus, aut Obiectum ipsum legitimo Perceptionis puncto subiiciendum est, Obiecta vero intermedia, quae Illusionem possint excitare, removenda sunt, aut Perceptio variis temporibus, variasque inter Circumstantias, repetenda, Perceptionesque repetitae, diligenter inter se comparandae.

Obs. Qui oculorum, aut aurium vitio laborat: eum opticis et acusticis instrumentis oportebit esse armatum, nam si temere sensibus suis adsentiatur, in errores quam facillime seducetur. Quodsi autem neutrum horum fieri possit: iudicando is abstineat, quemadmodum id iam dudum, tali Proverbio cautum est: Coeco de coloribus iudicium ferre, integrum non esse.

Interim, si quoad Organa, nihil amplius eo fine instituendum videbitur, ut ea, ad Perceptiones aptiora reddantur: tum vero, danda erit opera, ut situs Obiectorum ita immutetur, ut ea, magis perceptibilia reddantur, v. c. aut oculus propius ad Obiectum admoveatur, aut Obiectum in viciniam oculi adducatur, aut ambo remotius, adque iustam distantiam, dimoveantur, aut etiam res, ex diverso Conspectus puncto consideretur. Certe in Astronomia, falsa de motu corporum coelestium iudicia, hac ratione potuerunt veritati congruenter emendari. Cum vero his omnibus remediis, nihil proficere licuerit: tutissimum erit, ab omni nos iudicio decisivo simpliciter continere, eo quidem diligentius, quo magis persuasis esse liceat, in tali rerum conditione, inter centum iudicia, profecto nonaginta novem fore semper erronea.

§. 156. Remedia errorum Sensus interni.

Quoad errores illos, quibus oportunitas per Sensum internum, facultatesque ad eum pertinentes, quemadmodum etiam per vitiosam Repraesentationum Associationem suppeditata est (§§. 139—144.) partim exercitio errores illi, defectusque tollendi sunt, qui nos ad Illusiones deceptorias pellicere possunt, partim repraesentationes originariae, quae vitiis illis atque defectibus vitiatae sunt, iterum adducendae, ut cum iis repraesentationes depravatae comparentur.

Obs. Qui ob debilitatem Memoriae frequenter errat, ita tantum mederi errori suo potest, si Memoriam suam exercendo, robur illa acquisiverit, et stabilitatem. Qui Phantasiae vividitate, quam saepissime decipitur, is eam rerum abstractarum meditatione, diligenti Philosophiae et Matheseos studio refrenabit. Denique, si quis observaverit, Memoriam, Imaginationem, Reminiscentiamque suam, in certo, determinatoque casu, a Vero aberrasse: tum vero originariae repraesentationes sunt consulendae, v. c. nomina depravata corrigenda, numerus, ex autographo restituendus, apographum cum autographo comparandum etc. Quae omnia, dum locum non habent, Iudicium videtur esse suspendendum.

§. 157. Remedia errorum, ex Linguis contractorum.

Erroribus, quibus contrahendis, signa cogitationum verbalia, seu Lingua suppeditant oportunitatem (145) partim solido Linguarum illarum studio, remedium quaerendum, et opponendum est, quibus ad cognitiones nostras consignandas, colligendas, et communicandas utimur, quas inter Lingua materna eminet; — partim autem notitia Regularum Criticae et Hermeneuticae, iidem errores sanandi, et tollendi sunt. Quibus omnibus, vitium quoque simul evitandum erit, meras voces, pro rebus ipsis sumendi, quod non solum in se, et per se, in errore versatur, sed etiam varios alios errores, et contentiones verbales, seu Logomachias progignit.

Obs. Quo perfectius, atque accuratius, Linguam quampiam cognoscimus, eo citius alios, qui suas nobiscum cogitationes communicant, intelligimus, ipsique nos nostra animi sensa, eo clarius aliis proponere valemus. Quandoquidem autem Lingua materna promtissimum vehiculum est, ad cogitationes quasque communicandas: intelligitur, Culturam Linguae maternae, in palmario cuivis homini et civi inesse officio. Certe studium Linguarum, si ut par est, diligenter pertractatur, ac perpolitur, neque id in minutias, seu nugas eruditas degenerat, non tam parvi pendendum est, quemadmodum vulgo fit, cum tamen multae dissensiones, ex defectu cognitionis Linguarum accuratae videntur, esse repetendae. Quaelibet certe Lingua, Commentarii loco est considerandа, cum Leges cogitandi ab ea, veluta speculo fideliter reverberantur.

Regulae criticae et hermeneuticae, vel maxime cognitae iis esse debent, qui scriptis antiquis, sed in Linguis mortuis exaratis, ad cognitionem suam amplificandam, uti volunt. Quis est, qui nesciat, quam multi, quamque graves errores theologici, ex eo originem suam du-

xere, quod Theologi antiquiores, nulla Critices ac Hermeneutices luce fuerint collustrati: cum tamen errores huius generis, solis Philosophiae armis, possint feliciter propulsari. Certe, solidum cuiusque Linguae Studium id efficit, ut animus mature consuescat, non in cortice solo haerere, sed interna ipsa rerum petere, ac penetrare.

Non quaelibet de verbis contentio, Logomachia dicenda est, sed illa duntaxat, cum inter duas Opiniones contrarias, nulla reali intercedente differentia, de meris verbis disceptatur.

§. 158. Remedia errorum, ex immorali indole contractorum.

Contra errores, qui ex immorali indole nascuntur, (§. 146.) nullum aliud remedium superest, quam ipsa eiusdem, abolitio, et exstinctio, quo sic, purum, atque vivum Veritatis invitamentum, in animo ipso excitetur. In casibus autem singularibus, cavendum in primis, atque diligenter, ne praedilectis nostris opinionibus imprudentes decipiamur, adeoque quaelibet demum Iudicia, quae cum iis aliqua demum ratione cohaerent, eo severius examinemus.

Obs. Quae hic, de immorali animi indole refrenanda, pluribus dicenda forent, ea ad Doctrinam moralem spectant, ut Logicae, satis sit monere, quod cum id maxime agitur, ut rectum Iudicium pronunciemus, a propensionibus nostris cavendum nobis esse, quas cum ante omnia, et libentissime solemus saturare, facile illae, Iudicia quaelibet depravant. Quid? quod ad genuinum Veritatis invitamentum, vel maxime animus requiritur, qui Veritatem quamlibet sine discrimine reverearur, ut is, de maiori et minori Veritatum momento, ne quaerendum quidem putet. Nam, ut Lessingius loquitur, haec aut illa Veritas, velut essentialis cognitionis nostrae proprietas, tanti esse debet momenti, quemadmodum quaelibet alia, ut, qui in re minima, frigida ducitur, erga Veritatem et Falsitatem indifferentia, nunquam me persuadebit, Veritatem eum amare propter se ipsam.

§. 159. Remedia errorum, externis Circumstantiis contractorum.

Denique, quod errores illos concernit, quibus externae Circumstantiae suppeditant oportunitatem, (§. 147.) et sensu strictiori Praeiudicia vocantur (§. 149. Obs.) sollicitam navare oportet operam, ut omnia illa Iudicia, de quibus constat, ea, antequam solidae investigationi a nobis fuissent subiecta, pro veris esse per nos adoptata, praecipue autem illa, quae in annis iuvenilibus, ante obtentam Intellectus maturitatem, propter solam auctoritatem amplexi sumus, postmodum, tanto severiori examini subiiciamus.

Obs. Sed in hac examinatione, sollicite cavendum est, ne in alium errorem praecipitemur, qui tunc plerumque contrahi solet, cum adsertio quaedam, falsis rationibus fulcitur. Quo in loco, minime quodpiam Iudicium, ideo statim nomine erroris repudiandum est, aut Iudicium oppositum, pro vero sumendum, quod rationes pro illo allegatae, parum aut nihil ponderent. Investigatio profundius adhuc erit instituenda. Quaerendum scilicet, nonne res eadem firmioribus argumentis posset constabiliri, atque etiamsi hoc non succedat, annon oppositum

Iudicium, perinde abiiciendum videatur. Nam si Caius rectum non habet, non sequitur, eius adversarium Titium, ob id ipsum iam rectum habere.

§. 160. Resultatum Remediorum Erroris.

Resultatum Investigationum, quas nunc statim de erroribus, eorumque Remediis instituimus, paucis his Regulis, videtur esse comprehendendum.

1) Da operam, ut quam fieri potest, maxime perspicuam et solidam Legum Intellectus et Rationis ipsius intelligentiam tibi valeas comparare!

2) Facultatem tuam iudicandi, in applicatione Legum illarum, quam diligentissime exercebis!

3) Collige vires animi inter cogitandum, et fruere in primis faustis momentis, quae cogitando faverint!

4) Peregrinum quoque invitamentum, ab Obiecto investigationum tuarum longe ab segregabis!

5) Persuasiones tuas, iteratis vicibus, inter se comparabis, easque novis ac novis examinationibus subiicies!

6) Cum Persuasionibus aliorum, tuam quoque frequenter conferes, Iudiciumque aliorum de tuis Opinionibus, Praeiudiciis non occupatus, audies!

Obs. ad 1) Id quidem verum est, sequi nos Leges Intellectus et Rationis, dum cogitamus ac cognoscimus, quin earum distincte simus conscii; attamen, quia Leges illas ad singulares casus, quam saepissime, male applicamus: profecto, securam Legum illarum applicationem, a perspicua Legum cogitandi intelligentia, i. e. ab ipsa Logica esse exspectandam, dubitari nequit.

ad 2. Mera Regularum notitia, sine practica Facultatis iudicandi exercitatione, quae in applicatione inest, nihil valet. Id vero partim ita perficitur, si methodice nostras ipsorummet cogitationes pertractamus, — partim ita, si de aliorum quoque cogitationibus, methodicam nobiscum meditationem, identidem instituerimus.

ad 3. Nisi animus se, ope Attentionis, quasi intra se colligat, viresque ac functiones suas, ut in speculis fit causticis, in foco quasi consummet, nunquam in suis cogitandi functionibus feliciter versabitur. Quodsi is, aut distractus et dissipatus, aut vehementioribus commotionibus implicitus est: pronus in errores labitur. Quare fausta illa Temporis puncta, in quibus internus ille genius, quo interdum agitamur, vividasque in nobis motiones ciet, continuo apprehendenda sunt, ne oblatam foecundam cogitationum occasionem, sine utilitate sponte dimisisse videamur.

ad 4. Invitamentum peregrinum, non tantum animum in diversa distrahit, attentionem debilitat, sed etiam purum, vivumque Veritatis invitamentum deminuit, totum in eo occupatum, ut deceptrices propensiones, Veritati et Virtuti inimicas, in nobis valeat excitare.

ad 5. Frequens Comparatio, et repetita Persuasionum nostrarum examinatio, in potentissimo inest instrumento, errores nostros obser-

vandi, eosque exuendi, cum quo magis cognitiones nostras amplificamus, quoque maiorem in cogitando promtitudinem adquirimus: procul dubio, falsa quaeque Iudicia subreptitia, eo citius et facilius, in apricum producimus.

ad 6. Communicatio cogitationum nostrarum cum aliis, in se et per se, iam est instructiva, eo quod tum, quodlibet maiori cum Perspicuitate, et praecisa cum Determinatione pronunciare satagimus; unde de trito illo: Docendo discimus, ne momento quidem videtur esse dubitandum. Quodsi, alii quoque Iudicia sua, de Veritate aut Falsitate eorum, quae a nobis communicata accepere, alternis vicibus pronunciarint: tum vero contentio quaedam inde nascitur, detegendis erroribus apprime oportuna.

SECTIO II. Methodologia applicata.

§. 161. Partes Methodologiae.

Quandoquidem in hac Logicae applicatae parte, modus promovendae, et perficiendae cognitionis nostrae, sub certis empiricis cognitionibus instituendae, proponenda esse videatur (134): intelligitur, in hac, partim de acquirendis, partim de communicandis cognitionibus nostris esse commentandum: si quidem, utroque hoc momento, cognitio nostra universe perficitur, ad quorum utrumque, Methodum pertinere, in aprico est.

Obs. Hoc ergo loco, empiricae cognoscendi conditiones, minime ita considerantur, quemadmodum supra instituimus, in quantum scil. eae restrictivae sunt, sed in quantum cognitiones nostrae iis promoventur, atque amplificantur. Prius ergo videndum erat, quid circa eas evitandum habeamus, quam proponere liceat, quomodo possint cognitiones nostrae usu Remediorum contra errores instituto, sub conditionibus empiricis, ad maiorem evehi perfectionem.

CAPUT I. De adquirendis cognitionibus.

§. 162. Experientia Fons Cognitionis.

Cognitiones, principio, per Experientiam adquiruntur. Inest autem Experientia in Perceptione Obiectorum, ope Intuitionis, et Sensationis comparata.

§. 163. Obiecta empirica, secundum Leges diiudicata.

Cum Sensus, nonnisi Obiecta singularia repraesentant, nosque de eo duntaxat edocent, quod est, et accidit: intelligitur, sola Perceptione, nullum universale et necessarium Iudicium fundari, constituique, nisi vis iudicandi, in suis, de obiectis empiricis latis Iudiciis, secundum Leges agat, vi quarum, cognitionibus empiricis, certam quamdam Universalitatem et Necessitatem largiatur.

§. 164. Functiones Facultatis Iudicandi.

Hae Facultatis Iudicandi Leges, aut sunt Leges iam datae, aut tales sunt, quae quaerendae prius esse videntur. In casu priori, Facultas Iudicandi, ita solum agit, tanquam subsumens quaedam,

et determinans Functio, si quidem Particulare, ut sub Universali comprehensum, cogitat, idque, quod Particulare est, per Universale determinat. — In casu vero altero, Facultas Iudicandi, ita agere censenda est, tanquam abstrahens quaedam, et reflectens Functio, si quidem Regulae universales, ex Datis rerum singillativis, primum sunt abstrahendae, h. e. Universale, comparatione Particularis, debet ante omnia inveniri.

Obs. Si Leges datae sunt, eaeque, sive a priori v. c. Lex caussalis, sive a posteriori, v. c. Lex motuum Planetarum: utroque in casu Facultas Iudicandi, non alia ratione agit, quam quae agendi ratio, in Syllogistica exposita est. Enimvero, si Leges quaerendae adhuc esse videntur: tum sane, longe alia debet esse ratio agendi, quam Facultas Iudicandi observare debeat. Atque haec ipsa illa est, ratio agendi Facultatis Iudicandi, quae hic unice consideratur.

§. 165. Concludendi ratio, a Particulari ad Universale.

Cum Facultas Iudicandi, abstrahendo et reflectendo, in sua functione versatur, tum vero proprie, a Particulari ad Universale concluditur. Quandoquidem autem, cum Universalitate et Necessitate, tali ratione concludere non licet (§. 96. Obs. 2.), sane, in antecessum iam videre est, hanc super Obiectis empiricis reflectendi rationem, nullam apodicticam certitudinem, sed solam probabilitatem suppeditare, (Fund. §§. 93, 94.) eamque circumspecte duntaxat, magna cum providentia, interque certas Restrictiones locum habere posse.

§. 166. Logica, quae hic obtinet, Praesumtio.

Propensi scil. ad hoc sumus, ut ibi, ubi certum, rerum multarum consensum percipimus, maiorem quoque adhuc consensionem praesumamus, quam quae a nobis iam percepta est. Hoc itaque Iudicium; Ubi multa consentiunt ibi plura quoque et forte omnia consentire oportet, proprie non Ratiocinatio est, quâ Obiectum, quoad suam proprietatem, universaliter et necessario determinaretur, sed in sola logica Praesumtione versatur, quae nostram, super datis Obiectis reflectendi rationem determinat, atque proinde, plerisque nostris de Obiectis empiricis Iudiciis, tanquam Principium, fundamenti loco inservit.

Obs. Facultas cognoscendi, nunquam non ad maiorem, atque maiorem amplificationem contendit. Quare, quamlibet Sumtionem, quae nihil in se repugnantiae habet, conatuique Rationis fruitionem promittit, iustam esse putamus. Atque huius generis est illa Praesumtio, vi cuius, quam plurimas Perceptiones anticipamus, experientiamque nostram, in infinitum amplificare studemus. Nam cum noster percipiendi ambitus, restrictus est: profecto empirica quoque nostra cognitio, maiorem in modum restricta foret, si Iudicia nostra, de Obiectis empiricis lata, in eo subsisterent, quod immediate percipimus. Praesumimus itaque, quod, ubi multa in uno consentiunt, communem aliquam rationem, qua multa illa in consensu suo nituntur, locum ha-

beant, atque eiusdem ope multa quoque alia, cum multis illis cohaerere, proinde pariter consentire posse. Quamobrem nos, tali ratione, a particulari et fortuito, quod percipimus, ad Universale et Necessarium, quod nonnisi comparativo pollet valore, attollimus. Quia vero in casibus innumeris, hanc nostram iudicandi rationem, Perceptione ipsa confirmatam reperimus, consequenter Praesumtionis illius valor, in, cum, et per experientiam exploratus esse videtur: cum fiducia illi insistimus, tanto quidem opere, ut Probabilitas Iudicii, in Certitudinem evadat. Sic, quia in innumeris animalibus motus arbitrarios observavimus: praesumimus, reliqua etiam animalia, quae nondum percepimus, arbitrarios motus habere, proinde, plura quoque in hoc uno consonare. Haud absimiliter, Medici quoque, hac Praesumtione nituntur, cum a certis Symptomatibus consonantibus, ad determinatam morbi formam concludunt.

§. 167. Inductio, eiusque Principium.

Multa illa, primo quoque, ita inter se consonant, ut illa, eius generis res sint, quae sub certo quopiam Conceptu generico, comprehenduntur, et in quibus, commune quoddam, iam positivum, iam negativum Criterium deprehenditur. Tum vero praesumimus, hoc Criterium, etiam in reliquis, sub illo Conceptu comprehensis rebus, quas nondum percepimus, deprehensum iri. Id cum agimus, Inducere dicimur, atque constitutio Iudicii, eatenus facta, Ratiocinium, s. Argumentum Inductione compositum nominatur. Principium itaque, secundum quod Facultas Iudicandi, hoc in casu reflectit, hac Enunciatione continetur: Si quid de multis, ad idem genus, eandemque speciem pertinentibus rebus valet: idem de reliquis quoque eiusdem generis, et speciei rebus valere debet. (§. 43.)

Obs. Inductio, est enumeratio particularium, ad Universale diiudicandum instituta. Quod si, quae enumerantur res, sunt singulares, atque ex iis species diiudicantur, tum vero Inductio est individualis. v. c. Mercurius, Venus, Tellus, Mars etc. sunt Corpora opaca, lucemque sibi a sole mutuantur. Ergo, omnes quoque Planetas reliquos, simili ratione comparatos esse oportet. Sin autem, quae enumerantur, Species sunt, eo consilio propositae, ut ex iis Genus liceat diiudicare, Inductio vocabitur specialis, v. c. Animalia quadrupedia, aves, pisces, amphibia, etc. arbitrariis gaudent motibus. Ergo omnia quoque Animalia, pro arbitrio, quaeque suo, moventur. Unde facile perspicitur, Inductionem specialem, individuali niti, omnemque Inductionem, ultimato, individualem esse debere. Quamobrem, Logica, nihil diligentius Naturae Scrutatoribus commendat, quam ut empiricas quasque Inductiones, in se, seu absolute, pro incompletis habeant, novarumque detectionum spem, nunquam abiiciant. Proinde, quaelibet empirica Inductio, nonnisi relative completa est, intuita scilicet Perceptionum hactenus habitarum, eamque duntaxat comparativam nobis porrigere Universalitatem.

§. 168. Analogia, eiusque Principium.

Deinde, multa illa, ita quoque inter se consentire possunt, ut illa, in talibus determinationibus, seu proprietatibus insint, quae rebus eiusdem speciei conveniunt. Tum vero praesumimus, has res, etiam in reliquis partibus, quas nondum percepimus, consensuras fore. Id cum agimus, analogisare dicimur, atque constitutio Iudicii eatenus facta, Ratiocinium, seu Argumentum secundum, vel per Analogiam compositum nuncupatur. Principium itaque, secundum quod, Facultas iudicandi hoc in casu reflectit, hac Enunciatione continetur: Si res certae cuiusdam speciei, in pluribus partibus consentiunt, eas in reliquis quoque, convenire oportet.

Obs. Analogia universe in Proportione, qua res invicem similes declarantur, inesse videtur. Quare, secundum Analogiam iudicare, tantundem est, quam res, pro similitudine earumdem mutua diiudicare. Sic Philosophus, secundum Analogiam Scripturae, Theologus, secundum Analogiam Fidei, Iurisperitus, secundum Analogiam Iuris iudicant. Quia ergo Analogia, certam concludendi rationem, a particulari ad universale indicat, eâ non aliud intelligimus, quam argumentationem, a particulari, duarum aut plurium rerum Similitudine, ad totalem earumdem Similitudinem eliciendam, v. c. Sic: Caius cum Titio, quoad externas actionum rationes consentit: ergo intuitu quoque rationis cogitandi, cum eo consonet, necesse est. — item: Reliqui Planetae, Terrae nostrae, multiplici respectu sunt similes: ergo eos quoque, ut Tellurem nostram, inhabitatos esse oportet. Cum ergo in Inductione id agimus, ut demonstremus, certam quampiam Conceptus notam, omnibus determinatae cuiusdam speciei rebus competere, aut non: contra, in Analogia demonstrare satagimus, omnes unius, eiusdemque rei notas, uni aut pluribus aliis competere, eo quod plures ex iis, huic, aut his competant. Ibi unum in multis, ergo etiam in ceteris: hic multa in uno, ergo etiam reliqua locum habere autumamus. Inductio ad Homogeneitatem, Analogia ad Specificationem rerum spectat. Consequenter, ut nonnisi, duae hae empirice concludendi, seu argumentandi rationes dentur, necesse est.

§. 169. Observationes, et Tentamina.

Vis iudicandi abstrahens et reflectens, h. e. Facultas cogitandi, in quantum haec a singulis Datis, Regulas universales abstrahere, s. comparatione particularium Universale invenire laborat (164.) suo quidem hoc Principio: Ubi multa consentiunt, ibi plura quoque, et forte omnia consentire inter se oportet, (§. 166.) universalia simul, et necessaria de Obiectis empiricis Iudicia progignit, ac constituit, atque hac methodica agendi ratione, Experientiam ad cognitionem scientificam evehit. Enimvero, cum Principium isthoc, nonnisi in logica Praesumtione inest: intelligitur, inductivam, et analogicam Argumentationem, non apodicticam, sed tantum probabilem esse. (§. 131.). Consequenter, Iudicia quoque Inductioni et Analogiae superstructa, non cum plena certitudine, sed tantum magna cum probabi-

litate coniuncta esse possunt: proinde, Universalitas et Necessitas Legum Cognitionis empiricarum, hac ratione inventarum, duntaxat comparativa, seu relativa esse putanda est (§§. 163, 165.).

§. 170. Propria nostri, et peregrina Experientia.

Obiecta cognitionum empiricarum, aut per nos ipsos, aut per alia Subiecta, et illa ipsa percepta sunt, quorum Perceptiones, ad nostram pervenere notitiam. Quare, Experientia, in propriam et alienam potest distribui. Experientia quidem aliena, maiori Extensione prae illa praedita est, quoniam Summa eius, quod singulus aliquis percipit, multo minor esse debet, quam summa eius, quod ceteri omnes perceperunt, percipiuntque: sed tamen, Experientia propria, maiori Intensione pollet, eo quod fortius animum adficit: Hinc est, quod nonnisi propria experientia prudentiores efficiamur, simulque aptitudinem illam consequimur, ut peregrinam experientiam in usus nostros rite convertamus.

§. 171. Observationes et Experimenta.

Ad amplificandam propriam nostri Experientiam, Observationes, et Experimenta videntur esse instituenda. Observationes sunt Perceptiones datorum Phaenomenorum, certo cum consilio institutae, absque arbitrariis eorundem immutationibus: Experimenta autem sunt Perceptiones, certo cum consilio institutae, et talium Phaenomenorum, quae pro arbitrio, et secundum certos fines sunt effectae, et digestae. Utraque vero, semper diligenti cum accuratione instituenda esse videntur, ne quidquam ex praeconcepta opinione iis ingeramus, aut praecipiti consecutione ex iisdem eliciamus.

Obs. Quia quotidie, quisque nostrum, quod experiatur, habet: Experientiam cuiusque nostrum, nunquam non magis ac magis dilatari, quis eat inficias? Sed alia est communis, alia erudita s. scientifica Experientia: illa, cuique se, si modo sensus habet sanos, impressionibusque Obiectorum patulum se offert, obtrudit; haec vero, cum consilio et directione attentionis ad Obiecta, coniuncta est, ut illa, eo penitius investigemus, proprietatesque eorundem solertius indagemus. Quare, via Observationum et Tentaminum sunt Perceptiones instituendae, quibus Iudicia nostra, de Obiectis empiricis ferenda, queant mox superstrui. Observamus scil. Obiectum quodpiam, cum consilio illud accurate cognoscendi, Facultatem percipiendi ad id dirigimus, quin ullis mutationibus arbitrariis velimus idem esse subiectum, v. c. Cometam, ecclipsim Lunae. Contra, Experimenta cum Obiecto dicimur instituere, si talibus illud mutationibus subiicimus, quarum ope, maiorem de eo cognitionem liceat nobis obtinere, v. c. Cum aëre, electricitate, magnetismo, galvanismo etc.: ubi tamen tenendum est, Observationem cum Tentamine, tripliciter esse debere coniunctam, scil. antecedenter, concomitanter, et successive. Quamobrem Observationes et Tentamina, nihil aliud sunt, quam variae agendi rationes Subiecti percipientis, ad cognitionem eius empiricam amplificandam susceptae; — quaeve, aut novum quidpiam detegendo, quod tamen

in serie rerum praesto iam aderat, qualis erat v. c. Americae detectio: aut novum quidpiam inveniendo, quod nondum aderat, v. c. Constructio novae Machinae, se manifestant.

§. 172. Testimonia, et Fides historica.

In quantum cognitio empirica, perceptionibus peregrinis nititur: praecipue Testimonia aliorum sunt de eo examinanda, quod ii percepisse dicuntur. Obiectum Testimonii, Factum, seu res in facto posita, vis vero eiusdem et potestas, seu valor, Fides vel potius Credibilitas historia appellatur. Quae duo momenta, ut rite possint diiudicari, inprimis Probabilitas Facti ipsius, pro absoluta eius, et relativa possibilitate, investiganda est, cum interna Testimonii Fidedignitas, ab hac ipsa investigatione dependet. Externa vero Testimonii Credibilitas, partim a dexteritate Testis pendet, ubi, id singulariter indagandum est, num is, quâ immediatus, an tantum, quâ mediatus Testis valere possit; partim vero, a sinceritate eiusdem aestimanda est, ubi non minus character eius, quam externae illae circumstantiae considerandae sunt, quae magnum, ad Voluntatem eius determinandam, pondus adferre potuerunt.

Obs. Peregrina aliorum Experientia, nonnisi edito Testimonio, innotescere nobis potest. Ne itaque Testimonio decipiamur, sed opo eius ad summam, quae ad Persuasionem necessaria fuerit, Probabilitatem eluctemur: videndum est, quaenam sint notae empiricae Fidedignitatis, Testium, ac Testimoniorum.

Est scil. Testimonium Fide dignum, si nihil illud in se continet, quod Persuasioni rationabili adversetur. Id ergo, de quo certiores reddimur, tam logice, seu formaliter, secundum Leges cogitandi; quam etiam physice, seu materialiter, secundum Leges Naturae debet esse possibile. Atque, hac ipsa re constat absoluta Obiecti Testimonii Possibilitas, quae in prima conditione inest, internae credibilitatis. Si quis v. c. in Regno quopiam remotissimo, quadratum se rotundum, hominemque centimanum vidisse attestaretur: nemo profecto sana mente tali Testimonio Fidem adhibendam putaret. — Sed ad internam Testimonii Fidedignitatem pertinet adhuc, quâ secunda conditio, relativa scil. rerum narratarum Possibilitas. Nam fieri quidem quidpiam in se potest universe: attamen in ipso narrationis contextu, adiuncta quoque rerum referri possunt, quae inter se combinata, non bene cohaerent, efficiuntque, ut Testimonium suspectum esse videatur.

Tum vero, investigandum etiam, num Testis, etiamsi Testimonium interne fide dignum perhibuerit, fidem mereatur, an nullam. Fieri enim potest, ut rem quispiam narret absolute, et relative possibilem, ut tamen ea, prorsus falsa sit. Quo in negotio, primo quoque loco, dexteritas s. habilitas testis idonei, ponderanda est, potueritne scil. is Veritatem scire, quam perhibet. Quod si is testis, est immediatus, qui rem propriis sensibus usurpavit ipse: tum vero, ut Canon habet: Pluris est oculatus Testis unus, quam auriti decem. Ut autem dexteritas isthaec Testis, investigari queat, videndum est, sanane is organa habuerit, aptisque provisus fuerit instrumentis, item sufficientemne notitiam praeviam ad rem cognoscendam, simulque spi-

ritum observandi, considerantiam, et attentionem debitam, ad percipiendum attulerit, nec ne? Sin autem Testis est mediatus: probe videndum, ex quibus ille fontibus relationem suam hauserit, eratne is satis idoneus, ut iis recte uti noverit, an non? — Tam vero, sinceritas quoque Testis, pari diligentia erit examinanda, hoc est sciendum, volueritne is veritatem ipsam pronunciare? Atque, haec quaestio longe difficilior est, quam quae huic antecessit. Quis enim occultos illos, et profunde nimis reconditos penetrare possit elateres, qui se in animum Testis, ipso hoc saepe imprudente, potuerint insinuare? Praeter externas itaque Testis relationes, quae voluntatem vera dicendi modificare poterant, ut sunt: honor, ignominia, utilitas sperata, damnumque reformidatum, — plures quoque, si fieri potest, testes audiendi, aestimandique esse videntur.

Si narratio quaepiam, nullo determinato Teste nititur, Fama dicitur; estque id genus relatio, initio tantum Rumor, et propagatione ad plures Generationes factâ, fit Traditio, quae series in scripta relata, intuitu Fide dignitatis, nihil maioris ponderis adquirere putanda est, unde distinctio Traditionis oralis et literalis, ne flocci quidem facienda. Nam principio quaelibet Traditio oralis esse debuit, unde Historiae antiquissimae, cum sola Traditione nitantur, ut eo sint incertiores, necesse est.

§. 173. Meditatio.

De omnibus iis, quae sive propria nostra, sive peregrina aliorum experientia a nobis cognoscuntur, diligenter meditandum est, ut cognitio nostra perfectior efficiatur. Meditatio scil. sensu latiori, in eo consistit, si Facultatem cogitandi, certo consilio, eoque fine ad obiectum cognitionis dirigimus, ut solidiori nos, de eo, notitia, imbuamus, atque aut immediata est, aut mediata, prout nempe, in meditando vicissim, aut proprium nostrum, aut peregrinum cogitationum incessum, ac progressum sequendum esse putamus. Illa, sensu strictiori seu eminenti, idque merito, Meditatio nominatur.

Obs. Si in eo tantum subsistere vellemus, quod et quemadmodum aliquid, sive propria nostra, sive peregrina perceptione datum est: tum vero omnis nostra Cognitio, nimium quantum restricta, et plane communis redderetur, neque erudita unquam, s. scientifica fieri posset, cum tamen, sola haec systematica et solida censenda est. Certe, omnis nostra cognitio, eum in casum, in mero confuso Aggregato inesset, neque tali ratione unquam, ad pure rationales cognitiones potuissemus ascendere, si quidem eae, ex Experientia hauriri nequeant. Meditatio itaque, est absoluta Perfectibilitatis cognitionum nostrarum conditio, et quidem, tam respectu acquisitionis, quam etiam Culturae earundem, ut eas magis perspicuas, determinatas, et systematicas liceat efficere.

§. 174. Meditatio immediata.

Meditationem immediatam, methodicam esse oportet, h. e. talem, quae cum Conscientia Regulis cogitandi congruenter, sit informata. Quamobrem, qui inter meditandum occurrerint Conceptus, ii, et quoad argumentum, et quoad ambitum, perspicui

sunt reddendi, — ex declarationibus et divisionibus vero, quae ex Conceptibus inveniuntur, Consecutiones sunt deducendae, sponte ex iis emergentes, — denique omnes omnino cogitationes, quae ad Obiectum Meditationis referuntur, ita inter se coniungendae sunt, ut totum quodpiam, quod facile perspici queat, et interne cohaereat, efficere videantur. Quo respectu, exhibitio cogitationum, quae ministerio Scripturae fit, subsidium Meditationis momentosum esse putandum est.

Obs. Ratio quoque cogitandi communis, Regulis congruenter instituitur, ut ut sine conscientia earundem: quare Meditatio Eruditi, a communi hac cogitandi ratione, Conscientia in primis Regularitatis omnium suarum cogitationum, distinguenda est. Ante omnia scil. tenendum, quid est? quamque multiplex illud est? intuitu cuius cogitationibus occupamur: proinde cogitationes cardinales, et intensive et extensive perspicuae sunt reddendae; quod declarationibus, divisionibusque perficitur. Qua in re, id sollicite cavendum est, ne initium meditandi, a Definitionibus capiamus, eo quod sic, facile ad arbitrariam Conceptuum determinationem pelliceremur; verum opera danda erit, ut continuata Conceptuum expositione, argumento eorumdem secure liceat potiri, perspicuam ac determinatam cogitationem, rectis, ac solidis consecutionibus, mox sponte excipientibus. Cogitationes vero Literis mandare, non tantum ob eam caussam videtur esse commendabile, quod Scriptura cogitandi laborem insigniter sublevat: sed vel maxime ideo, quod cum inter scribendum cogitationes nostras tardius, et per moras consideratiusque quasi ante oculos ponimus, defigimusque, mox eas iteratis curis relegimus, subindeque examinamus: procul dubio, quidquid demum scripto mandavimus, longe illud magis praecisum, ac correctius esse debere, palam est. — Caeterum, si vel sine cogitationum nostrarum perscriptione meditamur: necesse est, ut omnis nostra Meditatio, intra certos limites sit clausa, ne uno actu, de variis rebus meditando, per digressiones frequentiores, confusionem cogitationibus affundamus.

§. 175. Meditatio mediata.

Meditatio mediata, partim in Auditione, partim in Lectione locum habet. Quandoquidem autem Auditio, profundiorem, vividioremque impressionem in animum faciat, quam mera Lectio; haec autem maiorem rerum considerationem praestat: intelligitur, et Auditionem et Lectionem, ad cognitiones adquirendas, inter se esse coniungendas.

Obs. Lectione Librorum Cognitionem nostram omnis generis, quam facillime posse amplificari, extra dubium positum est: attamen, ubi oportunitas non deest, viva Docentis voce informari, nae hoc Lectioni longe praeferendum esse videtur. Ut enim Plinius ait, magis viva vox adficit: nam licet acriora sint, quae legas, altius tamen in animo sedent, quae pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Certe, exemplo Autodidactorum, qui nonnisi legendo, et non audiendo alios, didicerunt, cum et restrictam cogitandi rationem, et quandam Eruditionis Monstrositatem, defectumque Communicationis cogitationum, in iis deprehendere liceat, satis admonemur, ut et au-

diendo, et lectitando meditari, cognitionesque nostras perpolire condiscamus.

§. 176. Auditio aliorum.

In audiendis aliis, sive in vocali Institutione, in quantum ea frui licet, Meditatio, partim in Praeparatione, partim in Attentione, partim denique in Repetitione versatur.

§. 177. Lectio. Critica. Hermeneutica.

In Lectione, seu Institutione scripto consignata, peculiaris quaedam diligentia videtur in id esse ante omnia convertenda, ut Scripta Auctoris ipsius, ut edita sunt, quoad Authentiam investigentur, quo sic determinare liceat, num re vera, verba, sermonesque Scriptoris illius, ante oculos habeamus, cuius nomen illa prae se ferunt; — deinde autem, danda est opera, ut verum verborum sensum, quae quis, ut signa cogitationum suarum descripsit, consequamur. Prius illud Criticae, posterius autem Hermeneuticae, seu Exegeticae Obiectum est.

Obs. Dum lectione Librorum, sive hoc voluptatis tantum caussa, sive consilio instructionis habendae fiat, occupamur, scripta nobis occurrere possunt, in quibus, certae depravationes animadvertuntur: necesse est, ut principio quidem, omnem nostram lectionem critice instruamus, quod fiet, si et quae factae sunt adulterationes, detegamus, et eas, quoad eius fieri potest, in pristinam integritatem restituamus; deinde autem, ut Criticam hanc, et ad Hermeneuticam, seu vocum Interpretationem, et ad Exegesim, h. e. Cogitationum diiudicationem, convertamus.

§. 178. Critica.

Critica, Authentiam Scripti cuiusdam inquirit, et quidem, partim quoad totum Opus, eiusque partes cardinales; partim autem, quoad Enunciationes singulas, atque Expressiones. Respectu priori, Critica vocatur, altior s. interna, quae investigationes suas, pro ratione argumenti Operis, in comparatione cum eo, quod de eiusdem Auctore, ut fertur, aetateque, ut et aliis notitiis, relatum legitur, instruit: — respectu autem posteriori, Critica dicitur inferior, seu externa, quae in suis investigationibus, varia Operis Exemplaria, Versiones eius antiquas, Citationesque aliorum Scriptorum in consilium adhibet, interdum autem, ad meras coniecturas confugit. Critica, quâ Theoria harum Investigationum, in Universalem quoque et Particularem potest distribui.

Obs. De Opere quodam scripto, respectu critico, quaeri potest: Estne hic, aut ille Liber, sive quoad Totum ipsum, sive quoad Partes eius cardinales, ab eo Auctore editus, ad quem refertur, aut ex illa temporis Periodo, cui adscribitur? aut in genere: Quis ille Auctor, ad quem hic Liber referendus sit? et quae illa aetas, qua ille scriptus videretur. Haec quaestio Authentiam Scripti attingit, quam etiam Auctoritatem historico-criticam appellant. Ad quam quaestionem, ut respondere liceat, in primis argumentum Libri est consulen-

dum, ut determinari queat, an non aliquid in se continet, quod notis alioquin Scriptoris, et Temporis illius Circumstantiis repugnet?

Deinde, secundo loco quaerendum: Utrum Enunciationes, et loquendi formulae Scripti, ita sunt comparatae, quemadmodum eae originarie, ab Auctore sunt editae, an falsae quoque Lectiones, in Textum, sive per errorem, sive studio irrepserint? Haec quaestio, ut videtur, Integritatem Scripturae spectat, quam etiam Auctoritatem grammatico-criticam nuncupant. Quod ut diiudicari possit, ante omnia varia eiusdem Exemplaria, in specie Codices manuscripti, Versiones, Citationes Auctorum, consuli debent, ut si quid a Vero aberrare fuerit observatum, emendari possit et restitui.

Caeterum, Critica, alia Universalis est, quae ad Scripta omnis generis extenditur, alia Particularis, quae ad certam Scriptorum Classem refertur. Discrimen vero Criticae, in Sublimiorem et Inferiorem recte se habet, quamquam Denominationes ipsae, rei designatae, non respondeant, in quarum vicem, Critica sublimior interna, inferior autem externa potius dicenda est, cum illa, internas magis, haec externas diiudicat rationes.

§. 179. Hermeneutica.

Cum Interpretatio (ἐξηγησις ἑρμηνεια) docere debeat, qualesnam cogitationes, cum expressionibus Scriptoris, re ipsa ab eo editis, consilio eius congruenter coniungendae sint; et cum sensus sermonis cuiuslibet, etiamsi is ambiguus esse videbitur, nonnisi unicus esse potest: Interpretis erit ad originarium hunc, et unicum sensum pervestigandum, et usum loquendi, et contextum, et Parallelismos, et etiam universas alias circumstantias, inter quas opus compositum esse potuit, ad quasque id proxime referebatur, in consilium adhibere. Quare Hermeneutica seu Exegetica, tanquam theoretica Institutio, rectam Interpretationem spectans, pari ratione in Universalem et Particularem dispesci potest.

Obs. Interpres Scripturae cuiuspiam, nihil aliud est, quam historicus cogitationum alterius Referens. In quantum ergo is explicat, neque proprium suum Iudicium alieno operi admiscere, neque etiam Scripturam suis consiliis accommodare debet. Principium autem omnis Interpretationis, inest in hac Enuntiatione: Originarium et unicum Scripturae explicandae sensum exhibeto. Quod autem Interpretem, manu quasi in explicando ducere debet, principio quidem usus loquendi esse videtur, isque, et Universalis ille, qui certae Linguae in genere competit, et Particularis, qui determinato cuidam Scriptori proprius est, — tum vero Contextus partium Orationis, aut Scripturae consulendus erit, qui, quae mens Auctoris, hoc aut alio in loco fuerit, determinabit, denique autem Parallelismus etiam verbalis, et realis, permultum adiumenti conferent, partim ad usum loquendi, partim ad Systema Cogitationum Auctoris cognoscendum, ut sic facile liceat, loca obscuriora, copiosa luce collustrare.

Quemadmodum autem Critica, sic Hermeneutica, s. Exegetica quoque, duplex est, Universalis scil. et Particularis. Ad Par-

ticularem referuntur: Hermeneutica Profana, Sacra, Iuris etc. Interpretatio vero authentica, doctrinalis, seu scientifica, Interpretationi ethicae opponitur: sed de hac, in Doctrina Religionis philosophica dicendi locus erit.

§. 180. Methodica Lecturae.

Quoad Lecturam ipsam, sequentes Regulae universales videntur adhuc observandae, quae simul sumtae, Methodicam Lectionis Librorum, sensu proprio ita dictam, conficiunt.

1) Da operam, ut ante omnia, consuetum Scripturae cuiusdam sensum, pure apprehendas, idque prius, quam de eo Iudicium feras.

2) Imprime Lecta, non solum memoriae, sed etiam elaborabis illa Intellectu.

3) Opera scientifica, et copiose elaborata, non prius legas, quam elementa Scientiae cuiuspiam, propemodum iam condidicisti.

4) Libros lecturus, praecipuos, et primi momenti Auctores, huius aut illius generis, quemadmodum ii, partim publicis Iudiciis, partim privatis, pro talibus habentur, eligito, eosque, statario cursu, reliquos autem, nonnisi cursorio modo, legito, interque legendum, non multum excerpito.

5) Ut studio partium mature occurrere liceat, optimos quosque Scriptores, omnium partium et Classium, inter se comparato.

6) Denique, ut gustum quoque, simul cum Intellectu perpolias, cave, ne dum Lecturae scientificae vacaveris, Studium quoque Scriptorum aestheticorum negligas.

Obs. Opus quodlibet, prius velle diiudicare, quam illud perfecte intelligas, in summa, quam cogitaveris, absurditate inesse putandum est. Non taliter, et qualiter legendus, intelligendusque est Liber, si de eo iustum, et accuratum ferre volueris Iudicium, sed ita, ut illum totum quantum animo sincero, et Veritatis studioso, exhausisse videare.

Lectio Libri cuiusque, non eo consilio instituenda est, ut etiam de memoria illum pronunciare possis, sed eo, ut illum, meditando, totum quantum adeo penetres, ac exhaurias, ut eum, in succum et sanguinem vertas, quo sic animus, quoad cognitionem suam, velut alimento quodam tali lectione nutriatur.

Cum fieri id vix possit, ut opus quoddam scientificum, cum utilitate pervolutetur, nisi elementa quoque eiusdem, in antecessum iam, in promtu habeantur: intelligitur peropus esse, ut, qui iusta Auctorum Opera lectitare voluerit, encyclopaedica quoque scientiarum cognitione imbutus sit.

Sunt Libri, quos satis erit, primis tantum labris degustasse; sunt item alii, et ita legendi, ut quod in iis bonum, aut praeclarum repereris, in proprios tuos usus reconde. Hanc Lectionem vocant cursoriam. Alios vero Libros ita legas, ut totum te iis tradas, quod Lectione stataria perficitur. Non enim multa, ut aiunt, sed multum est legendum. Vasta et prolixa Lectio, quâ fit, ut sola memoria, materialia cognitionum in se colligat, et complectatur, Polyhistoria dicitur,

atque in exiguo inest pretio. Ei opponitur Polymathia s. solida multarum Scientiarum cognitio. Rara avis in terris!

Non tantum ii Auctores sunt legendi, qui in ea nobiscum Sententia fuerint, sed etiam ii, qui contrarias partes fovent. Horum enim Lectione animus in Studio Veritatis roboratur, cognitioque nostra insigniter augetur, et solidior redditur.

Cum Cultura intellectuali, Cultura quoque aesthetica omnino coniungenda videtur, eo quod hoc, non modo animum salubriter recreat, debilitatasque vires refocillat, sed etiam Intellectum, ut ut indirecte, excolit, et perficit.

CAPUT II. De Communicatione Cognitionum.

§. 181. Institutio. Collocutio.

Communicatio cognitionum, in quantum ea, certo consilio instituta, regulisque determinabilis est, aut in simplicem, aut in reciprocam potest distribui. Illa Institutio (διδαξις) haec Collocutio (διαλεξις) appellatur.

Obs. In Methodologia applicata, nonnisi de communicatione cogitationum potest fieri mentio, quae scil. certis Regulis potest comprehendi, et subiici, non autem de illa, quae etiam in communi vitae genere locum habet, quae scilicet, quamquam instructiva esse possit, nullis tamen regulis exhauritur.

§. 182. Institutio vocalis, et scripta.

Omnis Institutio, aut vocalis est, aut scripta. Quamvis autem Institutio scripta, ab Institutione vocali, multiplici respectu diversa est: ambo tamen haec Institutionis genera, quoad essentiam eorum logicam, identica sunt, atque sub iisdem Regulis comprehenduntur.

Obs. Institutio scripta, ab ea, quae vivae vocis ministerio perficitur, intuitu potissimum aesthetico differt. Institutio enim vocalis, minus est elegans, et ornata, eo quod, inter loquendum, non tam diligenter voces seligimus, et ponderamus, quam cum scribimus, unde etiam, illa verbosior est, ut audientibus, quae volumus, clare et ad captum proponamus, contra inter scribendum, bene multa lectorum prudentiae reservamus. Quare Institutio vocalis, tonum conversationis imitatur, et exprimit, sed Institutio scripta, praecisionem, et elegantiam, non tantum patitur, sed etiam illam postulat.

§. 183. Methodus didactica.

In omni Institutione, caput rei est, Methodus didactica, h. e. Forma illa, quâ Cognitiones communicantur, et traduntur. Quae forma, partim ut interna, partim ut externa potest considerari, prout scilicet in illa, aut id, quod est essentiale, aut quod extraessentiale fuerit, respicitur. Forma externa, solum Cogitationum vestitum, seu modum proponendi attingit: Forma autem interna, ordinem, dispositionem, atque coniunctionem cogitationum pro Obiecto habet, — quamquam modus proponen-

di, saepenumero etiam ad internam Institutionis Formam, eiusque essentialia referatur.

§. 184. Didactica analytica, synthetica, erudita et popularis.

Methodus Didactica, intuitu Formae internae

1) In se, et per se considerata, aut analytica est, aut synthetica, prout scil. modum proponendi, aut a conditionato, aut a conditione auspicamur, proinde is, aut regressive, aut progressive instituitur.

2) Respectu vero ad Subiecta ipsa habito ponderata, aut erudita est, aut popularis, prout scilicet, in gratiam eorum, qui solide quidpiam condiscere volunt, modus proponendi, secundum severas logici ordinis Regulas, instituitur, et cum summa, quae fieri potest amplitudine, iusta quoque simul praecisio, adhibetur; aut vero, in gratiam eorum, qui certas quasdam cognitiones, nonnisi utilitatis, et voluptatis caussa quaerunt, faciliorem, magisque liberalem cogitationum incessum, sequimur, atque nonnisi illud proponendum seligimus, quod utroque respectu, auditores maxime devincit, atque cum populari perspicuitate tradi potest.

Obs. Integrae scientiae, synthetice traduntur, Dogmata autem singillatim sumta, analytice quoque possunt proponi. Respectu inexercitatorum in cogitando, methodus analytica, longe utilius adhibetur, si quidem his, conditionatum conditione eiusdem notius est, adeoque etiam facilius iisdem fuerit, a conditionato ad conditionem ascendere.

Methodus erudita, et popularis, a subiectis ipsis, quibus Scientiae proponuntur, denominata esse videtur. Eruditi scil. methodo scientifica utuntur: ii autem, qui simplici rerum notitia tantum, et ad usus vitae communis necessaria pollent, eam plane reformidant, ac repellunt. Nam cum Eruditi, omnia ex summis Rationis Principiis deducunt, definiunt, dividunt, demonstrant, terminosque technicos adhibent: contra, cum haec omnia, minime eorum usibus sunt accommodata, qui elementari rerum Cognitione imbui, ac uti satis habent, popularem quoque Institutionem, a Docentibus suis, iure, meritoque exposcunt. Methodus erudita, scholastica, acroamatica s. esoterica: contra, Methodus popularis exoterica quoque appellatur.

§. 185. Speciales Formae externae Methodi.

Quoad externam Methodi didacticae Formam, Methodus proponendi, varias potest habere species, inter quas commemorari in primis merentur: Methodus aphoristica, parabolica, seu aenigmatica, epistolaris, et dialogica. Methodo dialectica, Institutio, Formam reciprocae cogitationum Communicationis, assumit. Quod si haec, in modo proponendi vocali, quoad speciem locum habet; attamen proprie, nonnisi informationem alterius spectat, proinde, id pro consilio habet, ut in animo peregrino cogitationes progignat, Methodus erotematica seu catechetica appellatur.

Obs. 1. Qui cogitationes suas, in brevibus, concisisque Enunciationibus proponit, methodo proponendi utitur aphoristica, frag-

mentaria, et rhapsodica, ei opponitur Methodus cohaerens. Methodus parabolica s. aenigmatica est indirectus cogitationum proponendarum modus, cum minime propriis utitur expressionibus, sed tectis ac involutis, qualem v. c. in Fabulis Aesopicis observamus. Qui Cogitationes suas, in formam litterarum missilium redigit, methodo proponendi utitur epistolari. Qui autem, alternis quaestionibus et responsionibus, cogitata sua Lectoribus ante oculos ponit, Methodum sequitur dialogicam.

Obs. 2. Institutio quaeque vocalis, Formam reciprocae Communicationis cogitationum in se recipere potest, et tum ea Methodus erotematica vocatur, Acroamaticae, cum unus, altero audiente, loquitur, opposita. Enimvero, Methodus erotematica, non nudis constat quaestionibus, et responsionibus, hoc enim in mera Examinatione inesset, eo quod haec, quaestione posita, ex alio elicit, quod hic edidicit, sed in tali quaestionum conformatione posita illa est, ut Discens cogitationes, cognitionesque ei proponendas, in se ipse progignat, aut ex se ipse evolvat, proinde in mera forma catechetica, cum quaestionum adminiculo elicitur id, quod alumno Institutionum discendum esse videtur. Atque haec demum Methodus vero sensu catechetica dicenda est, quam etiam alias socraticam appellant, quod a Socrate fuerit frequentata.

Vulgo quidem, nomine Catecheseos, Methodus illa, per positas iam Quaestiones interrogandi, intelligitur, quae in vicem Opificis manuarii, adstantem Ludimagistrum, pueros, ut machinas, in motus crepitantes urget, unde Institutiones quoque Religionis elementares, hac forma Discentibus exhibentur. Enimvero male! Res enim empiricae, ut et historicae, methodo quidem acroamatica proponendae sunt, et postmodum, cum iam perceptae a Discentibus fuerint, quaestionum ministerio examinari poterunt; ut tamen haec, discentes pueros tractandi ratio, minime Methodus catechetica, sed simpliciter Examinatio tantum debeat nuncupari. Solae res rationales, quales sunt etiam religiosae, et morales, vera Methodo catechetica docendae esse videntur.

§. 186. Collocutio, et Disputatio.

Contingit saepe, ut in reciproca cogitationum communicatione, Iudicia duorum, aut plurium Subiectorum, invicem repugnent. Tum vero Collocutio, ut logica quaedam contentio, comparet. Finis huius est, consensionem Iudiciorum, reciproco renisu eorundem elaborare. Principium eius in eo versatur, ut adsertiones adversarii, non tantum oppugnentur, verum etiam, si eae falsae fuerint, rationibus universalibus refutari debeant. Caeterum, in se, et per se perinde est, num Concertatio haec literaria, ut Colloquium familiare, an ut publica Disputatio, in medium prodeat, si modo secus logice tantum pugnetur.

Obs. 1. Quodsi Iudicia Colloquentium, inter se semper consonarent: profecto illa, primo quidem taedio tantum essent, mox autem interirent. Sola Iudiciorum contentio, animum excitat, ac commovet, ex eoque quasi scintillam prolicit, quare iuverit interdum, Sententiam quamdam paradoxam, ut pomum eridos, in conspectum colloquentium

proiicere. Nam paradoxum est, quod in communem opinionem (παρα δοξαν) impingit, quin tamen ea falsa sit. Pugna vero intellectualis, seu Disputatio, sensu latiori, a pugna corporea, seu bello, essentialiter differt; si quidem Finis Disputationis, in eo positus esse debet, ut Consensum Iudiciorum, defervescente concertatione, liceat obtinere. Quare non satis est adversarium oppugnasse: sed eum refutare oportet. Refutatur autem adversarius, aut ex concessis, aut rationibus universalibus, quae adversarium, ad intimam perducant Persuasionem. Prior, Refutatio ad hominem (κατ' ανθρωπον) posterior ad veritatem (κατ' αληθειαν) appellatur.

Obs. 2. Regulae Disputationis sunt sequentes:

a) Ante omnia Status Controversiae accurate determinandus est, neque ab eo, vel hilum deflectendum. Tali enim Deflexione commissa, fieri non potest, ut de Obiecto contentionis, Harmonia Iudiciorum unquam obtineatur. Determinato vero concertationis Obiecto, sollicite cavendum, ne Disputatio, aut in Logomachiam degeneret, aut inter disputandum, de lana caprina dissideatur.

b) Danda erit opera, ut Disputantes, de Principio illo coalescant inter se, ex quo concertatio gerenda esse videbitur: secus enim, pugna literaria durabit in perpetuum, quod fini Rationis directe adversari putandum est. Sin evenerit, ut, alterutra Disputantium pars, Principium partis alterius negaverit: tum vero non amplius erit disputandum, sed contentioni supersedendum, ut Canon habet: Contra Principium negantem, disputari non potest.

c) Argumenta adversarii, prius quidem quoad Formam, postmodum autem, quoad Materiam erunt examinanda. Nam etiamsi Forma recta ac ligitima fuerit, Materia vitiosa esse potest.

d) Refutatio argumenti adversarii, minime pro Refutatione Enunciationis ipsius habenda est. v. c. Qui Argumentum ontologicum repudiat, minime pro Atheo reputandus est, cum Thesis, de qua hic inter Disputantes agitur, aliis, et fortioribus potest insistere argumentis.

e) Non satis est adversarium refutasse, verum, quoad eius fieri potest, Fons videtur detegendus, ex quo error adversarii originem ceperit, ut sic, eo magis ad persuasionem is adducatur.

f) Pugnandum est Disputantibus, cum omni humanitate, h. e. iure, meritoque Disputantes, id invicem postulant, ut quaelibet pars, ab altera, Rationi congruenter tractetur, et nonnisi argumentis utralibet refutetur, Ludibrio autem, haud quaquam obiiciatur.

Obs. 3. Pugna logica, aut ut Colloquium privatum, seu familiare, aut ut Colloquium solenne, disputandi caussa initum, seu Disputatio sensu strictiori, potest institui. Ad veritatem detegendam, cognitionemque perficiendam, Colloquium familiare, Disputationi publicae praeferendum; quia cum in solenni Disputatione Vanitas, Ambitioque se simul in contentionem misceant, nulla spes est aut Veritatis amplius inveniendae, aut si ea inventa est, eius ab utraque Litigantium parte recognoscendae!

METAPHYSICA

seu

Gnoseologia.

Conspectus.

Introductio.	§.	1 —	4
I. Pars. Metaphysica pura seu Ontologia. . .	»	5 —	91
1. Sectio. De Cognitione universe. . .	»	6 —	13
2. Sectio. De variis Cognitionis Ambitibus. .	»	14 —	91
a. Caput. Analytica Sensualitatis. . .	»	15 —	30
b. Caput. Analytica Intellectualitatis. .	»	31 —	85
c. Caput. Analytica Rationis. . .	»	86 —	91
II. Pars. Metaphysica applicata. . . .	»	92 —	189
1. Sectio. Metaphysica inferior. . .	»	94 —	149
a. Caput. Hylologia metaphysica. . .	»	97 —	132
b. Caput. Organologia metaphysica. .	»	133 —	143
c. Caput. Teleologia metaphysica. . .	»	144 —	149
2. Sectio. Metaphysica sublimior. . .	»	150 —	189
a. Caput. Psychologia metaphysica. . .	»	153 —	165
b. Caput. Cosmologia metaphysica. . .	»	166 —	175
c. Caput. Theologia metaphysica. . .	»	176 —	189

Introductio.

§. 1. Conceptus Metaphysicae, et Nomen.

Metaphysica, est Scientia, de originaria animi humani Legalitate, intuitu activitatis eius cognoscendi, unde etiam Gnoseologia iure posset appellari (Fund. §. 79, 129.) Metaphysica autem, (μεταφυσικη scil. επιστημη) idcirco vocatur, quod illa, velut Scientia pure philosophica, haud cum τω physico, seu empirico, quippe quod cognitioni, a posteriori suppeditatur: verum cum τω transcendentali, seu originario, quod respectu cognitionis nostrae, a priori, seu ex ipsa Rationis cognoscentis Natura determinatum est, proinde illi, pro fundamento inservit, occupata esse debeat.

Obs. 1. Nomen Metaphysicae, non pure graecum, sed barbarico-scholasticum est, natum ex titulo Scriptorum Aristotelicorum: τα μετα τα φυσικα scil. βιβλια, quo, nec argumentum Scriptorum horum, nec Conceptus Scientiae in iis comprehensae, sed solus eius locus, quoad antecedentia, puta: τα φυσικα indicari potuit: unde etiam vox μετα originarie in collectione Scriptorum Aristotelicorum, per Andronicum Rhodium Syllano tempore instituta, non: trans, verum: post, significavit. Nimirum Antiqui, nullam plane habuere Metaphysicam, velut propriam quandam cognitionis Scientiam philosophicam: sed solam Physicam, in qua illi, res argumenti physici, et metaphysici permixtim pertractarunt, et nonnisi temporibus longe serioribus demum, Physica fuit, e territorio Philosophiae, exclusa, cui tum Metaphysica successit. Unde cum propter indeterminatam hanc denominandi rationem, tum praecipue propter methodum philosophandi haud criticam, quam Dogmatici et Sceptici, in mutua viscera saevientes, observabant, factum est, ut ne id quidem, qualis disciplina philosophica, nomine Metaphysicae intelligi debeat, perspicue ac praecise dici potuerit, variis vario modo eam constituentibus. Nos autem solam transcendentalem Cognitionis doctrinam nomine Metaphysicae complectemur.

Obs. 2. Id, quod intuitu cognitionis nostrae, transcendentale est, duntaxat in originariis Facultatis cognoscendi legibus inest, h. e. in Regulis, quas animus, vi constitutionis suae originariae, in cognitione datorum obiectorum sequi debet. Atque hae ipsae leges sunt, conditiones cognitionis transcendentales, proinde, a priori, seu purae, quamquam eae, in, cum, et per cognitionem actualem empiricam, ad cognitionem pure philosophicam demum, possint pervenire. Quare Metaphysica, in tantum se, supra Physicam, omnemque Empiriam extollit, in quantum illa, huic, cognitionem Obiectorum datorum, proinde etiam cognitionem Legum, secundum quas, haec Obiecta agunt, agereque possunt, suppeditat: consequenter Problema Metaphysicae universale hoc est: Quae sunt originariae leges, seu conditiones, cognitionis humanae transcendentales?

Obs. 3. Originariis Facultatis cognoscendi legibus, pura Cognitionis humanae Forma determinatur, cum Lex quaeque, nihil aliud est, quam determinatio modi, certae cuiuspiam actuositatis. Quare Productum huius actuositatis, nunquam non Formam, legibus illis congruam, adoptare, per Naturam debet. Sed haec Forma, in quantum ab originariis, adeoque universalibus, et necessariis Legibus pendet, non obstante varietate materiae datae, semper eadem est, quemadmodum etiam empiricae, et individuales Subiectorum cognoscentium proprietates, vicissim varias possunt induere formas. Sic v. c. Planetae, non obstante individuali eorum diversitate, quoad magnitudinem, densitatem, distantiam a sole, celeritatem motus, etc. forma tamen motus Planetarum eadem est, orbitae quippe ellipticae alligata. Sic quoque homo, secundum easdem Organisationis leges generatur; ut ut homines, in individuis sumti, variis modificationibus specificis, praeter originariam Humanitatis physicae constitutionem, sint obnoxii. Atque, ad eundem modum, has ipsas universales, et necessarias Cognitionis humanae Formas, quae individualibus illis, et contingentibus cognitionis Formis, quas quisque nostrum in cognoscendo sequitur, pro fundamento sunt, investigare ac constituere, unice, Metaphysicae proprium est, unde etiam illa definiri sic quoque potest, quod sit Scientia, de universali, et necessaria Cognitionis τοῦ Ego Forma, seu, de originaria agendi ratione Animi, in Cognitionibus suis efficiendis.

§. 2. Differentia Metaphysicae a Logica, eiusque Pretium.

Essentialis Metaphysicae Differentia, a Logica, in eo posita est, quod Logica, solas cogitandi leges, sine respectu ad Obiecta Cognitionis, determinatumque cogitationum valorem, exponat: Metaphysica autem, Leges Obiectorum cognoscendorum, quibus vis et potestas (valor) illa cogitationum determinatur, inquirit. Quare Logica, Philosophia theoretico-formalis, contra Metaphysica, Philosophia theoretico-materialis, seu realis, potest appellari. Ut ergo Logica mere Organum formale cogitandi est; ita Metaphysica, ut materiale, seu reale cognoscendi Organum sit; necesse est.

Obs. 1. Cum sola, seu, analytica cogitatio, etiam formalis; synthetica autem cogitatio, materialis vocatur, et in hac Realitas cogitatorum, semper sumitur: profecto Metaphysica, iure, materialis, seu realis Philosophia appellatur, licet ea, duntaxat in forma Cognitionis sit occupata. Nam Cognitio humana, illa ipsa synthetica, seu, materialis cogitatio est, in cuius forma determinanda, Metaphysicam versari necesse est. Ut ergo se habet Arithmetica literalis, ad numericam, aut Grammatica ad Lexicon: ita se habet Logica, ad Metaphysicam. Quare sine Metaphysica, nulla solida Scientia fieri potest, in quocumque demum scientiarum genere, quae modo in realibus Obiectis cognoscendis occupatur, ipsa Mathematica, et Physica non exceptis, in quibus scil. numerosi Conceptus metaphysici, decretaque sumuntur, et applicantur necessario.

Obs. 2. Summum Metaphysicae esse Pretium, vel ex eo ipso facile liquet, quod sine illa, nulla Cognitio humana, solida esse potest; quemadmodum Spatium, nonnisi constitutione Figurarum, seu Formâ, potuit ad summum illum Evidentiae ac certitudinis, quae Mathesi propria est, gradum eluctari. Quamquam vero Metaphysica, tam parum potest nos Cognitionem ipsam docere, quam Logica cogitationem; cum et Cognitio, et Cogitatio, scientiam ipsam antecedant, et absque hac locum habeant: attamen, quam necessarium ac utile est, leges cogitandi scire, tam necessarium, utileque esse putandum est, leges cognitionis Obiectorum percepisse. Fatendum quidem est, quod si Metaphysica, frivolis subtilitatibus, somniisque inanibus occupata est, quid? quod limites cognitionis migrat, in regionibusque imaginariis oberrat, nihil minus, quam contemtum meretur, unde factum quoque esse non ignoramus, fuisse tempus, quo, esse, dicique Metaphysicum convicii loco habitum fuerit: enimvero hic, de vera, et solida Metaphysica sermo est, quae suo certe merito, Regina Scientiarum fuit olim appellata, quaeve, ita se habet ad falsam, quemadmodum Astronomia, ad Astrologiam. Quae originaria Metaphysicae dignitas, ut ei postliminio quasi revindicaretur, ac restitueretur: nostra demum aetate, criticis Immanuelis KANT operibus perfectum est.

§. 3. Metaphysica Naturae et Morum.

Quandoquidem vox Metaphysicae, originarie, Scientiam denotet theoretico-philosophicam (§. 1. Obs. 1.): patet, distributionem Metaphysicae in Metaphysicam Naturae et Morum, tam parum locum habere, quam si eadem, in naturalem et artificialem, seu scientificam, divideretur.

Obs. Kant, ut notum est, Metaphysicam in Critica Rationis purae, in Metaphysicam usus speculativi, et practici distribuit, illam Metaphysicam Naturae, hanc Metaphysicam Morum nuncupando, ut sic Metaphysica, ex mente eius, universum Cognitionum pure philosophicarum Systema, innueret. Enimvero, cum, tali ratione, pars Logicae pura, ad Metaphysicam referri deberet; deinde autem, cum *το* physicum, seu quod in territorio Necessitatis positum est, et *το* morale, quod in territorio Libertatis collocatum videtur, sub uno titulo comprehendi nequeant: longe consultius esse iudicandum est, ut nomine Metaphysicae, Theoria tantum Cognitionis humanae designetur, unde Aesthetica, seu Doctrina Gustus secludatur: id autem, quod Kant, Metaphysicam Morum appellavit, nomine Philosophiae Practicae Purae insigniatur. — Pari ratione, distributio Metaphysicae in Naturalem, et artificialem, scientificam seu scholasticam, tam parum locum habet, et ex iisdem rationibus, quam illa Logicae naturalis, et artificialis distinctio, supra, iam (Log. §. 11. Obs. 2.) commemorata. Nam Metaphysica est Scientia, et quâ talis res Scholae, licet, id, quod exhibet (Leges Cognitionis), naturale quidpiam sit, quod Intellectui humano naturali, in suis iudiciis, pro Norma inservit. Quare, etiamsi dogmata Metaphysicae, populariter proponi possent, minime hoc ab Intellectu communi, sed a Ratione speculativa, velut Productum quoddam, summa arte perficiendum, deberet exspectari (Log. §. 184. Obs.).

§. 4. Metaphysica pura et applicata.

Cum Metaphysica, transcendentales Conceptus, Decretaque transcendentalia, quae originariam Cognitionis humanae Formam constituunt, aut in se et per se, h. e. quemadmodum Obiecta universe attingunt, considerat, aut relative tantum, h. e. in applicatione eorundem ad certa Obiecta: intelligitur, Metaphysicam, in puram et applicatam (Fund. §. 131.) distribui. Metaphysica pura, Ontologia quoque potest appellari, licet sensu tantum relativo, non absoluto.

Obs. Olim Metaphysica, in Ontologiam, Psychologiam, Cosmologiam et Theologiam divisa fuit. Enimvero male. Nam in hac Divisione, partim membra subordinata, inter se coordinantur, partim membrum necessarium, ad Integritatem systematis deest. Scil. cum Ontologia sit Metaphysica pura: reliquae Scientiae, ad applicatam Metaphysicam spectant, inter quas, Physica rationalis, seu Philosophia naturalis, necessario interponenda est.

PARS I. Metaphysica pura seu Ontologia.

§. 5. Distributio Ontologiae.

Cum Ontologia, quâ Doctrina Cognitionis pura, non aliud esse possit, quam Theoria ipsa philosophica, Facultatis cognoscendi; cumque hoc, partim universe, partim certo respectu, ad suam inferiorem, seu sensualem, ad altiorem, seu intellectualem, denique ad supremam, seu rationalem sphaeram expendi potest: intelligitur, Ontologiam, in primis in duas Sectiones distribuendam esse, quarum prior, de Cognitione generatim, posterior autem de variis Facultatis cognoscendi Ambitibus tractabit.

SECTIO I. De Cognitione universe.

§. 6. Cognitio, quâ Factum Conscientiae.

Ontologia, ab Enunciato: Ego cognosco, videtur esse auspicanda, quippe quod, velut res in Facto Conscientiae posita, immediate certum est.

Obs. Cognoscere nos, aut cognitionem certarum rerum nobis, nosmet attribuere, nulli dubitationi obnoxium est: verum, Cognitiones nostras, certitudine, seu obiectivo valore pollere, hoc est, quod dubitationes attingunt. Quare, dictum Enunciatum, ut Supremum materiale Metaphysicae Principium, irrefragabiliter sumere licet, cuius tamen vis et potestas, profundius deinde erit investiganda.

§. 7. Cognitio, Obiectum Cognitionis.

Cognoscere, est datum quodpiam Obiectum, velut Obiectum determinatum repraesentare. Cum ergo quidpiam cognosco, repraesentationes meas, ad aliquid refero, quod non in sola repraesentatione inest, sed amplius quidpiam, quam quod Repraesentatio ipsa, est. Id vocamus Obiectum Cognitionis.

§. 8. Sumtio Realitatis τοῦ cogniti.

Obiectum Cognitionis, ut Reale quidpiam, Repraesentationi meae merae, tamquam Ideali oppono: proinde in omni Cognitione, in quantum ea realis cognitio est, esseque debet, Realitas Cogniti semper sumitur.

§. 9. Vis ac potestas Sumtionis Realitatis τοῦ cogniti.

Validitas Sumtionis huius demonstrari, h. e. ex altiori quodam Principio deduci nequit (Log. §. 127.): verum unice, in originaria, τοῦ esse, et τοῦ scire, coniunctione, seu in transcendentali, τοῦ Realis et τοῦ Idealis Synthesi, tamquam tali conscientiae facto continetur, quod absolutum omnis philosophandi terminum constituit, et propter hoc ipsum, inexplicabile, et incomprehensibile est (Fund. §. 56—68.).

§. 10. Realitas est Repraesentatio originaria.

Enunciatum isthoc: Ego cognosco, vi syntheseos transcendentalis, aequipollet cum hoc: Exstat aliquid Reale, cui certae repraesentationes in nobis, respondent, quodque, per has ipsas repraesentationes, a nobis cognoscitur. Repraesentatio ipsa Realitatis, seu τοῦ esse universe, est itaque Repraesentatio originaria, omni cognitioni pro fundamento subiacens, quae propter hoc ipsum, etiam per alias Repraesentationes explicari, et comprehendi nequit, sed in, cum, et per Cognitionem ipsam immediata claritate, a quolibet cognoscente apprehendi debet.

Obs. Enunciatum: Ego cognosco, proprie cum duobus his Enunciatis coniungitur: Ego sum, — et Exstant extra me res aliae, quorum Inquisitio, ad Philosophiam Fundamentalem pertinet, ut ea hoc loco, nonnisi allegasse sufficiat. Uberioris tamen illustrationis causa, id hic adiiciendum videtur: Quemadmodum sola cogitatio, rem logicam, velut cogitabile quidpiam sumit: ita Cognitio, Reale quidpiam, velut Cognoscibile quoddam praesupponit. Secus Cognitioni, nunquam possemus ullum realem, seu obiectivum, verum idealem tantum, seu subiectivum valorem attribuere, h. e. omnis nostra Cognitio, sine sumta Realitate, tantundem valeret, ac ipsa cogitatio. Realitatem vero τοῦ Cognoscibilis probare velle, idem esset, ac realem quampiam Cognitionem investigare, cuius ope liceat demum, Realitatem τοῦ cognoscibilis, cognoscere, quod repugnat. Hinc Naturae Curiosi, cum Animalia, Plantas, et Mineralia cognoscunt, minime de Realitate horum quaestionem movent, sed ea pro Realibus simpliciter sumunt. Quare, si quis Scepticus, aut Idealista, Realitatem Obiectorum pernegaret, non ille quidem demonstratione ulla, ad contrariam sententiam perduci posset, Inconsequentiae tamen, quae inter theoreticam negationem, practicamque eius agendi rationem intercedit, argui certe deberet.

§. 11. Elementa Cognitionis.

Si τὸ reale, velut obiectivum quidpiam, cognoscitur: intelligitur, Cognitionem quamque, non aliter considerari debere,

quam Productum commune duorum, in mutua Relatione originaria positorum Factorum, puta Obiecti et Subiecti Cognitionis, ut unum absque altero, et sine utrisque, nulla omnino Cognitio, pro possibili sit reputanda.

§. 12. Mutua Obiecti et Subiecti Cognitionis Relatio.

Cum Forma Cognitionis, per originariam Subiecti cognitionis, seu Animi constitutionem determinata est (Fund. §. 71, 74.): tum id, quod in Cognitione mere formale est, ex ipsa Animi spontaneitate exsistere, id autem, quod in Cognitione materiale est, Animo per Obiectum dari, necesse est. Originaria itaque Relatio, Cognitionis Obiecti, et Subiecti mutua, pro tali Relatione habenda est, vi cuius id, quod Obiecto obtingit, a Subiecto, secundum propriam sibi agendi rationem, apprehendi, et vicissim ad Obiectum referri queat; proinde in Subiecto, certae Determinationes, puta: Repraesentationes exsistere possunt, quibus id, aliarum determinationum per Obiectum in Subiecto effectarum, conscium fit, ut illud, de hoc, has Determinationes in Iudiciis cognoscitivis praedicare, seu ut Praedicata, vel Categorias cognitionis Obiectorum, possit cogitare. Quare, Praedicatum, omnibus his Praedicatis, pro fundamento subiacens, puta, Repraesentatio Realitatis ipsius, Categoria originaria appellari potest.

Obs. Quamquam voces: κατηγορια, κατηγορημα, apud Graecos significationem habuerint iudicialem, eam quidem accusantem: usu tamen postmodum, inter Philosophos obtinuit, ut eae, Praedicatum quodque, in Logica innuerent, quo res quaedam, in cogitationibus determinatur. Sed in Metaphysica eaedem, originarias quasdam Repraesentationes indicant, quae ad Obiecta Cognitionis, velut Criteria referuntur, inter quas, Repraesentatio Realitatis prima est: cum in quolibet Obiecto percepto, ante omnia alia Iudicia dici de eo hoc potest: Tu exstas realiter. Caeterum, Relatio, quae inter Obiecta, et Subiecta Cognitionis intercedit, cui Possibilitas omnis Cognitionis innititur, quaeque proinde, ab omnibus empiricis rerum Relationibus essentialiter diversa est, et a priori determinata esse debet, originaria, seu praestabilita Harmonia dici posset, — sensu a Leibnitiana illa non nihil diverso.

§. 13. Lex Cognitionis universe.

Ex Relatione Cognitionis Obiecti et Subiecti mutua, exsistit Lex cognitionis fundamentalis universe: Quod ab Animo, secundum originariam eius agendi rationem, in Obiecto quopiam reali, cognoscitur, id eidem, in quantum Obiectum cognitionis est, competere debet, et de eodem universaliter potest praedicari. Num autem idem Praedicatum, eidem Obiecto, etiam in tantum competat, in quantum id, non est Obiectum Cognitionis, proinde ut res per se cogitatur, quaestio est transcendens, consequenter talis, quae nullam omnino admittit responsionem rationalem.

Obs. 1. Enunciatum isthoc Cognitionis fundamentale: Quod ab

Animo etc. est supremum formale Principium Metaphysicae, seu suprema Cognitionis humanae Lex. Nam, si modo ulla Metaphysica esse debeat: profecto Enunciatum illud, absque quo, Systema legum Cognitionis, ne cogitari quidem potest, pro suprema formali conditione eius scientiae habendum est, cum Cognitio, facto Conscientiae nostrae data, in suprema materiali eiusdem conditione inest, quae formali huic valorem suum impertitur. Sed, si id, quod in Ente reali cognovimus, neque tamen ei conveniret, et de eo universaliter praedicari non posset: tum vero, omni obiectiva Cognitione destitueremur, sola subiectiva theoretica animi actuositate, h. e. mera cogitatione nobis relictâ. Quare, in omni cognitione, simul cum Realitate cogniti, etiam Cognoscibilitas eiusdem in sua Realitate, h. e. Obiectivitas eius, quod de eo, velut Obiecto Cognitionis praedicandum est, sumi debet.

Si quis philosophando id ipsum, quod, ut Obiectum Cognitionis datum est, migrare vellet, et ab omni relatione Obiecti ad se, abstraheret: tum vero Obiectum illud, ut rem, a modo cognitionis suae prorsus independentem, proinde, ut Ens per se (non a se) consideraret, atque propter hoc ipsum, ne hilum quidem de eo amplius praedicare valeret, — cum quia conditionem in cogitatione sustulit, sub qua potest unice aliquid, ad commodum cognitionis, de rebus praedicari; tum quia, nemo ex sua originaria, proinde naturali, et necessaria cognoscendi ratione exire, resque, secundum peregrinam ei, et ignotam cognoscendi rationem considerare potest. Quare Problema de Cognitione rerum per se, originariam τοῦ realis, et idealis Relationem, in Cogitatione tollit, idque explorare satagit, quidnam τὸ Reale extra hanc Relationem foret, cum extra eam, nihil nobis repraesentabile est, verbo, quaestio est transcendens, Philosopho prorsus repudianda.

Obs. 2. Conceptus Entis per se, non est chimaericus, h. e. abnormi phantasia generatus, neque tamen etiam realis, h. e. ad ipsam realium Obiectorum cognitionem pertinens, verum est Conceptus, Cognitionem mere limitans, quippe quo, necessarii illi Limites designantur, intra quos, Facultas cognoscendi actuosa esse, Cognitionique Obiectivitas potest attribui. Et quia investigatione transcendentalium cognitionis conditionum, necessario ad Conceptum hunc limitantem deducimur: est Ens per se, intuitu transcendentali, necessario sumtum, nobis autem prorsus incognitum aliquid = X, eo, quod id, ut a nostra cognoscendi ratione independens, proinde etiam, ut tale quidpiam cogitatur, quod nostra cognoscendi facultate, adsequi nobis non liceat. Simulac autem id, in certa quadam Relatione ad Facultatem cognoscendi cogitamus: tum vero id, non ut Ens per se cogitamus, sed, ut reale Cognitionis Obiectum, quamquam Relationem illam explicare, et comprehendere nequeamus; cum nos ipsi, ut Obiecta Cognitionis, ad nos ipsos, ut Subiecta Cognitionis, in eadem Relatione positi sumus, et duntaxat hac ipsa Relatione, et de nobis, et de aliis rebus extra nos, Conscientiam habemus. — Haec ipsa autem Conscientia, est organum omnis Explicabilitatis, et Comprehensibilitatis. Quare, neque etiam hanc ipsam Conscientiam migrare possumus, ut nos ipsi de nobis, ut Entibus per se, cognitionem comparemus. Consequenter, Postulatum Cognitionis de rebus per se, satis erit clare cogitasse, ut eius Absurditatem perspicias.

Obs. 3. De Ente reali, in quantum id Cognitioni datum est, dicimus illud apparere, v. c. de Cometa: quare, etiam Obiectum Cognitionis, quâ tale, Ens apparens, seu sensibile, Graece φαινομηνον appellari potest. Neque tamen Phaenomenon in vana specie versatur. Nam, quod nonnisi esse imaginamur, id nulla realitate pollet: quod autem apparet, ei reale quidpiam, pro fundamento subiaceat necesse est, cum secus, Cognitioni haud datum esse posset. Obiecto cognitionis, Ens mere intelligibile, seu Noumenon opponitur, quod positivo, aut negativo sensu, ita vocari potest, pro eo ac id, iam positivis, iam mere negativis criteriis in cogitationibus determinatur. Sed quia Ens per se, duntaxat ut aliquid cogitatur, quod a nostra cognitione prorsus non pendet, ob eamque causam plane ignotum est: Res per se, est Noumenon, in sensu negativo.

Cum Idealismus Kantii transcendentalis, seu formalis, aut criticus, realem Obiectorum Cognitionis Exsistentiam non negat, sed duntaxat asserit, eadem, non ut Res per se, verum ut mere Phaenomena cognoscibilia esse: transcendentalis hic Idealismus tali sensu sumtus, admitti potest, licet is aptiori nomine, transcendentalis Synthetismus vocari posset, eo quod, propter originariam του realis et idealis coniunctionem, Realismum et Idealismum, non ut opposita systemata separat, verum synthetice coniungit. — Contra, si transcendentalis Idealismus, quemadmodum Fichte voluit, id innuit, ipsa Cognitionis Obiecta, nihil aliud esse, quam Producta Subiecti cognoscentis, seu, του Ego, proinde etiam, Mundum Sensualem, non aliud quidpiam esse, quam externam quandam Refulgentiam propriae nostrae activitatis internae; Conceptum autem rei per se, nullum esse, ac absurdum, consequenter eum, ne ut Conceptum quidem limitantem admittendum esse: profecto id genus Idealismus, absolutum philosophandi limitem migrat, Nomenque transcendentis (materialis et dogmatici) Idealismi meretur; — quemadmodum etiam Realismus ille transcendens dici deberet, qui Phaenomenis, quâ talibus, Exsistentiam a nostra cognoscendi facultate prorsus independentem adsignaret, proinde ea, pro rebus per se, aut pro identicis cum iis, haberet.

SECTIO II. De Variis Facultatis cognoscendi Ambitibus.

§. 14. Tres Facultatis cognoscendi Ambitus, seu Sphaerae.

Facultas cognoscendi, pro ratione variarum actuositatis nostrae Potentiarum, in triplici Sphaera (ambitu) potest considerari, puta: in inferiori, ubi illa, ut Sensus, seu, Sensualitas theoretica, — in altiori, ubi illa, ut Intellectus, — in suprema, ubi illa, ut Ratio theoretica, actuosa est: quarum prima, sensualis, secunda intellectualis, tertia rationalis Sphaera potest appellari. Et quia investigatio Legum Cognitionis, duntaxat plena, Facultatis cognoscendi Analysi, secundum omnes actuositatis eius Ambitus, possibilis est: Specialem hanc Cognitionis doctrinam, tribus capitibus complectemur, puta: Analytica Sensualitatis, — Analytica Intellectus, — et Analytica Rationis.

Obs. Quod in hac divisione, nulla Facultatis Iudicandi fiat mentio: id non immerito factum est. Nam Logica, in Doctrina sua elementari pura, Intellectum, Iudicium, et Rationem, in tribus Capitibus coordinatis ideo exponit, quia cogitatio his functionibus plane exhausta videtur. Sed intuitu Cognitionis, Ratio, longe aliam habet Tendentiam, quam Intellectus: adeoque Facultas iudicandi hoc loco, velut peculiaris quaedam Facultatis cognoscendi Potentia, commemorari nequit, cum omnia Iudicia, quae Obiecta Cognitionis attingunt, nihil aliud sunt, quam Conceptus Intellectus, ad haec relati, et invicem coniuncti.

CAPUT I. Analytica Sensualitatis.

§. 15. Perceptio, Intuitio, et Sensatio Sensus.

Conscii nobis sumus, nos per passivas Animi determinationes, ad Repraesentationes de certis Obiectis pervenire. Id genus Animi determinatio Affectio, seu Impressio vocatur, et Repraesentationes, quae inde exsistunt, si obiective sensuales sunt, Perceptiones, Intuitus seu Intuitiones dicuntur, sin autem eae, subiective sensuales sunt, Sensationes nominantur. Sunt autem Perceptiones, immediatae obiecti dati Repraesentationes, et quà tales, à sensu pendent. Est ergo Sensus seu Sensualitas, facultas Animi, per Affectionem passivam, ad Repraesentationes perveniendi; et cum repraesentationes hae, proxime, aut ad id, quod externe, aut ad id, quod interne perceptibile est, referri possunt: Facultas illa, partim externa, partim interna est; prior, Sensus externus, posterior Sensus internus appellatur.

Obs. Modus, ad Perceptiones, Intuitiones, et Sensationes perveniendi, hic est. Scilicet: quoties aliquid videmus, audimus, olfacimus, gustamus, et tangimus, toties Organa nostra sensoria, Obiectis externis, iam mediate, iam immediate continguntur, ac ad actuositatem impelluntur, quo facto, ita afficimur, seu, tales ab Obiectis recipimus impressiones, ut aliqua de Obiectis in nobis exsistat Repraesentatio, dicereque possimus: Nos percipere aliquid. Tum, pro eo ac, aut ad το obiectivum, aut ad το Subiectivum magis reflectimus: Perceptio vocatur Intuitio, aut Sensatio. Et quia, in qualibet Perceptione, το Obiectivum et Subiectivum, peraeque, et semper concurrunt; fit, ut expressiones Intuitionis, et Sensationis, sensu latiori, pro aequipollentibus usurpentur, ad sensuales Repraesentationes universe denotandas.

Quandoquidem autem, omnium Intuitionum, et Sensationum, quae ad Obiecta externa referuntur, iterato conscii esse possimus, quin Obiecta ipsa, nosmet denuo afficiant; cumque eas, cum consilio in nobis reproducamus, modificemusque; denique, cum universe, omne id, quod in nobis immediate fit, quove intrinsecus afficimur, percipere possimus: necesse est, ut praeter externam percipiendi facultatem, interna quoque in nobis sit, quae iure, Sensus internus, appellari meretur.

§. 16. Forma et Materia Sensualitatis.

Ad Possibilitatem Repraesentationum sensualium, in primis pertinet, ut Animo quidpiam detur, datumque hoc, ab Animo apprehendatur, quo sic, Repraesentatio quaedam inde, in eodem progignatur. Sed Modus, quo id fiat, vi legum originariarum, quibus ratio agendi Animi, in omni Actuositatis suae genere alligata est, a priori determinatus esse debet, cum secus, nullam stabilem, atque certam de ea, habere liceret nobis, cognitionem. Quae Animi agendi ratio, in Repraesentatione sensuali, potest etiam Forma Sensualitatis, Repraesentationis sensibilis, Intuitionis, Sensationisque appellari; quemadmodum id, quod Animo, per passivam eius Affectionem datur, Materia Repraesentationis sensualis, dicenda est (Fund. §. 73, 74.).

Obs. In quaque Repraesentatione sensuali, Forma et Materia, tam intime sunt coniunctae, unt se mutuo penetrent, unumque Totum simul efficiant, proinde non sponte separentur, et singillatim semet Repraesentanti exhibeant, sed duntaxat Abstractione, et Reflexione philosophica separari queant, et discerni. Verum, discrimen isthoc, simulae Natura Facultatis cognoscendi pervestiganda est, necessarium efficitur. Nam, quemadmodum mechanismus Horologii, neutiquam cum consilio indagari, determinarique potest, quin Forma eius interna, in cogitationibus nostris a materialibus illis, quibus hanc Formam, Artifex impertiit, abstrahendo separetur: ad eundem modum, Mechanismum Animi, intuitu Legum Cognitionis perscrutari non licet, quin ea formale Repraesentationum nostrarum, ad Cognitionem pertinentium, a materiali earundem distinguatur. Sed hoc discrimen, non in Conscientia communi, verum in philosophica tantum, locum habet (Fund. §. 74. Obs. 5.). Caeterum, ut id, quod voluntati datum est, materiam Voluntatis bene dicimus: ita, id quoque, quod Sensualitati datur, analogice, Materiam Sensualitatis nuncupare licebit.

Prioritas Repraesentationum quarundam, Formae debetur, non Materiae: verum, respectu duntaxat transcendentali, non empirico. Nam intuitu empirico, Forma et Materia, invicem plane non discernuntur, eo, quod unam eandemque Repraesentationem indivisam, simul sumtae efficiant. Et, si tamen utramque respectu transcendentali invicem discernimus: tum vero Forma, quae per Originarias Actuositatis Animi Leges determinata est, ita considerari debet, tanquam quae, Repraesentationibus sensibilibus effectis antecedat, eo quod, quaelibet earum, nonnisi Formae huic congruenter progigni potest. Hinc Forma Repraesentationis sensualis, pro conditione Possibilitatis, cuiusque Repraesentationis empirico-sensualis, eâ quidem a priori determinatâ, habenda est. Quare, si ad Sensualitatem, intuitu solius Formae reflectimus, eam, ut puram Animi Facultatem consideramus: contra, si ad eam, intuitu Repraesentationum, secundum Formam illam progenitarum reflectimus, eandem, ut Empiricam Animi Facultatem, consideremus, necesse est. Consequenter, pura et empirica Sensualitas, una, eademque Animi humani facultas est, sed diversa ratione expensa, et expendenda.

§. 17. Repraesentationes sensibiles fiunt in Spatio, et Tempore.

Conscii nobis ipsi sumus, nosmet omne id, quod per externum Sensum nobis ipsi repraesentamus, velut in Spatio locatum, et quidquid per internum Sensum nobis ipsi repraesentamus, velut in Tempore positum repraesentare, h. e. Obiecta Sensus externi, ut Varium iuxta se, Obiecta vero Sensus interni, ut Varium post se invicem positum, a nobis repraesentari, ne dubitandum quidem putamus. In quantum vero, etiam Obiecta Sensus externi, partim ut perdurantia, partim, intuitu conditionis eorum, ut mutabilia percipimus, in tantum illa, velut in Spatio et Tempore simul collocata, nobis repraesentamus.

§. 18. Repraesentatio Spatii et Temporis.

Sed Spatium et Tempus, in se et per se quoque considerata, nobis repraesentamus, — et Spatium quidem, ut Varium iuxta se positum, unum, continuum, et infinitum; — Tempus autem ut Varium post se invicem positum, unum, continuum et infinitum, per nos, nobis ipsis repraesentari, nemo est, si modo ad se attendit, qui ignoret.

Obs. Iam olim Scholasticos, hac in re, talem tulisse Sententiam constat, dum dixerunt: S. et T. est unum, continuum, infinitum. Scilicet: Quamquam nos Spatia et Tempora, per intervalla discernimus: attamen ea, ut partes unius eiusdemque Spatii, et Temporis, consideramus, quas proinde, non absolute, sed relative tantum, intuitu Totius, distinguere possumus, ut sunt v. c. cum dicimus: dextrorsum, sinistrorsum, pes cubicus, — maturius, serius, horae, minuta. — Tum, omnes Spatii et Temporis partes, in Repraesentatione totius Spatii et Temporis, velut immediate cohaerentes, adeo in se invicem confluunt, ut eae, duntaxat per sectiones arbitrarias, in cogitationibus separari, non autem prout libet, invicem avelli possunt. — Denique, S. et T. velut omnino infinitum quidpiam, nobis repraesentamus, ut omnes Phaenomenorum limites, intra S. et T. cadant, atque etiam ibi, ubi nihil amplius perciperetur, nos tamen, semper S. et T. pro perceptibilibus sumimus. Quare S. et T. in se et per se, h. e. absque respectu ad res in iis contentas, ut solam infinitorum Variorum, iam iuxta se, iam post se positorum, Unitatem nobis repraesentamus.

§. 19. S. et T. negative determinata.

Si in Repraesentationibus Spatii et Temporis, sola Unitas Variorum infinitorum, iuxta et post se invicem positorum, repraesentatur: intelligitur, Spatium et Tempus, neque res esse actuales, et substantiales, extra nos positas, neque proprietates talium rerum, — neque meros esse Conceptus relativos, — neque etiam inanes quasdam esse fictiones: sed ut Repraesentationes sint necesse est, quae ad Originarium quidpiam in Animo, intuitu Repraesentationis sensualis universe, referantur.

Obs. 1. Quod si S. et T. res essent substantiales: tum vero exis-

stentiam suam aliqua actione, aut passione, nobis annunciare deberent, quemadmodum hoc in aliis rebus huius generis, fit, quae plane ideo actuales vocantur, quod, et agant ipsae, et in eas agi possit. Atqui, nemo est, qui ullam positivam, aut negativam S. et T. actuositatem demonstrare posset, sed rerum ipsarum, in S. et T. positarum. Ergo, S. et T. non sunt res substantiales, sed aliquid, quod ab iis essentialiter differat.

Si S. et T. proprietates rerum essent; tum vero sublatis in cogitatione rebus, S. et T. quoque tolli necessario deberent. Atqui, si vel omnem rerum Universitatem, cum proprietatibus earundem, cogitando sustuleris: attamen Repraesentationes S. et T. minime disperibunt, sed eae, velis nolis, in cogitationibus, in perpetuum supererunt. Ergo, S. et T. non sunt proprietates rerum, sed aliquid, quod essentialiter ab iis differt.

Obs. 2. Quodsi S. et T. meri Conceptus relativi essent; tum vero ea, absque alia illa re, quae cum iis, in relatione possita esset, cogitari omnino non possent. Atqui Repraesentationes S. et T. nunquam non supererunt, etiamsi res quasque, in S. et T. exstantes, cum earum relationibus, cogitando sustuleris. Ergo S. et T. non sunt meri Conceptus relativi.

Si S. et T. Repraesentationes confictae essent; tum vero illa in Anima, ea Universalitate et Necessitate, haud quaquam praedita essent, ut nemo Repraesentationes S. et T. in sua conscientia delere, ac exstinguere posset, quin potius, quisque nostrum cogitur, rem quamque, quam ponit, in S. et T. ponere. Ergo S. et T. non sunt Repraesentationes mere imaginariae, et fictae, sed aliquid eius generis, quod in originaria Animi constitutione, intuitu Repraesentationis sensualis, fixum et radicatum est.

§. 20. S. et T. positive determinata.

Cum in Animo, intuitu Repraesentationis sensualis, nihil praeter Formam eius originarie determinatum est: profecto, in Repraesentationibus, ad omnia per externum, internumque sensum perceptibilia necessario referendis, illa ipsa Forma debet repraesentari; adeo quidem, ut nihil externi, aut interni liceat intueri, quin id in S. et T. aut in utrisque simul, intueare. Quare, est ea originaria Sensualitatis lex, ut quidquid Animo externe, aut interne, datum est, id, ut Varium quodpiam, iuxta, et post se invicem positum, repraesentetur. Hinc, vi huius Legis, Animus sibi, ipsam Variorum infinitorum, iuxta et post se invicem positorum Unitatem, repraesentat, sic quidem, ut Varia quaeque singula, separata et limitata, iuxta et post se invicem collocata, nobis appareant, velut complexa in uno, continuo, et infinito Vario, iuxta, aut post se posito, quod Spatium et Tempus nuncupamus.

Obs. 1. S. et T. non simpliciter sunt intuendi Formae, quemadmodum vulgo loquimur, sed Repraesentationes demum Spatii et Temporis, Formae intuendi esse censendae sunt, quippe quibus Animus, velut Subiectum cognoscens, propriam suam intuendi Formam, ipse sibi repraesentat, easque res, ut Cognitionis Obiecta transfert. Nos

scilicet id, quod proprie, duntaxat in subiectiva conditione, possibilitatis Intuitionis nostrae externae, et internae inest, ad res ipsas, quas intuemur, velut obiectivam conditionem Possibilitatis exsistentiae earum, ab Animo independentis, transferimus. Hinc est, quod dicimus: Res sunt in S. et T. quoniam eas in S. et T. h. e. ut Varia iuxta, et post se invicem posita intuemur. Quod autem S. et T. interdum, ut substantiale quidpiam personificatur, v. c. dum dicimus: Tempus edax rerum: nae id, nihil aliud esse, quam symbolicam tantum loquendi rationem, facile intelligitur

Obs. 2. Qui fit, quod in Spatio, externa tantum, in Tempore autem tam externa, quam interna intuemur? Procul dubio, inde hoc fit, quod partes eius, quod Animo extrinsecus datum est, ab Animo post se invicem, proinde in certis Temporis particulis, apprehenduntur, et quod quaelibet Repraesentatio Sensus externi, ut quidpiam, quo Status Animi mutatur, simul interne perceptibile est, proinde, Obiecta sensus externi Legi quoque, seu, Formae Sensus interni congruenter, debent repraesentari. Haec est ratio, cur Repraesentatio quoque Temporis, ad Obiecta externa, praecipue, intuitu Mobilitatis eorundem, et Mutabilitatis ab ea pendentis, referatur. — Nam, quaelibet mutatio externa, a nobis percepta, etiam in nobis ipsis, certam mutationem efficit, et in quantum haec Formae Sensus interni subest, illam quoque eidem subordinari necesse est.

§. 21. Repraesentationes S. et T. ut purae, sensibiles, universales et necessariae Repraesentationes.

Si Repraesentationes S. et T., originarias intuendi Formas Animi exhibent: sequitur, esse eas, Repraesentationes puras, seu a priori, — esse Repraesentationes sensuales, seu Intuitiones, — denique, esse eas Repraesentationes, universales ac necessarias. — Atque haec ratio est, cur cognitiones quoque, quae puris Spatii et Temporis Intuitionibus nituntur, puta Mathematicae (Fund. §. 97.) apodictica polleant certitudine, et pro omnibus obiectis empiricis, peraeque veleant.

Obs. 1. Repraesentationes S. et T. non ideo purae, seu a priori vocantur, quasi eae, connatae nobiscum essent, si quidem omnes Repraesentationes sunt Producta Animi, actumque, qui in serie Temporis praecedit, supponunt: verum ideo, quoniam eae, quoad argumentum, ad originarium quidpiam in Animo, seu, ad *to*, a priori determinatum, referuntur. Quamquam ergo eaedem, ut Repraesentationes, tum demum in Conscientia comparent, cum Obiecta data, secundum originariam agendi rationem Sensualitatis, intuiti fuimus, neque tamen idcirco eae, Repraesentationes empiricae, seu a posteriori natae, dicendae sunt, cum hae, universe ad res in S. et T. exstantes referuntur, adeoque, Spatium et Tempus, velut illam Formam supponunt, secundum quam, res nos, iuxta et post se positas, originarie intuemur. Proinde ne unica quidem Repraesentatio empirica, cogitari potest, in qua, non purae illae Spatii et Temporis Repraesentationes, simul offenderentur v. c. in his: Animal, domus, sidera, flos, nativitas, morbus, mors etc.

Obs. 2. Repraesentationes S. et T. Repraesentationes sensuales,

seu Intuitiones, ideo vocantur, quod S. et T. in iis immediate repraesentantur. Quodsi eae, Conceptus essent: tum vero eaedem, mediatae Repraesentationes essent, et ex aliis Repraesentationibus, per coniunctiones notarum existerent. Sed S. et T. in Intuitione ipsa, ut totum quodpiam apprehenditur, et Repraesentationes de determinatis S. et T. partibus, totali duntaxat illa Intuitione possibiles sunt. Quilibet Conceptus, ut Repraesentatio communis, plures sub se comprehendit res; sed Repraesentationes S. et T. particularia quaelibet, et limitata Spatia et Tempora, in se conprehendunt. Consequenter, Repraesentationes S. et T., non ut Conceptus ad Intellectum, sed ut Intuitiones, ad Sensum referri debent, eo quod, eae fundamentales sunt Intuitiones, ad quas reliquae omnes redeunt, — quae etiam ratio est, cur S. et T. definiri realiter, quemadmodum Conceptus, nequeant.

Obs. 3. Repraesentationes S. et T. sunt universales, et necessariae Repraesentationes, eo quod, omne originarium, est simul universale, ac necessarium. Hinc, nihil est, quod nobis ipsi, modo sensuali repraesentare possimus, si quidem de Phaenomeno sermo est, ut non το ubi, et το quando, simul anquiramus. Quodsi ergo, id genus Cognitiones dantur, quae utrisque illis, puris Intuitionibus, ut universalibus et necessariis Animi nostri Repraesentationibus innituntur: profecto, Cognitionesquoque hae, ut eundem cum iis valorem habeant, Cognitionesque sint a priori necesse est, nam determinationes Spatii et Temporis, etiam rerum in S. et T. exstantium determinationes esse debent, cum has, non aliter a posteriori possumus intueri, quam secundum intuendi formam, a priori determinatam. Et quia Conceptus quantitatum mathematicarum, puta: numeri, figurae, motus in S et T. construuntur, et ex intuitivis his constructionibus, veritates mathematicae deducuntur: non dubio intelligitur, cur iis, Universalitas et Necessitas, sensu strictissimo, conpetere debeant. Proinde iure Critica pronunciavit, Mathematicum, apodictica Iudicia de quantitatibus ferre a priori non posse, nisi Spatium et Tempus pure, seu originarie intueri liceat.

Recta quoque est Assertio Criticae, Repraesentationibus Spatii et Temporis, ut Idealitatem transcendentalem: sic Realitatem quoque empiricam, simul competere, h. e. et Spatium et Tempus, aliquid simpliciter subiectivi, in nobis esse, simulac ab eo abstrahas, quod Animo Obiecta, ut Phaenomena Sensus externi, et interni data sint, intuitu autem horum Obiectorum, Obiectivitas iis attribui debeat.

Pariter, recta quoque est Assertio Criticae, Repraesentationes Spatii et Temporis, dumtaxat ad sensibilia, h. e. ad ea, quae externam et internam percipiendi falcultatem subeunt, non autem ad suprasensibilia, h. e. sola Ratione repraesentabilia Entia, esse applicabiles, proinde eas, non esse determinationes rerum per se, seu νοουμενων consideratarum, sed Phaenomenorum dutaxat, nobis in sensibus nostris apparentium.

§. 22. Categoriae, seu Praedicamenta Sensualitatis.

Cum το Reale (το esse universe) sensualiter repraesentatum, tam sub Forma Spatii (velut reale quodpiam in Spatio, seu iuxta se positum aliquid) quam etiam sub Forma Temporis, (velut Rea-

le quodpiam, in Tempore, seu post se positum aliquid) apparere potest, et, quando quidem *το* Reale in Spatio, ut simul, Reale quoque in Tempore appareat: intelligitur, originariam Facultatis cognoscendi Categoriam universe (§. 12.) in tres particulares Categorias sensuales distribui, h. e. non possumus non cogi, quin ad Obiecta Cognitionis, de quibus Realitatem universe praedicamus, tria alia Praedicata referamus, quae in ipsa originaria Sensus Forma, seu, in naturali nostra intuendi ratione fundata, constitutaque sunt; et quae ob eam ipsam caussam, universis Sensus Obiectis, qua talibus, in tantum competunt, in quantum ea, externe, aut interne, percipimus. Quae universalia, et necessaria Praedicata sensibilia, non alia, quam haec tria esse possunt: Spatiositas, — Temporalitas, — spatiosa Temporalitas, temporalisque Spatiositas, atque ita semet inter se habent, quemadmodum Thesis, Antithesis, et Synthesis. Ex quibus originariis Sensualitatis Praedicamentis tribus, exsistunt reliqua Sensualitatis Praedicabilia, puta: Extensio, Locus, Duratio etc.

Obs. 1. Tabula Categoriarum Aristotelico-Scholastica antiqua, decem, ut notum est, Categorias, seu Praedicamenta in se continebat, v. c. Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Ubi, Quando, Situs, Habitus, Actio, Passio, et quinque Postpraedicamenta, puta: Oppositum, Prius, Simul, Posterius, Motus. Sed haec Tabula, nimium quantum mendosa fuit. Nam, partim iusto plus, partim iusto minus in se conplectebatur, et dispositione systematica, quam scientia postulat, prorsus fuit destituta. Quae omnia, cum perspicatiam Kantii, haud effugerent: novam is Categoriarum Tabulam condidit, quae sub quatuor Classium titulis duodecem Praedicamenta in se continet, sed intellectualia tantum, sensualibus Categoriis inde seclusis. De iis infra §. 42. agetur.

Obs. 2. Praedicabilia Sensualitatis, puta: Extensio, Locus, Duratio, etc. minime cum tribus cardinalibus Sensus Categoriis, confundenda sunt, quemadmodum hoc, in antiqua Categoriarum Tabula factum est. Praedicabilia, sunt derivata, Praedicamenta, originaria, Praedicabilia omnia, ad relationes rerum, in Spatio et Tempore referuntur, adeoque Spatiositatem, et Temporalitatem rerum, universe praesupponunt. — Ipsa Extensio aliud quid est, quam Spatiositas universe: si quidem Extensio, tam intuitu Spatii, quam intuitu Temporis, locum habet: illa Extensio, haec Protensio est. — De Praedicabilibus nunc statim dicemus.

§. 23. Dimensiones Spatii et Temporis.

Spatium, quemadmodum repraesentamus, tres habet dimensiones, puta: Longitudinem, Latitudinem, et Profunditatem, seu Altitudinem, quae intuitu rei cuiuspiam, in Spatio simul sumtae, Crassitudinem eius efficiunt. — Tempus autem, nonnisi unam habet dimensionem, quae analogicae, ad primam Spatii dimensionem, Longitudo potest appellari. Vi huius Analogiae, ipsum quoque Tempus, ut infinita quaedam Linea, repraesentatur, in qua, Praeteritum,

Praesens, et Futurum, velut partes magnitudinis indeterminatae, discernuntur.

Obs. Tertia Spatii dimensio, vulgo Crassitudo eius appellatur. Enim vero Crassitudo, coniunctione demum, omnium trium Spatii dimensionum, exsistit, et de Spatio, neque dici potest, esse illud crassum, sed de re tantum, quam in Spatio, secundum tres dimensiones, intueri licet, proinde, de corpore aliquo. Quod Tempus, in Forma lineae infinitae repraesentatur, indubie inde fit, quod in eo, varias dimensiones discernere nequimus, sed in eo, duntaxat *ro*, post se invicem esse, repraesentamus, quod solâ lineâ in infinitum protensâ, quasi schematisamus. Unde vicissim, alia Temporis Schemata exsistunt, v. c. Torrentis rapidissimi, sphaerae aequabiliter provolutae, Genii alati, Deique opposita fronte instructi. — Quare, cum nobis repraesentamus, Punctum, aliquam lineae Temporis partem decurrisse, et aliam partem mox decursurum, tum vero exsistunt Repraesentationes, Praeteriti, et Futuri velut partes Temporis, a parte ante, et a parte post. Instans, est pars lineae Temporis, inter Praeteritum et Futurum posita, quae sensu latiori, iam maior, iam minor est.

§. 24. S. et T. absolutum et relativum.

S. et T. vocantur absoluta, in quantum ea, in se, et per se, et unicae, continuae et infinitae magnitudines considerantur: relativa autem in quantum in iis, certae partes discernuntur, et ad se invicem referuntur.

§. 25. S. et T. completum, et vacuum.

S. et T. vocantur completa, in quantum Obiecta Perceptionis, in iis deprehenduntur: vacua autem, in quantum ea, sine Obiectis perceptibilibus repraesentamus. Num vero Spatia et Tempora vacua, re vera dantur; de eo alibi locorum disputabimus.

§. 26. Locus. Duratio.

Quod in Spatio est, Alicubi est, quod in Tempore est Aliquando est. Pars Spatii determinata, quam Obiectum occupat, vocatur Locus, et pars Temporis determinata, ab Obiecto occupata, dicitur Duratio.

§. 27. Extensio spatiosa et temporalis.

Extensum, sensu latiori est, quod certas Spatii, et Temporis partes, occupat. Est ergo Extensio, alia spatiosa, alia temporalis: illa per Eminentiam, seu sensu strictiori, Extensio, haec Protensio nominatur.

§. 28. Motus.

Cum res quaepiam, locum suum mutat, movetur. Sed cum Mutatio haec, non aliter, quam successive potest evenire: Motus, seu motio, ad Spatium et Tempus simul, refertur. Quilibet itaque Motus, etiam pro protensiva Extensione, reputari debet.

Obs. Pro mutatione Loci, potest, Motus, tunc quoque explica-

si, si res tota in motum concitata, locum suum non mutat: v. c. Motus sphaerae circa axem, nam hoc in casu, saltem partes rei motae, locum suum mutant. Sed in omni motu, sive is quoad Totum, sive quoad Partes sit loci mutatio, Extensio protensiva locum habet. Res enim mota, se in Spatio extendit, non quidem ut maior fiat, sed ita, ut ea, iam progrediatur, iam regrediatur, iam ad sinistram, aut dextram deflectat, ascendat, aut descendat, h. e. protensive Spatium decurrat, — quod etiam, de Puncto mathematico, cum circulum describit, dici potest. Quare Motui, quippe Praedicato, intuitu Physicae universae, tam necessario, et momentoso, tertia Categoria Sensualitatis, pro fundamento posita est.

§. 29. S. et T. intermedium.

Res in S. et T. exstantes, aut sunt Entia distantia, seu remota, aut confinia, seu contigua. Distantia rerum in S. et Tempore, per intervallum locale, et temporale determinata est. Distantia maior, Longinquitas, minor Propinquitas vocatur.

Obs. Spatium Temporis determinatum dicitur Periodus, limitaturque Epochis. Hinc eventus quispiam, velut Reformatio religiosa, Epocham efficit, si is, ut Punctum incidens memorandum, ad claudendam Periodum historicam usurpatur.

§. 30. Situs. Simultaneitas. Successio. Prius. Posterius.

Relatio rerum, intuitu loci earundem, vocatur Situs, Relatio autem in Tempore, aut est Simultaneitas, si eae uno eodemque Tempore, aut Successio, si diversis temporibus exstant. Sensu posteriori unum est Prius, alterum Posterius.

Obs. Omnia haec et singula, ex originariis Sensualitatis Categoriis, derivata, rerum Praedicata sensualia, Postpraedicamenta sensualia seu Praedicabilia Sensualitatis appellari possunt, ut a Praedicamentis, seu Categoriis Sensuum possint discerni. Ex antiqua Categoriarum Tabula huc pertinent tria Praedicamenta: Ubi, Quando, Situs, et quatuor Postpraedicamenta: Prius, Simul, Posterius, Motus. Quintum enim Postpraedicamentum: Oppositum, aut mere logica est conceptuum Relatio, aut ad Praedicabilia Intellectus pertinet, si realem Obiectorum Cognitionis Relationem innuit. Caeterum, Praedicabilia sensualia, quemadmodum Praedicamenta ipsa, nonnisi Phaenomenis competunt.

Neque tamen Repraesentationes Sensualitatis, quemadmodum Leibnitius, et eius Asseela Wolfius contendebant, in se, et per se obscurae, aut confusae sunt. Nam si Animus vivide, et varia ratione affectus est: tum vero Repraesentationes sensuales, per hoc excitatae, magnum Claritatis gradum possunt assequi. Quod autem Confusionem attinet, haec non in defectu sensualium, verum intellectualium Repraesentationum inest, cuius culpa, Intellectui adscribenda est. Quare, neque etiam dici potest, Sensualitate nos decipi, aut falli, cum potius ea, Intuitionibus, sensationibusque suis, materiam Conceptibus suppeditat, altiori Animi actuositate amplius elaborandis. Haec caussa est, cur in Philosophia Leibnitiano-Wolfiana, Conceptus nunquam non ut perspi-

euae, contra Intuitiones, et Sensationes, ut imperspicuae, seu, confusae Repraesentationes characterisantur (describuntur), proinde transcendentale earundem discrimen, in mere logicum permutatur. (Log. §. 33.)

CAPUT. II. Analytica Intellectus.

§. 31. Metaphysica Intellectus consideratio.

Cogitationem, pro facto sumtam, ipsa iam Logica recogneseit (Log. §. 13.), sed eam duntaxat ut functionem analyticam, seu, Cogitationem meram pervestigat (Log. §. 8.). Contra Metaphysica eandem, ut Functionem syntheticam, velut cogitationem realium obiectorum, considerat (§. 2.). Proinde Metaphysica, in quantum Facultatis cogitandi, seu Intellectus Analytica est, Intellectum ut Potentiam Facultatis cognoscendi expendit, quae ultra Facultatem intuendi, ac sentiendi, seu supra sensus assurgit, et Conceptus, quippe Repraesentationes mediatas, quae ex intuitionibus, et sensationibus, ut inmediatis Repraesentationibus exsistunt, quemadmodum elementa cognitionis in origine eorundem, obiectivaque relatione, seu significatione reali sumit.

§. 32. Forma et Materia Intellectus et Conceptuum.

Cum Metaphysica Pura, solam originariam cognoscendi Formam investigat: eadem, ut Analytica Intellectus, modum tantum disquirit, quo realia obiecta cogitentur, seu Formam Animi, in repraesentandis, per Conceptus, Obiectis, secundum originariam eius Legalitatem cognoscere laborat. Quae cogitationis syntheticae Forma, Forma quoque Intellectus, et Conceptuum appellari potest. Materia autem Intellectui oblata, inest in Repraesentationibus ipsis sensualibus, quarum Formam Analytica sensualitatis iam pervestigavit.

§. 33. Triplex Facultatis Cognoscendi Operatio.

Operatio Intellectus, in cogitando Obiecto, triplex est puta: abstrahendo discernere, — reflectendo coniungere, — et determinando dignoscere. Scilicet, per sensum Animo, copia quaedam rerum in Spatio et Tempore, proinde Varia quaepiam, eorumque Unitates, partim iuxta, partim post se invicem offeruntur. Quare, Intellectus est, Varia isthaec discurrere, ut certas in iis Obiectorum sensualiter repraesentatorum notas abstrahat ac discernat. — Tum ad diversas has notas velut invicem iungendas, vicissim ei reflectendum est, ut eae ad unitatem altioris cuiusdam Repraesentationis, seu Conscientiae coniungantur, proinde Conceptus, seu Notio ex iisdem, construatur. Denique Conceptus, hac ratione efformati, ad Obiecta, sensualiter repraesentata, referantur, quo sic haec, velut limitibus conclusa, determinari, et invicem, ut obiecta determinata, dignosci queant. Atque, in triplici hac Intellectus actuositate synthetica, Cogitatio, seu Cognitio consistit.

Obs. Separatio isthaec, nonnisi in libere constructa, philosophi-

ca, seu transcendentali, non autem in communi, seu empirica Conscientia locum habet, ubi triplex illa Operatio, in sua, cum sensatione coniunctione, dumtaxat unum actum efficit Quare Cognitio nihil aliud est, quam effectio, et relatio notionum ad Obiecta data, quibus ea, ut determinata obiecta, a reliquis dignoscantur. Mera Formatio, seu Acquisitio Conceptuum, haud quaquam Cognitionem efficit: cum multae sint res, de quibus Conceptum habeamus, quin eas cognoscamus. Quin potius cognoscere tantundem significat, quam ex datis Variis, Conceptus informare, eosque ad res ipsas referre, ut has, velut Obiecta determinata, invicem liceat discernere. Illa itaque Unitas, quae, per hoc, in varia Repraesentationum sensibilium de Obiectis infertur, synthetica, seu obiectiva Intellectus Unitas potest vocari, ut a mere subiectiva Repraesentationum Coniunctione, discernatur, quae sola Notionum, quae praesto sunt, Analysi efficitur, et Analytica, seu subiectiva Intellectus Unitas vocitatur.

§. 34. Metaphysicum Iudicii synthetici et analytici discrimen.

Si Obiectum Cognitionis quodpiam Conceptu cogitatum, proinde Relatio Obiecti, et Conceptus eius mutua, in cogitationibus determinatur, Cogitatio est Iudicium syntheticum: sin autem, ad Conceptum quempiam, iam praesto exstantem, una notarum eius refertur, proinde Relatio utriusque mutua, in cogitationibus determinatur, Iudicium est Analyticum. Illi, obiectiva, huic subiectiva, Intellectus Unitas, pro Fundamento subest.

Obs. 1. Iudicare est cogitare (Log. §. 51.), h. e. Relationem Repraesentationum, ad Unitatem conscientiae determinare. Sed quia Unitas Conscientiae, aut Synthetica est, aut Analytica: Iudicium quoque quodlibet syntheticum, aut analyticum esse oportet v. c. Iudicia: Haec res est Animal, — haec Linea est circulus, synthetica sunt; contra haec: Animal est Ens organicum, — Circulus est rotundus, Iudicia sunt analytica. Iudicia synthetica originarie semper ad determinata Cognitionis obiecta referuntur, et cognitionem dilatant: contra Iudicia analytica, ad Conceptum iam praesto exstantem referuntur. In Iudiciis syntheticis Obiectum ipsum est Subiectum Iudicii, et Praedicatum est Conceptus de Obiecto, pro Nota eius sumtus: in Iudiciis analyticis, Conceptus de Obiecto est Subiectum Iudicii, et Praedicatum, est Nota quaedam singularis, ad Conceptum pertinens.

Quia vero Conceptus, intuitu omnium possibilium Notarum, non est omnimode determinatus, sed indeterminatam duntaxat Notarum copiam in se continet, pluresque adhuc determinationes admittit: possunt esse Iudicia, quae diverso respectu, iam pro syntheticis, iam pro analyticis haberi possunt, v. c. Qui nunc primum ferret Iudicia isthaec: Animalia sunt Entia, quae pro Arbitrio se movent, — Circulus omnes Diametros aequales habet: ea illi synthetica forent, qui autem hac synthesi, dudum defunctus est, ei eadem analytica forent. Quare Iudicia synthetica, in originaria, seu stricte talia, ac in relativa, seu sensu lato talia, distribuenda sunt.

Obs. 2. In Critica Rationis purae, Enunciatum isthoc: Omnia

corpora sunt extensa, ut exemplum Iudicii analytici, et Enunciatum isthoc: Omnia corpora sunt gravia, ut exemplum Iudicii synthetici, allegatum est: ubi, ut videre est, nonnisi subiectum Iudicii synthetici, et analytici discrimen expositum est. Nam, in Critica, sermo est de Conceptu iam praesto exstante, scilicet de conceptu corporis, ad quod in Iudicio priori, Nota Extensionis, in altero autem, praeter eam, Nota quoque gravitatis refertur. Hinc factum est, quod Criticae adversarii assererent, sibi Iudicium secundum, non minus analyticum videri, quam primum. Pari dissidio obnoxium fuit Iudicium isthoc famosum: $7 + 5 = 12$, quod Critica simpliciter syntheticum esse asserebat. Quare, quoties datos iam de Obiectis Conceptus, novis Notis, sive eae a posteriori, sive a priori fuerint, propius determinamus: profecto toties synthetice iudicamus, ubi autem synthesis iam perfecta est: Iudicium nobis videtur analyticum.

§. 35. Relatio Formae Conceptuum originariae, ad originarias Iudiciorum Formas.

Cum omnis Cogitatio in Functione iudicandi synthetica, aut analytica inest, si quidem, ope cogitationis, aut Conceptus ad suum Obiectum, aut Nota tantum ad suum Conceptum refertur: profecto, Forma agendi Intellectus in cogitando, Formae eiusdem in iudicando, plane congrua esse debet. Hinc, ut originariae quoque Conceptuum Formae, cum originariis Iudiciorum Formis, coniunctissimae sint, necesse est: consequenter, ad omnes originarias Conceptuum Formas inveniendas, originariis Iudiciorum Formis, velut filo Ariadnaeo, ab ipsa Logica oblato, omnino utendum esse sponte patet.

Obs. Logica quidem ostendere potest, quomodo, seu secundum quas Formas, dati Conceptus in Iudiciis, generatim simul cogitentur, quomodo autem Conceptus de Obiectis formari, seu Obiecta universe cogitari debeant, id vero, quia syntheticam cogitandi rationem attinet, Metaphysicae relinquit. In eo vero Logica, Metaphysicae utiliter praeit, quod, quaenam originariae Iudiciorum sint Formae, confecit, cum ex his demum, originariae Conceptuum Formae, propter naturalem, et necessarium utriusque nexum, deduci quam facillime queant (Log. §. 50. Obs. 2.). Quae originariorum Intellectus Conceptuum, quos Categorias vocamus, plena, systematicaque detectio, et exhibitio, Criticae Rationis Immanuelis Kantii debetur.

§. 36. Categoriae Intellectus, quâ originarii, seu primitivi eius Conceptus.

Si originarias Cogitationum Formas in abstracto, h. e. separatim a Materia, cumqua eae, in Conscientia communi, ad actuales de Obiectis cognitis Conceptus, coniunctae sunt, nobis repraesentamus: tum vero, non amplius quidpiam cogitamus, quam ipsum Obiectum universe, h. e. universales, de rebus, Repraesentationes, quae ad cognitionem, aliqua tandem ratione, dari potuerint, proinde Conceptus per quos, non ipsa quidem Obiecta cognita, sed tantum, certae eorundem notae, (Praedicata, vel Categoriae) repraesentantur. Et quia Obiecta cognitionis, non ali-

ter cogitari possunt, quam id originariae Animi nostri constitutioni congruum est, eae autem cogitandi Formae, in ipsa hac originaria Animi Forma, simul comprehenduntur: sequitur, per hoc ipsum iam, omnes eas notas, a priori determinatas esse, quae de Obiecto quopiam universe, in quantum id cogitatur, praedicari possunt; — sequitur, eosdem Conceptus, has ipsas notas, a priori determinatas, esse, — denique sequitur eosdem, puras, universales, necessariasque esse Repraesentationes. Ii itaque, etiam originarii Intelligentiae Conceptus, aut per eminentiam, Categoriae Intellectus, appellari possunt.

§. 37. Quadruplex Categoriarum Intellectus detegendarum ratio.

Quemadmodum in Logica (§. 25, 53.), Conceptus et Iudicia, intuitu Quantitatis, Qualitatis, Relationis, et Modalitatis eorundem considerata sunt: ad eundem modum etiam, in Metaphysica, Obiecta Cognitionis, per Conceptus determinanda, et diiudicanda, quadruplici hac ratione considerare oportet, ut illae Intellectus Categoriae conficiantur, quae ex originaria cognitionis Animi Forma, exsistunt.

§. 38. Categoriae Quantitatis.

Iudiciorum Formis, quoad Quantitatem, vi quarum individualiter, plurative, seu particulariter, et universaliter iudicamus (Log. 5, 54.) totidem respondent Categoriae, Quantitatem Obiectorum cognitionis spectantes, puta: Unitas, Pluritas, Universitas seu Omnitudo.

Obs. In quantum Iudicium individuale, ut obiective validum cogitatur, h. e. ad Obiectum Cognitionis reale refertur, Subiectum Iudicii, pro tali Obiecto cogitatur, cui Unitas convenit, seu, quod individuum est. In quantum Iudicium plurativum, seu particulare, pro obiective valido cogitatur: Subiectum Iudicii, pro tali Obiecto cogitatur, cui Pluritas convenit, seu, quod res est, e pluribus partibus constans. — In quantum denique Iudicium universale, ut obiective validum, cogitatur, Subiectum Iudicii, pro tali Obiecto cogitatur, cui Omnitudo convenit, seu quod ex pluribus constat, et tamen simul Unum h. e. Totum est.

Tertia Categoria, ex coniunctione duarum praecedentium exsistit, atque tres hae Categoriae, ita semet, ad se invicem habent, quemadmodum, Thesis, Antithesis, et Synthesis. Sed haec Synthesis haud mera Additio est Unitatis ad Pluritatem, cum sic duntaxat, maior Pluritas efficeretur: verum, est illa Synthesis, Cogitatio Pluritatis, ut Unitatis, proinde talis, quae in determinatione Pluritatis, per Conceptum Unitatis, inest. Quare Synthesis, quâ Universitas cogitatur, tam peculiaris Intellectus actus est, quemadmodum ii, quibus Unitas, et Pluritas, cogitantur. Hinc Conceptus Universitatis, seu Omnitudinis, originariis Quantitatis Conceptibus accensendus esse videtur.

§. 39. Categoriae Qualitatis.

Iudiciorum Formis, quo ad Qualitatem, vi quarum, positive,

negative, et limitative iudicamus (Log. §. 55.), totidem respondent Categoriae, Qualitatem Obiectorum Cognitionis spectantes, puta: Positio, Negatio, Limitatio.

Obs. 1. In quantum Iudicium positivum, ut obiective validum cogitatur, in Subiecto Iudicii, ut Obiecto Cognitionis, aliquid (Qualitas) ut positivum cogitatur. In quantum Iudicium negativum, ut obiective validum cogitatur, — in Subiecto Iudicii ut Cognitionis Obiecto, aliquid, ut non positivum, seu negativum cogitatur. — In quantum denique Iudicium limitativum, ut obiective validum cogitatur, in Subiecto Iudicii, ut Obiecto Cognitionis, eius modi Positivi, cum Negativo coniunctio cogitatur, perquam illud non tollitur, sed negative ponitur, quod in Limitatione inest.

Tertia Categoria, ex coniunctione duarum praecedentium exsistit, atque, ita se ad illas habet, quemadmodum Synthesis. Sed Synthesis isthaec, haud mera compositio est, Possitivi, cum Negativo, sic enim se mutuo tollerent: verum cogitatio Positivi illa est, velut per aliquid alterum determinati, quod ut negativum cogitatur. Est ergo haec Synthesis, quâ Limitatio cogitatur, tam peculiaris Intellectus actus, quam sunt illi, quibus Positivum, et Negativum cogitantur. Proinde Conceptus Limitationis, originariis Qualitatis Conceptibus adnumerandus esse videtur.

Obs. 2. Positio in Categoriis, Qualitatis, minime cum Realitate ipsa confundenda est, si quidem haec, velut Centrum quoddam, omnium reliquarum Categoriarum, longe altiori pollet dignitate. Etenim Reale quidpiam prius cogitandum est, quam ei, Categoriae Quantitatis, et Qualitatis attribui possent. Quare, Conceptu Positionis, minimi *ro* Reale cogitandum, quasi vero, Positio = Realitati esset, sed aliquid, quod in Reali inest. Proinde, Categoriae Qualitatis, id solum innuunt, nos in Obiectis Cognitionis, ut Entibus realibus, hoc ponere, illud autem tollere debere. Unde necessario Limitatio emergit, absque qua, nullum omnino esset discrimen, consequenter, nulla quoque rerum cognitio possibilis foret.

§. 40. Categoriae Relationis.

Iudiciorum Formis, quoad Relationem, vi quarum categorice, hypothetice, et disiunctive iudicamus (Log. §. 57.) totidem respondent Categoriae, Relationem Obiectorum Cognitionis spectantes, puta: Substantialitas, Causalitas, et Commercium, seu mutua Efficacitas.

Obs. In quantum Iudicium categoricum, in quo elementa Iudicii semet, ut Obiectum et Notae, ad se invicem habent, pro obiective valido cogitatur, inter Obiectum et Notam eiusmodi Relationem cogitamus, ut unum, v. c. A. ut Subiectum alterius v. c. B., et hoc nonnisi, ut Praedicatum illius possit repraesentari: hinc *ro* A. Ens subsistens, seu substantia, *ro* B. autem, Ens inhaerens, seu Accidens (accedens) vocatur. Quare Conceptus Substantialitatis, quippe Relationem rerum spectans, necessarium suum Correlatum in Conceptu Inhaerentiae habet, et ambo simul cogitari debent, v. c. Aethiops est niger.

In quantum Iudicium hypotheticum, in quo elementa Iudicii se-

met, ut Ratio, et Consequentia, ad se invicem habent, pro obiective valido cogitatur: inter Rationem et Consequentiam, eiusmodi Relationem cogitamus, ut unum v. c. A nonnisi ut determinans *ro* esse alterius, v. c. B, et hoc intuitu sui esse, duntaxat, ut determinatum per illud, possit repraesentari: hinc *ro* A Ens efficiens, seu Caussa; *ro* B autem, Effectus, seu Ens effectum, quippe a priori illo dependens, appellatur. Quare Conceptus Causalitatis, quippe Relationem rerum spectans, necessarium suum Correlatum, in Conceptu Dependentiae habet, et ambo simul cogitari debent, v. c. cum dicimus: Si Sol splendet: lucidum est.

In quantum denique Iudicium disiunctivum, in quo elementa Iudicii semet, ut Totum et Partes, ad se invicem habent, pro obiective valido cogitatur, inter Totum et Partes, eiusmodi Relationem cogitamus, ut unum v. c. A. alterum B, et hoc vicissim illud, reciproce determinet, et in mutua hac Efficacitate, unum Totum conficiant, unde commercium isthoc, ut mutua activitas et passivitas cogitatur, et ambae quidem simul, v. c. partes corporis humani, aut sunt fluidae, aut solidae. — Atque, haec caussa est, cum tertia haec Categoria, per Synthesim ex praecedentibus orta, ad originarios Intellectus Conceptus pertineat, peculiaremque eius actum requirat, si quidem Substantia, ut causa cogitata, nondum Conceptum Commercii exhaurire putanda est.

§. 41. Categoriae Modalitatis.

Iudiciorum Formis, quoad Modalitatem, vi quarum problematice, assertorie, et apodictice iudicamus (Log. §. 58.) totidem respondent Categoriae, Modalitatem Obiectorum Cognitionis spectantes, puta: Possibilitas, Actualitas, et Necessitas.

Obs. 1. In quantum Iudicium problematicum, pro Obiecto valido cogitatur, Obiectum, de quo iudicamus, in tali Relatione ad Facultatem cognoscendi, cogitandum est, ut illud cognosci queat, proinde, ut Possibile quidpiam repraesentetur, h. e Possibilitas de eo praedicatur. — Pariter in Iudicio assertorio, de Obiecto Actualitas, in Iudicio denique apodictico, de Obiecto Necessitas praedicatur. Sed his Categoriis, totidem Conceptus, velut Correlata quaedam opponuntur: puta: Impossibilitas, Non-Existentia, et Contingentia, in quibus Relationes tantum, per tres priores Conceptus determinatae, vicissim tolluntur, proinde ii, cum his, cogitari simul non possunt.

Conceptus Necessitatis, est Synthesis praecedentium, non in quantum, Actuale, ut simpliciter Possibile cogito, neque enim propterea necessarium est, sed in quantum, peculiari Intellectus actu, *ro* Actuale, velut quidpiam cogito, quod sic, et non aliter possibile est. Quare Expressiones hae: Possibilitas, Actualitas, Necessitas nihil omnino enunciant, intuitu Obiectorum Cognitionis, sed tantum intuitu Relationis eorundem, ad cognoscentem, quae varia ratione determinari, seu modificari potest, unde etiam vox Modalitatis originem suam ducit.

Obs. 2. Categoria Actualitatis, neque cum Categoria Positionis, neque cum Categoria originaria Realitatis, identica esse putanda est. Nam, et Positio, et Negatio, ad Possibile, Actuale, et Necessarium, peraeque referri possunt, si quidem, Positio et Negatio, Qualitatem

Obiectorum attingunt, quaelibet Qualitas autem, ut quidpiam Possibile, Actuale, et Necessarium poni potest, aut tolli. Quod autem Realitatem attinet: Conceptu Actualitatis, non Reale ipsum, sed eiusmodi illius Relatio ad Facultatem cognoscendi cogitatur, vi cuius ea, cognoscitur. Atque propter hoc ipsum licet mihi *το* Reale, non solum ut Actuale, verum etiam ut Possibile, et Necessarium cogitare.

§. 42. Systematica omnium Categoriarum Tabella.

Quodsi, tam Categorias Intellectus, quam Sensualitatis, et ipsam adeo originariam Categoriam simul conprehendere placet: sequens exsistit Systematica omnium Categoriarum Tabella:

I. Categoria originaria. Realitas. - - - - Esse.

II. Categoriae Sensualitatis.
- Spatiositas. - - - Esse in Spatio.
- Temporalitas. - - Esse in Tempore.
- Spatiosa T. et T. spat. Esse in S. et T. simul.

III. Categoriae Intellectus.

Quantitas.
- Unitas. - - - - - Unum esse.
- Pluritas. - - - - Multum esse.
- Universitas. - - - Omne esse.

Qualitas.
- Positio. - - - - Positum esse.
- Negatio. - - - - Non positum esse.
- Limitatio. - - - - Limitatum esse.

Relatio.
- Substantialitas. - - Subsistens esse.
- Causalitas. - - - Actuosum esse.
- Commercium. - - Mutuo actuosum esse.

Modalitas.
- Possibilitas. - - - Possibile esse.
- Actualitas. - - - Actuale esse.
- Necessitas. - - - Necessarium esse.

Obs. 1. Categoriae Intellectus, nihil aliud sunt, quam subiectivae Animi determinationes, intuitu Formae suae cogitandi, sed obiective cogitatae. Quamvis autem determinationes istae, subiectivae sunt: iis tamen de Obiecto quopiam cogitamus, deque eo, non aliter iudicare possumus, quam quemadmodum id, originariae Animi humani legalitati, congruum est. Quare, Intellectus subiectivas suas, cogitandi et iudicandi Formas, ad Obiecta cogitationum suarum transferre cogitur, quemadmodum is etiam Formas Iutuitionum ad Obiecta, intuenda transfert. Neque tamen hoc in Illusione est, quae casu exsistere solet, et meditatione repellitur: verum factum originariae nostrae Legislationis est, quam eiurare non licet. Si quis autem, hanc nostram cognoscendi rationem, tollere in cogitationibus vellet: nae is, ipse sibi repugnaret, idem obiectum et pro Noumeno, et pro Phaenomeno constituendo. Denique, qui Categoriis meram Subiectivitatem tribueret, eo, quod eae, in originaria nostra cognoscendi Forma, radicatae sint: is Obiectivitatem, extra Obiecta cognitionis, quaereret, nostraeque Cognitionis Obiectivitatem, eo iure negaret, quo lucem solarem ideo inficiaretur, quod ea interdiu tantum nos collustret.

Obs. 2. Distributio, et Ordinatio Categoriarum, minime res est Arbitrii, sed Necessitatis, si modo systematica, seu scientifica ratione agendum putas. Si quis autem quaerat, cur Categoriae non plures, aut pauciores sint, et cur hac ratione disponendae videantur, respon-

dendum est: ideo hoc fieri, quia nonnisi has iudicandi Formas habemus, et has habemus, quia originaria Formae cognoscendi Legalitas, non alias nobis tribuit. Ubi vero ad originarium locum in Philosophia ventum est: omnis amplius quaerendi oportunitas praecisa est.

Categoriae realiter definiri non possunt, nisi forte nominaliter, variis Formis idem exprimas. Nam eae, velut Conceptus originarii, omnibus aliis realibus Expositionibus, pro fundamento sunt. Nonnisi tertius, Classis cuiusque Conceptus, explicari aliquomodo potest, cum Synthesim duorum praecedentium exponimus; sed cum hos ipsos definire satagimus, in Tautologiam inlabamur necesse est.

Classes Categoriarum, in duas Cardinales dispescuntur, in Categorias quippe mathematicas, et dynamicas: eo quod Categoriae Quantitatis, et Qualitas, ad intuibile, et sensibile in Obiectis, quod numeris, ac mensura determinari potest, referuntur: Categoriae autem Relationis, et Modalitatis, ad relationes Obiectorum mutuas, aut ad subiectum cognoscens, referuntur, ubi eae, ut dynamicum quidpiam, quod existentiam per vires annunciat, considerantur. Quod autem Categoriae mathematicae simplices, dynamicae duplices sint, quae Correlata sua habent: id inde proficiscitur, quod hae solae, Relationes attingant

Tabula Categoriarum, est species quaedam Topicae scientificae, estque velut filum quoddam Ariadnaeum, quo, quod de Obiectis Intellectus dicere liceat, possis quoque conficere. Neque tamen Tabula haec, cuique Tractationi, ac Disputationi, vice Tentipellii subiicienda est, quemadmodum, multos ea abusos esse, constat, cum hac ratione, omnem meditationem, quae in liberis Animi motionibus est, compedibus vinciri necesse esset.

Decretum illud Scholasticorum: Quodlibet Ens est unum, verum, bonum s. perfectum, nihil aliud significat, quam: Rem quamque, nonnisi id esse, quod est (unum) et quidem re vera (verum), et plene (bonum, seu perfectum). Proinde id, nihil de Quantitate Obiectorum Cognitionis enunciat, quasi ei Unitas, Pluritas, et Universitas pro fundamento essent, verum est nuda Principii Identitatis A = A Expositio, ut de quaque re, demonstro, et mendacio peraeque dicere liceat, illud esse id, quod est, esse verum, et perfectum. Consequenter, Enunciatio illa, nullos Cognitionis Conceptus, de Obiectis realibus continet, et hoc sensu, ne vera quidem censenda foret.

§. 43. Schemata Categoriarum.

Categoriae Intellectus, extra coniunctionem cum Categoriis sensualibus cogitatae, purae: in hac autem coniunctione cogitatae, sensificatae, seu schematisatae Categoriae possunt appellari. Duntaxat Categoriae, schemate vestitae, possunt ad Obiecta Experientiae accommodari, cum haec sola, a Sensu, et Intellectu, in communi actuositate occupatis, re vera cognoscantur.

Obs. 1. Cum Categoriae purae, nonnisi universales, formales, rerum determinationes sunt, h. e. Conceptum de Obiecto universe, quemadmodum id, secundum originariam Intellectus agendi rationem

repraesentatur, exprimunt: minime ad id sufficiunt, ut per eas Obiectum cognoscatur, et ita cogitetur, ut id, ab aliis Obiectis, determinata quadam Repraesentatione distingui queat. Qua enim re, res quaedam, ut Substantia, Caussa etc., a reliquis discerni posset, quae peraeque Substantiae et Caussae sunt? — Id, ut fieri queat, Animo, Varium quodpiam dari debet, idque per Obiecta ipsa, seu a posteriori, quod materiam Conceptuum illorum conficiat, quibus Obiecta realia cognoscuntur. Quare, Categoriae Intellectus, duntaxat intuitu obiectorum Experientiae habent realem significationem, ac applicabilitatem. Sed ad haec, Categoriae, velut Conceptus puri, nondum referri possunt: verum postquam sensificatae seu schematisatae sunt, h. e. ad puras Intuitiones relatae, in una eademque Repraesentatione coniunctae sunt. Intuitiones hae, Varia in se, iuxta, et post invicem continent, quae Animo, iam a priori data sunt, simulque formam efficiunt, omnium variorum, quae animo a posteriori dari queunt. Hae itaque Intuitiones, in uno, et indiviso Cognitionis Toto, ut id empiricam nostram Conscientiam subit, pro Reflexione, seu Conscientia transcendentali, membrum medium inter Obiectum et Intellectum, quod haec coniungat, efficiunt: seu, sunt axis inter duos Polos, circa quem, Sphaera Cognitionis nostrae circumvolutatur.

Obs. 2. Sensificatio Categoriarum, Schematismus, purorum Intelligentiae Conceptuum, ipsaeque Categoriae sensificatae, Conceptus Intelligentia schematisati, appellari possunt; cum per hoc ii, sensualem habitum, Figuram, seu speciem (σχημα) consequuntur. Ipsa quoque Sensificationis huius Facultas, Imaginatio transcendentalis vocari potest, cum Functio Imaginationis, in interna sensuali exhibitione, seu formatione constat, (nam exterior, sequela eius est) eaque in hac sensificatione, eandem functionem respectu transcendentali exercet. Quod non ita intelligendum, quasi per hoc independens quaedam, ac separata, a sensu et Intelligentia Operatio Animi constitueretur. Sensificatio enim illa, nihil aliud est, quam intima Conceptus, cum Intuitione coniunctio, si quidem Intelligentia et Sensus, communiter agunt, Imaginatio vero transcendentalis, nihil aliud est, quam Sensus internus, cuius ope, coniunctio illa efficitur. Et quia Sensus internus, omnia in Forma Temporis intuetur, et res quoque externe perceptas, eidem subiicit: Categoriae Intelligentiae, iam per earum Relationem, ad hanc Formam, h. e. per Repraesentationem του cogitati, ut in Tempore dati, sensificantur, et ad Obiecta, Experientiae redduntur applicabiles.

Obs. 3. Sensificatione Categoriarum, usus illarum non ampliatur, sed potius restringitur. — Nam eae, ut Categoriae purae, notae sunt, seu characteres του cogitabilis universe, easdem sensificatas, duntaxat Obiectorum Experientiae notas esse necesse est. Atque, hic Categoriarum usus, intra territorium Experientiae immanens appellari potest, qui, si limites Experientiae migrat, transcendens dici debet. Et si qua necessitate compelleretur Homo, v. c, practica, Obiectum quodpiam suprasensibile, sibi repraesentandi: profecto id ei, per puras Categorias cogitandum foret, quo sic, aliquam analogice-symbolicam Repraesentationem sibi eo informare posset, essetque remedium licitum, semet ad suprasensuale attollendi. Verum hic Categoriarum usus, non

speculativus, seu, ad Scientiam consequendam comparatus foret, verum practicus tantum, h. e. in adiumentum Fidei, et agendi sumtus.

§. 44. Schema Categoriarum Quantitatis.

Quantitas, ut aliquid in Forma Variorum, post se invicem determinabilium cogitatum, Conceptum Totius in Tempore, vel magnitudinem Temporis, seu, numerum significat. Nam Numerus ita repraesentatur, ut qui, ex successiva unius ad unum additione, et ex finita eiusdem, velut Totius cuiuspiam comprehensione exsistit. Quare Numerus, est multitudo in serie Temporis orta, quae per Unitatem determinatur, proinde, Universitas sensualiter repraesentata.

Obs. Sensificatione Categoriarum Intelligentiae, Materiale Cognitionis, quoad Formam eius intuibilem, a priori determinatur, et quidem in quantum Conceptus ad Universalem Sensualitatis Formam, secundum quam, omne externe, et interne perceptibile, ut Varium in Tempore intuemur, refertur. Hae determinationes, ut notae Obiectorum cognitionis cogitatae, certos Conceptus suppeditant, qui pro universalibus rerum Schematibus haberi possunt. Primum inter hos locum vindicat sibi Schema Quantitatis, seu Conceptus Numeri. Scilicet, si magnitudinem quandam, aut aliquid intuitu Quantitatis suae determinare volumus, numeris utimur, seu, numeramus. Quid est ergo Numerus universe? — Unitas, quâ talis, nondum Numerus est, licet, in Principio sit Numerationis, cum unum uni addo, quod est actus in Tempore. Neque Pluritas, quâ talis, Numerus est, illa enim prorsus indeterminata magnitudo est, Numerus autem determinata magnitudo sit necesse est. Quare, το multum, quod additione unius ad unum, ortum est, velut Totum quodpiam, proinde, ut quaedam in certa Temporis serie effecta Universitas, repraesentari debet. Haec est ratio, cur Numerus quisque, qui ex minoribus Unitatibus (τω multo) constat, vicissim ut Unitas considerari potest, — et ipsa Unitas quoque, pro Numero sumi potest, intuitu scilicet Fractionum, quas in se continet. — Characteres vero Numerorum, arbitrarii sunt.

§. 45. Schema Categoriarum Qualitatis.

Qualitas, ut aliquid in Forma Variorum, post se invicem determinabilium, cogitatum, Conceptum Limitationis in Tempore, seu Gradus suppeditat. Nam Gradus ita repraesentatur, ut qui ex continuo decremento, et incremento Positi exsistit, quod proinde, ut cum Negatione coniunctum, seu ut limitatum quodpiam apprehenditur. Quare Gradus, est Positio in Tempore conprehensa, quae cum Negatione determinata est, consequenter Limitatio sensualiter repraesentata.

Obs. Cum de Gradibus, v. c. Caloris, frigoris, lucis, coloris, soni etc. loquimur: tum vero Qualitatem, ut aliquid Positum cogitamus, idque ad Tempus referimus, si quidem, certum Positi decrementum, et incrementum percipimus. Scilicet, hoc decrementum, et incrementum, maiorem aut minorem Positi Negationem innuit, quandoquidem Negatio, ut aucta, aut deminuta cogitatur, pro eo ac, Positivum decrescit, aut crescit. Est ergo Gradus universe, Repraesentatio Limita-

tionis in Tempore perceptibilis rerum, intuitu Qualitatis earundem: ipsi autem Gradus, sunt perceptibilia discrimina, Limitationis ilius. Sed cum ipsa haec discrimina, vicissim intuitu magnitudinis earum aestimari possunt: Gradus quoque per Numeros determinantur, et hac ratione, Schema Quantitatis, cum Schemate Qualitatis coniungitur. Illud magnitudinem attingit universe, in serie Temporis ortam, hoc magnitudinem Qualitatis in Serie Temporis contentam. — Absque his Schematibus, nulla omnino Mathematica foret: unde etiam Schemata mathematica appellari possent.

§. 46. Schema Categoriarum Relationis.

Relatio, ut aliquid, in Formâ Variorum post se invicem determinabilium cogitatum, Conceptum Relationis Temporis suppeditat, quae aut ut determinata Temporis duratio, aut, ut determinata Temporis Consecutio, aut ut determinata Simultaneitas, in Tempore, repraesentari potest, pro eo ac, aut Substantialitas, aut Caussalitas, aut Commercium, ad Formam Sensualitatis refertur.

Obs. Relatio Temporis rerum, ut Duratio Temporis, intuitu Substantiarum repraesentatur, quas, ut in Tempore perdurantes, et intuitu Inhaerentiae, seu Accidentium, quae, ut in Tempore per vices variata, percipimus. — Relatio Temporis rerum, ut Consecutio Temporis, intuitu caussarum repraesentatur, quas, ut in Tempore antecedentes, et intuitu Effectuum, quos, ut in Tempore immediate, aut mediate sequentes, percipimus. — Relatio Temporis rerum, ut Simultaneitas in Tempore repraesentatur, in quantum eas, ut in mutuo influxu, ad se invicem occupatas, percipimus. Durationem et Vicissitudinem, Successionem, et Simultaneitatem itaque, de Obiectis Cognitionis praedicamus, in quantum ea, nobis universe, in certo Temporis Ordine, apparent.

§. 47. Schema Categoriarum Modalitatis.

Modalitas, ut aliquid in Forma Variorum, post se invicem determinabilium cogitatum, Conceptum Modalitatis Temporis, seu Relationis rerum, ad Facultatem cognoscendi, in Tempore suppeditat, quae, aut ut Exsistentia in quopiam Tempore, aut ut Exsistentia in determinato aliquo Tempore, aut ut Exsistentia in omni Tempore repraesentari potest, pro eo ac, ut Possibilitas, aut Actualitas, aut Necessitas, nostrae Sensuslitati congruenter repraesentatur.

Obs. Quod nos, non pro mere logice possibili, seu cogitabili, sed etiam pro realiter possibili, seu cognoscibili habendum putamus: de eo necessario repraesentandum est, illud, in quopiam Temporis puncto, exsistere, secus enim, nunquam posset cognosci. Si autem illud, ut in determinato Tempore exsistens, repraesentatur: id pro actuali habemus. Denique, si id, ut in omni Tempore exsistens, repraesentamus, ubi conditiones Exsistentiae eius datae sunt: tum id, intuitu Exsistentiae suae, pro necessario habemus. Quare, una, eademque res, possibilis, actualis, et necessaria vocari potest, pro eo ac, Relatio eius ad Facultatem cognoscendi, in Tempore, sic, aut non aliter repraesentatur, cum illi Conceptus, ultra Cognitionis Obiecta, nihil pror-

sus enunciant. — Caeterum manifestum est, universae Physicae, in quantum ea, res non mathematice, sed dynamice diiudicat, Schemata Relationis, et Modalitatis, pro fundamento esse, proinde Schemata haecce dynamica posse nuncupari.

§. 48. Aliquid, et Nihil. Ens et Non-ens.

Post Categorias Sensualitatis, et Intelligentiae, commode iam nunc possunt diversae vocum Aliquid, et Ens, Nihil, et Non-ens significationes accurate expendi. Scil. si in primis ambas Expressiones, ad altiorem de Obiecto aliquo Conceptum universae, problematice sumendo, seu, indeterminate cogitando, num is, Aliquid, aut Nihil sit, referimus: tum vero

1) Aliquid, illud dici potest, quod nonnisi cogitare licet, sed intueri non licet, proinde id, Ens mere cogitationis, seu Ens Rationis est. Oppositum est, quod, cum sibi ipsum in Conceptu repugnat, ne cogitari quidem potest, proinde, quod per se Nihil negativum, vel, Non-ens Intellectus, seu Non-ens Rationis est.

2) Aliquid, illud dici potest, quod intueri licet, et quod Ens Sensus interni, seu Ens imaginarium est. Tum vero ei, το Aliquid, in primo Significatu opponitur, velut Non-ens sensus interni.

3) Aliquid, illud dici potest, quod externe quidem percipi, sed duntaxat, ut defectus realis cuiusdam Qualitatis, cogitari potest, et quod Ens privativum est. Tum vero ei το Aliquid, in significatu secundo, opponitur, velut, Non-ens sensus externi.

4) Aliquid, illud dici potest, quod in quoque respectu, ut Ens-reale potest considerari. Tum vero ei το Aliquid, in tertio significatu, opponitur, velut Nihil privativum.

Obs. Cum το Nihil, ut oppositum του Aliquid, cogitari potest; tum vero significatus illius, necessario secundum significatus se accommodat, in quibus hoc sumitur. Quod ergo in primo significatu Aliquid est: intuitu secundi significatus, Nihil est, et sic porro. Una eadem res ergo v. c. Spiritus, Spatium, Umbra, Sphinx, Spectrum: tam Aliquid, quam etiam Nihil dici possunt, pro eo ac, Expressiones hae, hoc, aut alio sensu sumuntur.

Si Determinationes mathematicae, v. c. positiva Magnitudo + a, negativa Magnitudo — a, per Synthesim construantur: talis inde emergit aequatio: + a — a = o, ubi Zerus o simpliciter nihil designat, h. e. neque positivam, neque etiam negativam Magnitudinem. Quantitatem negativam, in se sumtam — a, sunt qui minus Nihilo dicant. Enimvero falso. Nam Quantitas negativa, re vera Nihilo plus est, seu Aliquid est, quia secus ea, cum positiva Quantitate simul cogitata, tollere hanc non posset: licet ea, non id genus Aliquid sit, quod pro positiva, sed quod pro opposita Magnitudine, consideratur. Atque huic distinctioni congruenter, distinxit Kaestnerus το Nihil in Nihil relativum, et absolutum, ut hoc sensu Quantitas negativa, Nihil relativum: Zerus autem Nihil absolutum designaret. Sed re stricte sumta quodlibet Nihil est relativum, cum in quolibet Nihilo, id genus

Aliquid cogitandum est, quod Nihilo tollitur. Zerus est oppositum contradictorium Magnitudinis universe: si quidem eo, quaelibet, tam positiva, quam negativa Magnitudo, simpliciter negatur; Magnitudo autem negativa est oppositum contrarium positivae Magnitudinis, quia hac, alia Species Magnitudinis, ponitur. Quare Zerus, intuitu Magnitudinis universe Nihil est: negativa autem Magnitudo, intuitu certae cuiusdam Speciei Magnitudinis, Nihil est. Quod si negativa Quantitas (— 4) Quantitatem positivam (+ 3) superat: tum vero per Synthesim ambarum Quantitatum, posterior, seu positiva Quantitas, ex toto annihilatur, seu in Nihil, intuitu Magnitudinis universe (o) permutatur, et ex priori, seu negativa Quantitate, superest adhuc quoddam Nihil, intuitu secundae Magnitudinis Speciei (— 1). Atque hoc illud et proprie, quod expressio illa impropria Minus nihilo, innuit, unde simul liquide apparet, quamlibet Magnitudinem negativam in se, et per se sumtam, Plus nihilo esse. Proinde Expressionem isthanc Nihil, proprio sensu, nunquam absolute, sed semper relative sumendam esse, sponte intelligitur.

§. 49. Praedicabilia Intellectus.

Ex puris et sensificatis Intelligentiae Conceptibus magna quaedam aliorum Conceptuum copia exsistit, qui perinde, ut Praedicata rerum, usurpantur, quive, ut a Praedicamentis, s. Categoriis stricto sensu sumtis, distinguantur (§. 12. Obs.) quippe Conceptus ex iis derivati, Praedicabilia possunt appellari.

Obs. Praedicabilia (κατηγορηματα) in Philosophia antiquiori, praecipue Aristotelico-Scholastica, vocabantur quinque hae voces: Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens. Distinguebantur scil. voces, quae res ipsas quâ tales certo respectu designarent, v. c. Substantia, Magnitudo — item voces, quae solos de rebus Conceptus innuerent, v. c. Genus, Species. Illas Categorias, seu Praedicamenta: has Categoremata, seu Praedicabilia nominandas putabant. Philosophi antiquiores, universam de Categoriis, et Categorematibus doctrinam, duntaxat logice pertractarunt: hic autem, et Categoriae, et Categoremata, sensu diverso, eoque metaphysico sumuntur.

§. 50. Magnitudo, Pars, Totum.

Cum Quantitas sensu absoluto, est Repraesentatio synthescos variorum universe: Obiectum cui Quantitas competit, Quantum; varia autem ex quibus illud constat, singillatim considerata, Pars, simul sumta, Totum appellantur. Pars, quae immediate ad Totum refertur, Pars Totius, quae autem nonnisi mediate ad hoc, immediate vero ad illam spectat, Pars Partis dicitur.

§. 51. Aequalitas, Inaequalitas. Magnitudo. Parvitas.

Quantitas, sensu relativo, est Repraesentatio, de variis, duarum, aut plurium invicem comparatarum Quantitatum. Quanta haec, aut paria, seu aequalia, aut imparia, vel inaequalia sunt, in quantum ea, hoc respectu, in Relatione Identitatis, aut Diversitatis, stant. Est ergo Aequalitas Identitas: Inaequalitas autem Diversitas Quantitatis, ipsa Quantitas proportionalis, Magnitu-

do et Parvitas vocatur, pro eo ac, in una duarum, aut plurium Quantitatum comparatarum, plus aut minus variorum, ut Coniunctum cogitatur. Quare etiam Pluritas, ut Quantitas relativa cogitata, aut Multitudo est, aut Paucitas.

Obs. Falsum est itaque, cum Mathematici, aeque ac Philosophi Magnitudinem simpliciter per Quantitatem relativam explicant. Nam Quantitas haec, necessario duplex est: cum nullam rem magnam possum appellare, quin saltem in Cogitationibus, eam cum alia comparem, quae intuitu eius, parva debet dici, quantumvis ea, intuitu rei alterius minoris, vicissim magna posset dici.

Quare, ex his absolutae et relativae Quantitatis Conceptibus (§. 50, 51.) secundum Principia Logica Identitatis absolutae, et relativae (Log. §. 17, 20. Obs. 4.) invicem coniunctis, exsistunt sequentia Axiomata mathematica: Omne Quantum, sibi ipsum est aequale. — Totum est aequale omnibus suis partibus, simul sumtis, et vicissim. Posito Toto, omnes quoque partes ponuntur et vicissim. Sublato Toto, omnes quoque Partes eius tolluntur, et vicissim. — Posito Toto, Pars eius aliquota ponitur: sed non vicissim. Sublato Toto, Pars quoque eius aliquota tollitur: sed non vicissim. — Pars Partis, est etiam pars Totius. — Duae Quantitates, tertiae aequales, inter se sunt aequales. Duarum Quantitatum inaequalium minor, nonnisi ex parte, maiori aequalis est.

§. 52. Extensiva, intensiva, protensiva Magnitudo.

Quantitas vocatur extensiva (§. 27.) in quantum varia eiusdem, ut Spatium occupantia; intensiva autem, in quantum varia eius nonnisi possibili decremento, incremento, aut identitate, sunt in Tempore repraesentabilia. Illic Totum ope partium, hic partes, nonnisi ope Totius repraesentari possunt. Illa proinde successive: haec simul, et semel potest percipi. Sed Quantitas protensiva, et extensivae analoga est, in quantum Tempus, ut Linea in Spatio repraesentatur, (§. 23.) et etiam intensivae, in quantum haec decrescendo, accrescendo, aut in Identitate manendo, per aliquod Tempus durat. Quare, tam extensiva, quam intensiva quoque Quantitas, ut protensivum quidpiam, potest repraesentari.

Obs. Interdum quidem videtur, quasi extensiva Quantitas, simul et semel, v. c. in exiguis, aut valde remotis Obiectis, et intensiva Quantitas, quasi successive perciperetur, v. c. cum oculus, si ex luce, in locum tenebricosum venimus, quae exigua ibi superest, lucem, sensim sensim apprehendit, aut si manus, in aquam calidam demittitur, nonnisi post aliquot momenta calorem eius sentimus. Sed hoc in mera Sensuum illusione inest, quae inde proficiscitur, quod Perceptio, certis empiricis Conditionibus, puta, organorum, eorumque Status, et Relationis ad Obiectum, etc. alligata est (Log. §. 137, 138.). Certe extensivum quodque, quâ tale, nonnisi successive, et Intensivum, quâ tale, duntaxat simul et semel potest apprehendi.

§. 53. Continua, discreta Magnitudo.

Quantitas vocatur continua, in quantum ea, per meram continuationem coniunctionis Variorum cogitatur, proinde eius

partes, immediate coniunctae sunt: contra Quantitas discreta est, in quantum ea, repetitione coniunctionis Variorum, quae semper interrumpitur, cogitatur, adeoque eius partes, invicem separatae sunt, et quaeque earum singillatim Totum quodpiam conficit. Quare Quantitas discreta, potest etiam Aggregatum esse, Quantitatum continuarum, sub uno Conceptu comprehensarum, v. c. libri Bibliothecae cuiuspiam. Numerus (§. 44. cum Obs.) est expressio Quantitatis discretae, si quidem, quaeque partium eius, ut Totum per se, potest considerari, v. c. $6 = 5 + 1 = 4 + 2 = 3 + 3$ etc. Spatium et Tempus, ut Quanta continua repraesentantur (§. 18. cum Obs.).

§. 54. Homogeneitas. Heterogeneitas. Similitudo. Dissimilitudo. Congruentia. Incongruentia.

Quantitates vocantur homogeneae, quae eiusdem, heterogeneae autem, quae diversae sunt Qualitatis. Homogeneitas itaque, et Heterogeneitas, Qualitatem rerum attingunt. Quo magis diversa est Qualitas: res sunt eo magis heterogeneae. Ergo Homogeneitas et Heterogeneitas, suos habent gradus. Quantitates homogeneae sunt Quanta similia, heterogeneae dissimilia. Haec est ratio, cur etiam partes Totius cuiuspiam (§. 50.) similares dicantur, si invicem, et a Toto nonnisi quantitative; dissimilares vero, si qualitate differunt. Illae sunt integrantes, hae constitutivae. Similitudo proinde, ut et Dissimilitudo, pariter ad Qualitatem rerum referuntur. Quanta, quae ut aequalia, et similia intuemur, congruunt. Est ergo Congruentia intuitiva Aequalitas, et Similitudo Quantitatum: eius Oppositum Incongruentia appellatur.

Obs. Atque hic est, strictus ille, seu mathematicus Congruentiae Conceptus, vi cuius Quanta congruentia, tegere se invicem debent, quod fieri non posset, nisi ea aequalia, similiaque simul essent. Caeterum, nomine Congruentiae, quaelibet Convenientiae Species, sensu latiori; intelligitur, proinde mera quoque Similitudo. — Quod si Homogeneitas, et Heterogeneitas rerum, in primis ad earum Formam, sive in Toto, sive in Partibus refertur: Uniformitas, aut Difformitas nuncupatur.

§. 55. Mensura, mensurare, numerare. Immensurabile. Innumerabile. Infinitum. Finitum.

Quum Quantitates, ita inter se comparantur, ut una per aliam determinetur, eae mensurari dicuntur. Est ergo metiri, seu mensurare, per certam aliquam Quantitatem, quae pro Unitate sumitur, aliam quampiam Quantitatem determinare, seu anquirere, quoties una, in alia contineatur. Quantitas ut Unitas, ad determinatam aliam usurpata Mensus, s. Mensura dicitur, atque, ut Cum Quantitate mensuranda homogenea sit, necesse est; cum secus, una per aliam, haud posset determinari.

Obs. 1. Mensurare, originarie, nihil aliud est, quam numerare: fit enim mensuratio, successiva unius, ad unum additione, proinde

Reductione Quantitatum continuarum, ad discretam, quae Numerus vocatur universe. (§. 53.) Quare, haec ratio est, cur in Mathesi, Geometriae, Arithmetica antecedat. Mensuratio proinde rei cuiuspiam, nonnisi in Tempore potest fieri. Sed ipsum Tempus quoque, potest mensurari, v. c. Dies, per horas; ubi Repraesentatio Temporis, ut Lineae cuiuspiam, tanquam rei spatiosae, pro Fundamento posita est. (§. 23. cum Obs.).

Obs. 2. Quod mensurari, et numerari nequit, vocatur Immensum et Innumerabile, et quidem, aut sensu absoluto, cum id ita cogitatur, ut nulla Mensura, nullusque Numerus queat idem assequi, quae est v. c. Spatium et Tempus; aut sensu relativo, cum mensuram tantum, et numerum invenire non possumus, v. c. ad distantiam Fixarum metiendam, et numerum viventium omnium determinandum. Prius Immensum et Innumerum: posterius Immensurabile et Innumerabile dicendum. Quare id ipsum saepe Immensum et Innumerabile dicimus, cuius Quantitatem, Sensus aut Imaginatio comprehendere in sua Totalitate, nequit, quantumvis id, in se, mensurabile et numerabile fuerit: v. c. Mons altus, aut multitudo Stellarum, coeli siderei — quae significatio vocum aesthetica poterit vocari.

Quantum Infinitum est, quod maius aut minus est, quam quaelibet alia, ad mensurandum sumta, Quantitas; estque, aut extensive, aut intensive tale. Extensive Infinitum est, si nulla successiva partium eius Comprehensio possibilis est, et quidem Infinite parvum, si Impossibilitas in eo consistit, ut nullam in eo partem liceat discernere, et Infinite magnum, si successiva partium discernibilium Comprehensio, in nullo Temporis Puncto pro absoluta potest cogitari. Intensive infinitum est, quod intuitu determinationis graduum eius, nullum incrementum, aut decrementum habere potest, et quidem Infinite parvum, si illud minus, infinite autem magnum, si illud, maius est, quam quilibet Gradus datus, idque sic, ut in priori Casu, nullum decrementum, in posteriori nullum incrementum, locum habere possit. Sed saepe, id quoque, quod valde magnum, et parvum est, infinite magnum parvumque dicimus, licet id finitum est, eo quod, et augeri, et minui posse, liceat cogitare. Quanto Infinito finitum opponitur.

§. 56 Magnitudo Qualitatis: Gradus.

Cum Quantitas intensiva, ut id genus varium repraesentatur, quod in Tempore decrescit, increscit, aut, secum identicum permanet: (§. 52.)tum ea, velut Reale quoddam, cum certa qualitate cogitatur, et Quantitas Virtutis, sensu universali, seu, Virtualitas nominari potest. Haec, pro finita cogitata, diversos admittit gradus (§. 45.). Datus autem Gradus quisque, intensiva vicissim Quantitas est, proinde varia, seu Partes in se continet, quae homogeneae sunt, (§. 54.) h. e. vicissim Gradus sunt, licet minores. Multitudo minorum, aut inferiorum Graduum, maiorem s. altiorem efficit. Gradus, qui inter datum altiorem, inferioremque in medio iacent, intermedii vocantur.

§. 57. Limites. Termini.

Res est limitata, in quantum ea, ut Quantitas finita cogi-

tatur: tum enim aliquid in ea, in coniunctione cum negatione, ponitur. (§. 39. Obs. 1.) Negationes rei, in relatione ad positiones suas, limites eius dicuntur; termini autem vocantur, in quantum ea, per hoc, intuitu Quantitatis suae extensivae, intensivae, et protensivae, ut determinata cogitatur. Limitatum, dicitur etiam in tantum, terminatum. Utriusque oppositum est, Illimitatum et interminatum.

§. 58. Incrementum, et Decrementum Magnitudinis.

Res, cuius Quantitas, quocunque demum respectu augetur, et minuitur, crescit s. intenditur, item decrescit, remittitur et langvescit. Quare res extensiva, intensive, et protensive crescere potest; decrescere autem, nonnisi extensive, et intensive potest, cum protensiva eius Quantitas, ad durationem eiusdem in Tempore, refertur, quae, in quantum in tempore praeterito ponitur, non amplius, ut deminutionis capax potest cogitari. Ea itaque, si evanescit, v. c. Vita animalis, ignisque Corporis ardentis, non ut deminuta, sed, quae desiit, cogitatur.

§. 59. Extensum reale. Figura.

Quantitas cum Qualitate coniuncta, seu Quantitas extensiva simul ut intensiva cogitata, Conceptum Entis realis suppeditat, h. e. rei talis, quae Spatium et Tempus complet. Eius extensio, in quantum determinata quapiam ratione restricta est, Figuram habet.

§. 60. Corpus mathematicum, et physicum. Superficies. Linea. Punctum.

Extensum quodque universe, quod secundum tres Spatii dimensiones (§. 23.) ut limitatum repraesentatur, Corpus vocatur, et quidem mathematicum, in quantum id, nonnisi ut extensum, proinde Spatium sola sua quantitate occupans, cogitatur; physicum autem, in quantum id, ut reale extensum, proinde Spatium Qualitate quoque sua complens, repraesentatur. (§. 59.) Termini Corporis vocantur Superficies, superficei Linea, Linae Punctum. Quare Superficies, sensu mathematico, nonnisi secundum duas, Longitudinis, et Latitudinis dimensiones; Linea vero, duntaxat secundum unam Longitudinis dimensionem extensa est. Consequenter Punctum nullam habet Extensionem, proinde ipsum illud nec Spatium, nec pars Spatii est, sed terminus duntaxat dati cuiuspiam Spatii. Quapropter Momentum quoque, ut Punctum Temporis, in Linea Temporis cogitatum (§. 23. obs.) neque Tempus, neque pars Temporis est, sed terminus duntaxat dati cuiuspiam Temporis.

Obs. Termini, quibus hoc loco utimur, puta: Superficies, Linea, Punctum, et Momentum, sensu stricto, s. mathematico sumuntur, cum contra in usu loquendi vulgari, ipsa corpora realia, si admodum parva sunt, Puncta, pariterque nimium parvae Temporis particulae, Momenta, nominantur. Interim, hic quoque loquendi usus, cum

illo quadamtenus componi potest. Cogitari enim, et Spatii et Temporis pars, tam parva potest, ut ea, data qualibet magnitudine, in S. et T. minor sit. Proinde, Puncta quoque, et Momenta, ut Spatii et Temporis particulae, ita possunt cogitari, quemadmodum eorum Conceptum sic finimus: Punctum est infinite parva Spatii, et Momentum infinite parva Temporis particula (§. 55. Obs. 2.). Tum enim eadem, ut qualibet data Spatii et Temporis magnitudine minora repraesentantur. Tali ratione iure quoque posset dici, Lineam infinite parva latitudine, et superficiem infinite parva profunditate, s. crassitudine praeditam esse.

§. 61. Substantiale. Accidens. Duratio. Vicissitudo. Aeternitas.

Substantiale, ut res perdurans: Accidens, ut res per vices variata cogitatur. (§. 40. Obs. 46. Obs.) Duratio, sensu stricto, est exsistentia in omni Tempore: Mutatio per vices, est exsistentia, et Non = exsistentia diversis percepta Temporibus. Quod perdurat, quâ tale, ut immutabile: quod autem variatur, ut mutabile cogitatur. Quod per vices mutatur Momentaneum dicitur; si tam exiguam Temporis particulam recipit, ut ea, velut infinite parva appareat, aut pro mero momento habeatur, proinde simulac exsistit, evanescit: perdurans est autem, si id per plures Temporis partes, re vera exstat. Est ergo Duratio Quantitas exsistentiae in Tempore. (§. 26.).

Obs. Duratio est aut absoluta, aut relativa. Illa est Quantitas exsistentiae in Tempore universe: haec Quantitas proportionalis exsistentiae in Tempore, duarum aut plurium invicem, comparatarum rerum; quarum deinde illa, quae maiori duratione pollet, diuturna: illa autem, quae brevioris durationis est, transitoria vocatur. Quare etiam Duratio, iam strictiori, iam latiori sensu sumitur. Duratio infinita Aeternitas appellatur, et quidem a parte ante, si Duratio intuitu praeteriti: a parte post autem, si intuitu futuri, sine terminis cogitatur.

§. 62. Essentia. Essentiale. Extra essentiale.

Substantiale, ut Substratum quoque certarum determinationum cogitatur, quae Criteria, seu Notae eiusdem sunt. In quantum itaque hae determinationes, aut ipsae perdurantes sunt, aut non: in tantum eae, aut ut essentiales, aut ut extraessentiales Substantiae notae cogitantur. Notae essentiales, simul sumtae Essentiam efficiunt: praeteressentiales autem, sensu proprio, Accidentia sunt.

Obs. Nomine Essentiae rei alicuius, nihil aliud intelligimus, quam Complexum perdurantium suarum determinationum, proinde earum, absque quibus res, non ea esset, quae est, esseque deberet. Hinc emergunt Ennunciata vulgo nota: Essentiae rerum sunt immutabiles, aeternae, incommunicabiles, etc. Essentia rei vocatur etiam eius Natura, sensu formali, v. c. Natura Hominis, quae a materiali distinguenda est, in qua, nomine naturae, legalis rerum complexus intelligitur, v. c. Physica.

Quod vero το Substantiale, ut Substratum determinationum rei cuiuspiam, tam perdurantium, quam per vices variantium, cogitamus; quaquam, absque perdurantibus illis determinationibus, nullum omnino Substantiale nobis daretur: inde est, quod in Iudicio categorico, in quantum id obiective validum cogitatur, Obiectum, de quo iudicamus, semper, ut Subiectum Iudicii, non ut Praedicatum, et hoc, sive Essentialia, sive Extraessentialia Criteria exprimat, nunquam non, ut determinatio Obiecti illius potest cogitari, v. c. Corpus Caii est organicum, — Caius nondum adultus est.

§. 63. Substantia simplex, et Composita. Monas. Atomus.

Denique Substantiale cogitari quoque potest, ut Simplex, si id, velut, res prorsus unica cogitatur, quippe quae, non amplius in plures Substantias potest resolvi: aut ut compositum, si id, ut multitudinem plurium Substantiarum separabilium cogitamus.

Obs. Tam Simplicitas, quam etiam compositio Substantiarum, vicissim duplici ratione cogitari potest. Scilicet Substantia simplex, aut ut sola repraesentandi vi praedita Monas, secundum Leibnitium; aut ut vi movente praedita Atomus secundum Epicurum, cogitabilis est. Illa, ut absoluta, haec ut relativa Simplicitas cogitatur. Atomus ergo, velut Corpusculum minimum, s. elementare, nonnisi in tantum simplex vocatur, quod non amplius in partes secari possit, licet composita sit, Formaque gaudeat. Atomum, sensu, quo hic sumitur, Antiqui, ut plurimum, ἡ ατομος dixerunt, scil: ουσια Substantiam indivisibilem: contra το ατομον apud eos Individuum designavit. Aristoteles individua, primas substantias: Genera autem, et Species, secundas nominavit. Plato contra Individua τα πολλα το απειρον seu infinitum vocavit: Ideas autem, quibus scil., velut Conceptibus Intelligentiae, Individua subsunt, ἑναδες seu μοναδες nuncupavit. Expressio itaque isthaec Monas, aliam significationem in Systemate Leibnitiano induit. Originaria ergo, vocis μονας significatio, apud Graecos Mathematicos habet locum, apud quos scil. ea, Unitatem arithmeticam innuit.

Compositio autem, sensu latiori dicta, aut ut Compositio sensu strictiori, aut ut Nexus potest cogitari. Significatu priori, compositum, ut Aggregatum universe cogitatur. Significatu autem posteriori, ut id genus Aggregatum repraesentatur, cuius partes mutuo in se invicem influunt. Casu priori nonnisi externa, casu autem posteriori, et externa, et interna coniunctio cogitatur. — Caeterum, num Substantiae simplices exstent, et quomodo composita quaeque semet ad se invicem habeant, nae hoc loco, ubi soli conceptus analysantur (dissolvuntur) quaestiones hae, ne attingendae quidem videntur.

§. 64. Caussalitas. Dependentia. Independentia.

Cum res duae, in tali relatione inter se positae sunt, ut secunda in sua consecutione ad priorem, velut per hanc determinata cogitari debet: res determinans caussa, determinata autem Effectus, nominatur (§. 40. 46.) Doctrina de Causis et Effectibus dicitur Aetiologia (quae universalis et particularis esse potest) et Coniunctio utriusque, Nexus Caussalis, vocatur.

Relatio Causae ad Effectum, Caussalitas: Relatio autem Effectus ad Caussam Dependentia nuncupatur. Res ergo effecta est, Ens ab alio (scil. dependens), cui Ens a se opponitur.

Obs. Ens a se, aut absolute, aut relative tale est. Ens absolute a se, duntaxat illud vocari potest, quod neque intuitu Exsistentiae suae, neque intuitu actuositatis suae, rem aliam, ut, Caussam, a qua dependeat, requirit. Si quid tamen est, quod a quibusdam tantum rebus, sed non ab omnibus, aut intuitu duntaxat certarum actionum, non autem intuitu Universae suae exsistentiae, et efficientiae independens cogitaretur, nae ea relative tantum Ens a se dicenda foret. — Independentia interdum, vocatur etiam Substantialitas.

§. 65. Caussa sufficiens, et insufficiens, — immediata, et mediata, — Coordinata, et subordinata.

Caussa est Sufficiens, si ea, totum quantum Effectum producere per se valet: contra, ea insufficiens dicitur. Caussa est immediata, si sola ipsa, mediata autem, si per alias Caussas Effectum progignit. Caussae vero hae aliae intermediae nominantur, et si cum illa simul cogitantur, Coëfficientes appellantur; quae interim aut coordinatae sunt, si simultaneae fuerint, aut Subordinatae si successive operantur.

Obs. Praecipua Caussarum coëfficientium, primaria vocatur; reliquae Secundariae. Caussa coëfficiens dicitur auxiliaris, s. subsidiaria, in quantum Caussam, ad determinatum Effectum insufficientem supplet; instrumentalis autem, in quantum ea, in solo instrumento versatur, quippe quâ, Caussa primaria, ad procurandum effectum utitur. Quaelibet ergo Caussa instrumentalis, est simul subsidiaria, sed non vice versa. Pro Caussa autem primaria habetur, aut illa, quae reliquas ad actuositatem determinat, aut, quae plurimum ad Effectum confert. Ambae non necessario simul adsunt.

§. 66. Caussa Conditionata et libera, seu inconditionata.

Caussa, quae ad aliquid efficiendum necessario determinatur, est conditionata, quae autem, ab hac necessitate semet ipsa independenter, ad quidpiam efficiendum determinat, est libera, seu inconditionata. Si necessitas, qua caussa quaedam, ad efficiendum determinatur, haud externa quaedam, sed interna Naturae Necessitas est: id genus Caussa non absolute, sed relative libera esse putanda est. Ipsa Caussalitas caussae, necessario determinatae pro effectu reputatur: sed Caussalitas caussae liberae non item. Caussa libera, quâ talis, simpliciter incipere suam efficacitatem debet, et intuitu efficientiae suae prima caussa sit, necesse est.

§. 67. Finis. Consilium. Caussa finalis et efficiens. Medium seu Instrumentum.

Si Ens actuosum, simul cogitans est, et praemeditatione Effectus, ad actuositatem determinatur: Repraesentatio Effectus, Notio finalis, ipse Effectus autem per eam repraesentatus, obiective quidem Finis, subiective vero Consilium appellatur. Finis re ipsa efficitur, si Obiectum Notionis finalis producitur.

In quantum itaque Finis hic, ratio movens Caussae, per quam is efficitur, ad efficiendum est: in tantum is ipse in Caussa est, et Caussa finalis dicitur; Caussa autem, quae finem ipsum efficit, Caussa efficiens nominatur, cuius generis sunt omnes Caussae, quae non, ut Caussae finales, cogitantur. Cum Conscientia efficientiae, aut secundum fines quidpiam efficere, sensu proprio est agere.

Obs. 1. In serie Caussarum efficientium, Caussa effectui: in serie autem Caussarum finalium, Effectus Caussae antecedit. Ultimum huius Seriei membrum Finis summus seu ultimus dicitur. Finis primarius est, cui omnes reliqui velut secundarii subordinantur. Id, quod Subiecto cogitanti, et secundum fines agenti, nonnisi remotiorem ad agendum oportunitatem subministrat Caussa occasionalis, quod autem idem immediate, ad agendum incitat Caussa movens, s. motiva vocatur. Est ergo Finis actionis, motivum quoque eiusdem simul. Sine Fine agere est, cum ita agimus, tanquam qui nullum nobis Finem proposuerimus, — Fini Convenienter, si Fine, quem petis potiare, — contra Finem autem, si Finem agendo assequi non liceat. Id, quo finem consequi laboramus, dicitur Medium, s. Instrumentum; et in quantum id, contra quidpiam, quod removeri oporteat, directum est, Remedium nominatur. Proinde Finalitas rerum, in tali earundem institutione inest, vi cuius eae, qua media, certis finibus accomodatae esse videntur.

Obs. 2. Finalitas rerum, aut subiectiva est, aut obiectiva. Finalitas subiectiva in aptitudine rei consistit, per Pereptionem, cum eam apprehendimus, Tactum voluptatis in nobis ciendi, estque aesthetica, v. c. Finalitas musicae pulchrae: Finalitas autem obiectiva est aptitudo rei, ad id genus fines obtinendos, qui ab Intellectu, ad rem ipsam referuntur, ut ea, intuitu existentiae suae, velut a certis Finibus dependens, cogitetur, proinde intellectualis est, v. c. finalitas oculi ad videndum. — Porro, Finalitas, aut formalis est, aut materialis. Finalitas formalis locum habet, cum res quaepiam, eiusmodi finibus accommodata est, qui non plane rationem Possibilitatis suae continent, sed tamen necessario eius Forma exsistunt, v. c. Finalitas circuli, ad varia Problemata solvenda. Finalitas autem materialis est, cum res quaepiam, id genus finibus accommodata est, qui pro rationibus Possibilitatis suae haberi possunt; v. c. Finalitas stomachi ad nutritionem perficiendam. — Denique Finalitas alia est interna, alia externa. Finalitas interna est, cum res per se considerata, finalis esse videtur, v. c. finalitas plantae, ut Entis organici: Finalitas autem externa est, si res quaepiam, intuitu alterius finalis est, v. c. finalitas lapidum, ad instituendam aedificationem. Illa absoluta quoque, haec relativa finalitas s. utilitas dici potest, eo quod ea, nunquam non sumit, esse quempiam, a quo res illa, in usum verti queat. Doctrina de Finalitate rerum Teleologia nuncupatur, estque peculiaris Aetiologiae Species. (§. 64.)

§. 68. Efficacia. Vis.

Id, quo res quaepiam, determinati cuiusdam Effectus, Caussa sit, eius Efficacia, et Principium universale eiusdem, Vis

dicitur. Vis, in quantum Caussa esse debeat, ad perdurantes rei cuiusdam determinationes pertinet (§. 62.), quid autem in se, et per se considerata, h. e. independenter a suo effectu sit, ne anquirendum quidem videtur, cum ea in, cum, et per effectum cognoscatur, ob eamque Caussam, ab ea ipsa denominatur, v. c. Vis imaginandi, reflectendi, attrahendi, repellendi, etc.

Obs. Cum rebus Vires tribuendas putamus: nihil aliud per hoc innuimus, quam esse aliquid, quod eae queant efficere. Solo enim effectu vis, et cum hac, res ipsa, velut Ens reale, se nobis annunciant. Quare Vis, ut Qualitas rei ponitur, quae ad huius effectus refertur, et quae etiam, si constanter non semet exserit: attamen rei, si modo ea esse, et manere debeat, competere debet. Haec ratio est, cur vires in vivas et mortuas distribuantur; quantumvis eas, vigilantes et sopitas nominare consultius foret. Nam quod vis mortua, ut vocant re vera non emortua fuerit, mox statim apparebit, ubi ea, remoto impedimento evigilaverit, agereque inceperit: quare eam, quamdiu impedimentum actuositatis eius perduravit, saltem in nisu, et conatu agendi fuisse occupatam, necesse est.

Vis, quae ad determinatum Effectum, non obstante etiam impedimento sufficit, dicitur potens: et si renisum quoque potentioris rei superare potest, valida nominatur. Quare Potentia et Potestas vim denotat, quae vires ac potentiam aliarum rerum vincit: contra Impotentia est, imbecillitas Virium, quae aliis succumbit, aut ad determinatos Effectus non sufficit. Omnipotentia est vis infinita, quae nulla alia vi in efficiendo, non modo non sufflaminatur, sed ne impeditur quidem. — Vis originaria est, quae ab alia vi, in forma consecutionis, deduci nequit: verum tamen ad explicandos certos Effectus, simpliciter sumi debet. Vires derivativae sunt virium originariarum sequelae. — Caeterum Vires, quemadmodum caussae (§. 65.) possunt distribui.

§. 69. Influxus. Reactio. Actio. Passio.

Si Substantiae, per vires suas, certorum Accidentium caussae sunt in aliis Substantiis: tum eae, in has influere dicuntur. Est ergo Influxus id genus Substantiarum Relatio, vi cuius eae, in se invicem agunt. Hic influxus unilateralis esset, si modo A. in B. ageret: reciprocus autem foret, si simul etiam B. ageret in A. Id cum fieret Reactionem diceremus, quo facto, et Actio et Passio utrinque locum haberent. Quare tam Activitas (Spontaneitas quoque dicta) h. e. Facultas mutationem in alia Substantia producendi: quam etiam Passivitas s. Receptivitas, h. e. Facultas mutationem ab alia Substantia factam recipiendi, utrinque cogitari debent.

§. 70. Antagonismus Substantiarum.

In quantum in Influxu Substantiarum in se invicem, seu earum Actione et Reactione opposita Efficacitas locum habet, aut utrinsque Actio Reactio est: in tantum Antagonismus s. Conflictus Substantiarum obtinet. Atque hac re Substantiae in

reale, s. dynamicum Commercium transeunt, Totumque quoddam reale, seu dynamicum efficere putandae sunt.

Obs. Commercium reale, ab ideali s. logico diversum est, vi cuius scil. Repraesentationes, ut inter se iungendae, mutuo se invicem determinant: unde etiam ideale tantum, s. logicum Totum efficiunt. Commercium autem reale, aut immediatum est, si res in commercio constitutae, terminos quoque communes in Spatio habent, seu, semet contingunt: aut mediatum, si in diversis Spatiis, seu, eminus in se agunt. Res in reali commercio positae, invicem praesentes sunt, et quidem localiter, si per contactum; mere dynamice autem, si per actionem in distans versantur in commercio. Omnipraesens foret Ens, si id in relatione ad omnia alia entia, immediate actuosum esse posset, quin ea contingeret, aut ab iis contingeretur. Proinde illud conditionibus Spatii prorsus non deberet alligatum esse, atque ea vi illud pollere oporteret, contra quam, quaelibet alia infinite parva foret ut intuitu huius, nulla Reactio locum haberet, proinde Influxus unilateralis duntaxat esset.

§. 71. Possibilitas interna et externa, inconditionata et conditionata.

Possibilitas rerum, aut interna est s. inconditionata, v. absoluta, si ea rei, secundum merum eius Conceptum consideratae, aut externa, Conditionata, hypothetica s. relativa, si ea rei, in Relatione ad alias res spectatae, convenit. (Log §. 22. Obs. 2.) Atque hac eadem ratione potest quoque Impossibilitas distribui. Cum de re quapiam praedicatur, eam haud impossibilem haberi: tum vero, ut solet, nonnisi interna rei Possibilitas innuitur.

§. 72. Exsistentia. Mundus.

το Esse, si modo non solam Copulam logicam (§. 52. Obs. 2.) innuit, est Realitas ipsa. (§. 12. 42.) Exsistentia autem est το, per Efficacitatem determinatum, seque ipsum annuncians, Esse: proinde realitas rei cuiuspiam. Complexus cogitabilis του Actualis universe, dicitur Universum absolutum: Complexus vero cognoscibilis του Actualis dati et dabilis, Universum relativum, s. Mundus nominatur.

§. 73. Ortus, interitus. Eventus, factum. Initium, finis.

Quod esse incipit, oritur, quod esse desinit, interit. Tam ortus, quam interitus, sunt Eventus; si quidem, eventus quisque, factum est, seu, res in facto posita. Actio, quâ quidpiam exsistit, dicitur Productio, illa autem, quâ aliquid interit, Destructio: illa initium rei auspicatur, haec finem ei adfert.

Obs. Tam Productio, quam Destructio, absolute et relative possunt cogitari. Absoluta Productio foret Productio του Substantialis: absoluta Destructio in pleno eiusdem excidio inesset. Illa creatio, haec annihilatio dicenda: unde dici quoque illa posset Productio ex Nihilo (cum nihil ante esset) haec Redactio in Nihilum (ut nihil amplius supersit). — Contra Productio relativa esset effectio, merae determinationis του Substantialis iam

praesto exstantis: quemadmodum Destructio relativa huius annihilatio. Illa posset dici Formatio, quia per illam, nonnisi forma Existentiae determinatur, haec autem Solutio, (sensu universali) eo quod, per hanc, aliquid a Substantia tollitur, quod ei antea inhaesit. Creatio, et Annihilatio simpliciter sibi invicem opposita sunt: contra Formatio et Solutio, necessario invicem coniunctae sunt. — Initium et Finis pariter absolute et relative possunt cogitari.

§. 74. Status. Mutatio. Modificatio.

Coëxsistentia realium determinationum rei cuiuspiam, Statum eius efficit. Si in re quapiam determinationes oriuntur, aut intereunt: tum ea mutatur, h. e. in alium illa devenit statum. Est ergo Mutatio diversarum successio determinationum eiusdem rei, seu vicissitudo determinationum: proinde quaevis Mutatio est eventus. (§. 73.) Quod vicissitudini determinationum subiectum est mutabile, Opossitum immutabile dicitur. Omnes mutationes sunt aliae, rei cuiuspiam determinationes, et Modificationes nuncupantur, vel, ut vulgo aiunt: Quavis mutatione, alius essendi modus efficitur.

Obs. Quaevis mutatio fit in Tempore; mutatio autem intuitu Spatii est Motus: ergo motus ad Spatium et Tempus refertur (§. 28.) idque simultanee. Quod in Spatio et Tempore est: mutabile est: nam in variis Spatii et Temporis partibus esse potest. Creatio et Annihilatio, ut eventus quidem considerari possunt, non tamen ut mutationes: nam utrâque illâ, nullae determinationes mutantur, verum, aut nunc adhuc incipiunt, aut prorsus esse desinunt; utrumque cum rebus ipsis. Si quod ergo Substantiale sensu vero exsisteret, aut esse simpliciter cessaret, minime dici posset, mutatum illud esse; si quidem id, quod mutatur, iam exstare debebat, et superesse adhuc debet: verum dicendum tantum foret, evenisse quidpiam, aut accidisse.

§. 75. Necessitas interna, s. inconditionata, externa, s. conditionata.

Necessitas rerum (§. 41, 47.) aut est interna, inconditionata s. absoluta, si ea rei cuipiam, secundum merum Conceptum, proinde vi suae propriae naturae, aut essentiae competit: aut externa, conditionata, hypothetica, et relativa, si ea rei cuipiam, in relatione ad alias res Convenit, adeoque extra rem ipsam, aliae adhuc conditiones actualitatis suae sumi debent. Ens simpliciter independens, ut inconditionate quoque necessarium sit, necesse est.

§. 76. Contingentia.

Oppossitum Necessitatis est Accidentalitas s. Contingentia. Contingens scilicet vocatur, quod esse, et non esse potest. Si itaque quidpiam, nonnisi propter aliam, extra eam positam conditionem, necessarium est: profecto id, in se, et per se consideratum, posset quoque non esse: nam cessante Conditione, cessat conditionatum. Ergo conditionate necessarium, extra suum nexum, cum conditione cogitatum, contingens est, et contingens, sub certa aliqua conditione, etiam necessarium esse potest. Incon-

ditionate necessarium, immutabile quoque simul cogitari debet: contra Conditionate necessarium, et centingens, ut mutabile quoque cogitari potest. (§. 74.)

§. 77. Conditio. Conditionatum. Series.

Conditio universe, est res quaepiam, (sive logica, sive realis) quae aliam determinat: et Conditionatum, est res quaelibet, quae per aliam determinatur. (Log. §. 20. Obs. 5.) Copia rerum, quae ut invicem continuo determinantes cogitantur, Seriem conditionum efficit, quarum quaeque, Membrum appellatur. Id genus Series, aut finita, aut infinita potest cogitari, pro eo ac ea, primum ultimumque membrum, aut habet aut non. Quod si Series, nonnisi alterutrum eorum habet: sane ea, ut finita, et infinita simul, quamvis diverso respectu cogitabitur.

Obs. 1. Quapropter quatuor Serici Species cogitari possunt, puta:

a.) Series absolute finitae, hoc est, tales, quae et initium et finem habent. Harum Schema tale est:

(A. B. C. D. E. F. G.)

b.) Series absolute infinitae, hoc est, tales, quae, neque initium neque finem habent. Harum Schema tale est:

∞ - - - - A. B. C. D. E. F. G. - - - - ∞

c.) Series relative finitae, et infinitae, h. e. tales, quae initium quidem habent, finem autem nullum habent. Harum Schema tale est:

(A. B. C. D. E. F. G. - - - - ∞

d.) Series relative infinitae et finitae, h. e. tales, quae nullum quidem initium, sed finem habent. Harum Schema tale est:

∞ - - - - A. B C. D. E. F. G.)

In Serie absolute finita, primum membrum est mera conditio, ultimum merum conditionatum, media autem utrumque simul: haec ergo Series, id genus conditionem habet, quae non conditionata est, et id genus conditionatum habet, quod non amplius conditio est.

In Serie absolute infinita utrumque membrum, est utrumque simul: haec ergo Series nullam conditionem habet, quae non conditionata esset, et nullum conditionatum habet, quod non conditio esset.

Series relative finita, et infinita, habet quidem primam conditionem, sed conditionatum ultimum nullum: primum ergo membrum est mera conditio, reliqua autem omnia utrumque simul.

Series relative infinita et finita, nullam primam conditionem habet, ultimum tamen conditionatum habet: quare ultimum tantum membrum est conditionatum, reliqua vero omnia utrumque simul.

Obs. 2. Si Seriem quandam cogitando deorsum percurrimus, hoc est versus conditionata descendimus, tum cogitatio est Progressus, si vero eandem Seriem sursum percurrimus, h. e. versus conditiones ascendimus, tum Cogitatio est Regressus. Series ergo quaepiam, aut intuitu progressus, aut intuitu regressus, aut utriusque simul, ut finita et infinita potest cogitari. Quodsi Infinitas haec, ita cogitatur, ut Series, nullum primum ultimumque membrum habere queat: tum progressus et regressus est in infinitum v. c. si Linea recta continuo in duas partes secaretur. Sin autem Infinitas isthaec ita cogitatur, ut

primum et ultimum membrum tantum, nequeat in Serie determinari: tunc progressus et regressus est in Indefinitum.

§. 78. Principia Cognitionis humanae. Legalitas Experientiae.

Cum Intellectus Obiecta, secundum puros, et sensificatos, originarios et derivatos Conceptus diiudicat, h. e, Relationem Conceptuum suorum ad Relationem eius, quod per Intuitionem, et Sensationem datum est, determinat, quo ii ipsi Conceptus, ut subiectivum quidpiam ad το Obiectivum referuntur, et id quod perceptum est, ut reale cognitionis Obiectum in Conscientiam intrat (§. 33, 34.): tum Intellectus, in hoc Conceptuum suorum usu, ad certas Leges semet accommodare debet, quae verbis expressae, aut in Formulas redactae, Principia Cognitionis humanae, in quantum scil. haec a sensu et Intellectu pendet, haberi debent. Proinde Principia isthaec, sunt Iudicia omnium Iudiciorum empiricorum fundamentalia, h. e. sunt ea, id genus Iudicia a priori, de Obiectis Experientiae, quae omnibus Iudiciis nostris a posteriori, de iis latis, fundamenti loco substrata sunt. Consequenter Legalitas (Legitimitas) Experientiae ipsius, iis nititur, suntque ob eam ipsam Caussam obiective, universaliter, et necessario valida, cum secus, nulla legalis Experientia foret possibilis. Quapropter Principia isthaec, nihil aliud esse possunt, quam Expositiones, supremae Cognitionis Legis, (§. 13.) in proxima huius ad ipsa cognitionis Obiecta relatione.

Obs. 1. Nos ipsi Experientiae (εμπειρια) nobis sumus Conscii, h. e. id genus Cognitionis, quae ex Repraesentationibus constat, quas, ad res animo datas, aut ab eo perceptas referre, atque hoc intuitu invicem coniungere cogimur. Proinde Coniunctio isthaec non mere subiectiva, et arbitraria, seu pro lubitu facta, (ut si arcem mihi in aëre ex lapidibus pretiosis exstructam, imaginatione describo) verum obiectiva necessariaque est, v. c. cum dico: haec arbor est Cerasus. Quid? quod, absque antegressa aliqua coniunctione huius generis, Coniunctio illa empirica locum habere prorsus non posset. Atque, ob hanc ipsam causam vocantur res huius generis perceptae, Obiecta Experientiae, et Iudicia de iis lata, in quantum Perceptione nituntur, Iudicia empirica, suntque Iudicia a posteriori.

Sed nos de Obiectis Experientiae, etiam independenter a Perceptione, et prius quidem, quam haec fiat, h. e. a priori iudicamus, cum certa quaedam Iudicia de iis, etiam sine Perceptione, non solum cum comparativa illa, et relativa Universalitate, ac necessitate, quam inductiva et analogica concludendi ratio praestat (Log. §. 169.), sed cum stricta, seu absoluta Universalitate Necessitateque enunciamus v. c. quidquid exsistit: debet habere Caussam etc. Huius generis iudicia, vix cum aliis, sola Inductione, et Analogia nixis, invicem comparaveris, ut statim observare debeas, illa, multo profundius certiusque fundamentum, s. Principium, in ipso Animo humano habere debere. Scilicet, cum illa, nihil aliud, quam Legalitatem Obiectorum Experientiae universe attingunt; profecto Principia isthaec originaria, illa Relatione, inter Subiecta et Obiecta Cognitionis intercedente nituntur, quam in originaria eorundem Har-

monia inesse supra (§. 12. Obs.) docuimus, vique cuius, quodlibet Experientiae Obiectum, quomodocunque demum id in sua Individualitate, Specie ac Genere comparatum, et a reliquis distinctum esse possit, certis universalibus, et necessariis Regulis subiectum esse debet, cum secus nulla prorsus Experientia possibilis foret. Nam ponas, Animam in Obiectis Experientiae, nullam prorsus Universalitatem, et Necessitatem invenire, v. c. nullam penitus esse Substantiam, sed quovis momento unum annihilari, et aliud quidpiam diversi, quod mox vicissim evanescat; in locum eius succedere, aut in rebus perdurantibus, absque ulla causa cognoscibili, hanc determinationem exsistere, et illam evanescere: tum vero Conscientia nostra, ab individualibus Phaenomenis prorsus separaretur, ac dissiparetur, nullusque nexus inter Obiecta Experientiae locum haberet; proinde ea, in nullam Conscientiae Unitatem assumi possent, h. e. Animus nullam realem de iis consequi posset experientiam.

Obs. 2. Obiectiva omnium Iudiciorum a priori, de Obiectis Experientiae, validitas, Possibilitate Experientiae nititur, proinde tali argumento: Si Experientia, seu cognitio Obiectorum datorum possibilis esse debeat, tum Obiecta haec, dum ea, per Sensus, certa ratione intuemur, ac sentimus, etiam ab Intellectu, certa quadam ratione cogitari, proinde Varia, quae Animus, per repraesentationes sensibiles recipit, ab Intellectu, secundum certas Regulas coniungi possint, necesse est, et hae Regulae obiectivo valore pollere, h. e. Obiecta data, sine exceptione, his Regulis subiici debent. Atqui Experientia re ipsa exstat: nam cognitionis datorum Obiectorum conscii nobis sumus, ad quam etiam in actionibus nostris, cum indubia fiducia nosmet ipsi accommodamus. Ergo etiam conditiones possibilitatis Experientiae, h. e. Regulae illae obiectivo validae sint, proinde Obiecta data, ut sine exceptione his Regulis subordinentur, necesse est.

Regulae Intellectus, secundum quas Varia Repraesentationum sensibilium, coniunguntur, possunt etiam originariae conditiones syntheticae Unitatis Conscientiae, s. Obiectivae Intellectus Unitatis, vocari. Nam Unitas isthaec, duntaxat ita perficitur, si data Varia, velut criteria, singillatim apprehensa, in unum de Obiecto Conceptum comprehenduntur. Quare in fronte Regularum illarum, velut Legum Cognitionis, potest etiam Enunciatio sequens collocari: Quodlibet obiectum cognitionis, originariis conditionibus, syntheticae Unitatis Conscientiae subest, aut, quemadmodum Kant loquitur, haec: Quodlibet Obiectum subest necessariis conditionibus syntheticae Unitatis Variorum Intuitionis in Experientia possibili. Sed quae Enunciatio, intuitu Validitatis suae, pendet a Lege, quam nos supra, (§. 13.) in haec verba laudavimus: Quod ab Animo, secundum originariam eius agendi rationem, in Obiecto quopiam reali cognoscitur: id eidem, in quantum Obiectum Cognitionis est, competere debet, et de eodem universaliter potest praedicari. Nisi enim, cuique Obiecto empirico, Varia, quae, secundum determinatas Intellectus Regulas a priori coniuncta, in Conceptu de eo informato simul cogitentur, atque etiam huic Conceptui ad id relato congruenter tribui, seu, nomine criteriorum de eo praedicari possint: tum vero nulla uspiam synthetica Conscientiae, seu, Variorum Intuiti-

onis Unitas, in Experientia, locum foret habitura. — Caeterum, Principia, seu, Decreta, secundum quae Intellectus Obiecta Experientiae a priori diiudicat, velut Principia Experientiae, etiam Iudicia transcendentalia, ipseque Intellectus hoc respectu, Facultas iudicandi transcendentalis appellari possunt: quemadmodum sensus quoque, qui puros Intelligentiae Conceptus sensificat, transcendentalis Imaginandi vis, recte dicta est. (§. 43. Obs. 2.)

Obs. 3. Quod Iudiciorum transcendentalium, seu, Principiorum Experientiae in, et cum Experientia ipsa, dum ea scil. ad Obiecta empirica accomodantur, conscii sumus: id vero prioritatem, seu, transcendentalem eorum characterem, tam parum deminuit, quemadmodum etiam Prioritatem purarum Intuitionum, Conceptuumque purorum, quibus velut universalibus intuendi ac cogitandi conditionibus, omnia Obiecta a posteriori data, accomodari debent, quaeve in empirico intuendi ac cogitandi actu, in, et cum Experientia primum, nostram subeunt Conscientiam, non tollit. Dummodo nomine Iudiciorum a priori, minime gentium Iudicia innata intelligantur; si quidem talia, tam parum esse credendum est, quemadmodum Repraesentationes innatas, et ob eam quidem caussam, quod hae nullae sint (§. 21, 36 cum Obs.).

Unde sponte consequitur, Empirismum, seu, Sensualismum theoreticum, cuius Decretum est: Nihil est in Intellectu, quod non ante fuerit in sensu, cum nihil Puri, seu, nullam Aprioritatem in cognitione nostra recognoscat, sed ipsos, puros Intelligentiae Conceptus, puraque eius Decreta, quid? quod purissimas adeo, et maxime sublimes Rationis Ideas, ac Principia, ex Experientia derivare, Animumque, in inanem plane, charactereque originario destitutam, atque olim adhuc in Tempore, oportunitate rerum externarum, signandam tabulam rasam transformare satagit, omni prorsus fundamento, argumentoque solido carere, secumque ipsum in Repugnantia versari. Is enim, si modo recte velis iudicare, omnis experientiae Possibilitatem, hoc suo instituto, tollere putandus est. Quare Empirista, seu theoreticus Sensualista, si modo, quod aiunt, consequens secum esse voluerit, Decretum suum, quod tale non est, quodque is, universaliter et necessario falso pronunciarit, sic reformare deberet: Nihil invenio in meo Intellectu, quod non ante fuerit in Sensu, — quae ei Sententia, hac ratione restricta, facile danda videretur.

Certe, ad solam Quaestionem: Quomodo Experientia possibilis est? continuo Animus noster, se supra Experientiam, ad Recognitionem *rov* Originarii, seu, certorum Cognitionis nostrae elementorum, ab ipsa Experientia independentium, extollit: licet Conscientia eorum, in, et cum Experientia demum in nobis exsistat. Quare famosum quoque illud Empirismi Decretum, si modo rectum esse debeat, sic constiuendum, enunciandumque videtur: Quidquid est in Intellectu, ad Conscientiam nostram non pervenit, nisi per Sensum. Nam hominem, percepisse prius oportet, quam ille sui sibi, et omnium eorum, quae in eo sunt, conscius esse queat. Sed is, nonnisi per Sensum percipit. — Caeterum Empirismus, seu, Philosophia sensualis, proprie non aliud est, si modo nexui legitimarum consequentiarum congruenter instituitur, ac perficitur, quam Rea-

lismus, seu Materialismus: quemadmodum purus Rationalismus, seu, Intellectualismus, in Idealismo versari putandus est.

§. 79. Principium Cognitionis quoad Quantitatem.

Quodlibet Experientiae Obiectum, intuitu Quantitatis suae, est Quantum extensivum.

Obs. Vis, ac potestas Decreti huius, quod Quantitatem Obiectorum Cognitionis, pro mera Quantitate cogitatam attingit, ea re nititur, quod Quantitas isthaec, originariis Sensualitatis Legibus congruenter, nonnisi in tantum Intuitione potest usurpari, in quantum nobis Obiectum, in Spatio et Tempore datum fuerit. Quia vero Spatium et Tempus, ut Varia homogenea, iuxta, et post se invicem intuemur: res quoque ipsas, in S. et T. sub hac forma apparere necesse est. Quare iis, secundum Iudicium Intellectus, conditionibus Sensualitatis alligati, certa quaedam Extensio convenit, quae in peculiari ad Spatium Relatione, Extensio sensu stricto, et in Relatione ad Tempus, Protensio appellatur. (§. 27.) Quod ergo in S. et T. percipitur, quantumcunque id parvum fuerit, Puncto aut Momento aequale esse nequit: cum Puncta et Momenta, non partes Spatii Temporisque sunt, sed termini duntaxat, talium partium. (§. 60.) Atque haec ratio est, cur quodlibet Obiectum Quantitatis intuibilis, mensurari, ac numerari possit, proinde Varia partium (Pluritas) discernere, certa quadam mensura (Unitas) determinare, et in Repraesentationem Totius (Omnitudo) comprehendere liceat. Consequenter in S. et T. seu Natura cognoscibili, nullum potest Obiectum reperiri, quod absolute immensum, et innumerabile foret, quantumvis id, respectu relativo, tale esse queat. (§. 55. Obs. 2.)

§. 80. Principium Cognitionis quoad Qualitatem.

Quodlibet Experientiae Obiectum, intuitu Qualitatis suae, est Quantum intensivum.

Obs. Vis ac potestas Decreti huius, quod Qualitatem Obiectorum Cognitionis attingit, ea re nititur, quod qualitas isthaec, secundum originarias Sensualitatis nostrae Leges, nonnisi in tantum sentiri potest, in quantum Obiectum nos, aliqua ratione afficit, perque hoc, ut quale quidpiam semet nobis, in certo Temporis puncto annunciat. Sed Sensatio isthaec, Impressionis ope effecta, iam fortior, iam debilior esse potest, ut tamen simul universe, certa Quantitate praedita esse debeat, quam si ea non haberet: tum vero ea esset = o, h. e. Negatio, sine ulla Positione locum haberet, proinde nullum quoque sensibile datum foret. Cum vero Quantitas illa, in quovis Temporis puncto, simul et semel apprehenditur: profecto ea, in quantum sentitur, non extensiva, sed intensiva est, unde etiam voce Gradus designatur. Quare quodlibet Obiectum sensibilis Qualitatis, determinato cum Gradu nobis apparere debet, proinde, ut id genus Positivum quidpiam, quod cum certa quadam Negatione coniunctum, aut certa ratione limitatum est.

§. 81. Principium Cognitionis quoad Relationem.

Obiecta Experientiae, intuitu Relationis eorundem, in determinata quadam Coniunctione mutua posita sunt, et quidem, partim

ut Substantiae et Accidentia, — partim ut Caussae et Effectus, — partim ut reciproce in se invicem agentia.

Obs. Vis, ac potestas huius Decreti, quod Relationem Obiectorum Cognitionis attingit, ea re nititur, quod Experientia, velut repraesentatio obiectiva, haud quaquam aliter possibilis sit, quam si Intellectus, quasi coactum se videat, res perceptas, determinata quadam ratione, ad se invicem referre. Empiricum scil. Iudicium, non mere subiectivum, sed etiam obiectivum esse debet, h. e. non tantum id enunciandum est, quidnam sit, quod simul percipias (v. c. Vestis, et color rubicundus, fulgur, et tonitru): sed etiam, an, et quomodo res perceptae, inter se sint coniunctae (v. c. Vestis Caii est rubicundi coloris, fulgur efficit tonitru). Iudicium in casu priori, nonnisi perceptivum, neque tamen Iudicium foret empiricum. Simulae autem Intellectus se coactum videt, certas res perceptas, determinata quadam ratione coniungere: tum is Coniunctionem hanc, pro obiectiva, et universali habet, h. e. pro id genus ratione, Obiecta repraesentandi, in quam omnia et singula Subiecta iudicantia, si modo recte iudicant, consentire oporteat. Sed quia Relatio Obiectorum, ad repraesentationem Temporis relata, aut ut determinata Temporis duratio, secundum (sensificatum) Substantialitatis Conceptum, — aut ut determinata Temporis Consecutio, secundum Causalitatis Conceptum, — aut ut determinata Simultaneitas, secundum Commercii Conceptum repraesentari potest: facile liquet, Legem Cognitionis, proxime et universe latam, in triplici forma esse exhibendam. Videlicet:

1. Principium Substantialitatis est: Obiecta Experientiae intuitu durationis Temporis eorundem, in tali coniunctione posita sunt, ut aliquid in iis perduret, in quo omnia reliqua per vices mutantur, verbo: ita semet inter se habent, ut Substantia et Accidens. Si nempe Tempus, per quidpiam, quo id compleatur, determinari debeat: ante omnia sumendum est, adesse quoque aliquid, quod perpetuo perdurat, et simpliciter pro Subiecto reputandum est, ad quod tamen omnia reliqua, quae mutantur, ut Praedicata referenda sunt; adeo quidem, ut minime res sit arbitrii, utrum ex duobus, pro Subiecto, aut Praedicato habere velimus, sic enim Coniunctio mere subiectiva foret: verum res ea sit necessitatis, ut aliter agere, ne fieri quidem posse videatur. Quaenam autem ex rebus perceptis, aut Substantiae, aut Accidentia Substantiarum sint: id vero secundum alias, ex ipsa Experientia depromtas Caussas determinandum est. Nam Principium isthoc docet, nos duntaxat universe, Conceptus Substantiae et Accidentis, ad Phaenomena esse referendos, ut haec pro ratione rerum perceptarum, modo legitimo et immutabili coniungantur.

2. Principium Causalitatis est: Obiecta Experientiae, intuitu Consecutionis Temporis eorundem, in tali coniunctione locata sunt, ut, si quid exsistit, aliquid aliud praecessit, cui illud necessario succedat, verbo, ita semet ad se invicem habent, ut Caussa et Effectus. Si scil. in rebus, respectu Temporis, legalis quaedam vicissitudo determinationum, percipi debeat, ut de illa obiective, et universaliter, iudicetur: sumendum est, unam rem ab alia, necessario

determinari, ut minime sit Arbitrii, utram duarum rerum, intuitu determinantis, et determinati, ut praecedentem, aut sequentem considerare velimus, quia secus Coniunctio, mere subiectiva foret: verum res ea sit necessitatis, ut aliter agere, ne fieri quidem posse videatur. Quaenam autem ex rebus perceptis Causa, quae item Effectus sit: id vero secundum alias, ex ipsa Experientia depromtas caussas, determinandum est. Nam Principium isthoc, universale duntaxat dat nobis Praeceptum, ad inquirendas in Consecutione Phaenomenorum Caussas, et Effectus. — Caeterum id quoque hinc patet, quod, cum primum Principium το Substantiale, ut perdurans quidpiam in Phaenomenis sumat: — Principium secundum non id quaerit, unde το Substantiale exsistat, verum ad Accidentia duntaxat, quae in substantiali exsistunt, aut evanescunt, refertur.

3. Principium Communitatis seu Commercii est: Obiecta Experientiae intuitu Simultaneitatis eorundem, in tali Coniunctione collocata sunt, ut se invicem reciproce determinent, verbo, ea in perpetuo occupata sunt Commercio. Si scil. plures Substantiae, cum variis Accidentibus, ut simultaneis percipi, deque iis obiectiva et universalia ferri debeant Iudicia: tum vero sumendum est, substantias has, intuitu Statuum eorundem, reciproce semet determinare, seu in certa Communitate stare, quo sic, cum apprehensio eorum in Conscientia sucessive fit, subiectiva haec Successio, haud pro obiectiva habeatur. — Caeterum Principium isthoc, non id determinat, in qua Communitatis specie res sint collocatae, item, quomodo et secundum quas peculiares Leges in se invicem agant, aut reagant; verum, duntaxat universe praecipit, reciprocos rerum nexus esse pervestigandos.

§. 82. Principium Cognitionis quoad Modalitatem.

Obiecta Experientiae, intuitu Modalitatis eorundem, cum Facultate cognoscendi, in determinata quadam Coniunctione stant, et quidem, partim ut possibiles, partim ut actuales, partim ut necessariae res.

Obs. Vis, ac potestas, huius Decreti, quod Modalitatem Obiectorum Cognitionis attingit, ea re nititur, quod cum nulla res omnino a nobis cognosceretur, nisi illa determinata quadam ratione ad Facultatem cognoscendi relationata esset: intelligitur, omnem cognitionem, a certis pendere conditionibus, quae partim in Subiecto, partim in Obiecto, vi reciprocae eorum Relationis, iacent. (§. 11, 12.) Quod igitur Obiectum Experientiae fieri debet: nae id intuitu harum Conditionum, certa quadam ratione determinatum esse debet, seu, cum Facultate cognoscendi, in determinata Coniunctione positum sit, necesse est: secus enim illa, in relatione ad illud, minime actuosa esset, proinde nullam quoque cognitionem, de eo posset habere. Sed quia Modalitas Obiectorum, ad repraesentationem Temporis relata, seu, ut Modalitas Temporis cogitata, aut ut exsistentia aliquo in Tempore, secundum (sensificatum) Possibilitatis Conceptum, — aut ut exsistentia determinato aliquo tempore, secundum conceptum Actualitatis, — aut ut exsistentia omni in Tempore, secundum Conceptum Necessitatis, repraesentari potest:

patet Legem Cognitionis proxime, et universe latam, in triplici Forma esse exhibendam. Videlicet:

1. Principium Possibilitatis est: Quod cum formalibus Experientiae Conditionibus convenit, est possibile, h. e. quod intuibile, et cogitabile est; inter Obiecta Experientiae versari potest. Scilicet, conditiones Experientiae, in Subiecto radicatae, Formae sunt Intuitionis et Cogitationis. Si quid est ergo, quod Obiectum Experientiae possibile esse debeat: profecto id, tam Sensualitati, quam Intellectui datum esse possit, necesse est, secus Experientia, de eo fieri nequit, et in tantum relate ad Cognitionem, illud ipsum etiam pro nobis impossibile est.

2. Principium Actualitatis est: Quod cum materialibus Experientiae conditionibus convenit, est actuale h. e. quod se, ut Reale quodpiam per Sensationem annunciat, re vera inter Obiecta Experientiae versatur. Scilicet, Conditiones Experientiae in Obiectis fundatae, sunt Impressiones, quibus ea Animum afficiunt, eique materiam Cognitionis suppeditant. Si quid est ergo, quod reale Experientiae Obiectum esse debeat: tum vero Animus, sensationem quampiam ab eo habeat, necesse est; secus id, pro Animo, non in determinato aliquo tempore, exstat.

3. Principium Necessitatis est: Quod cum actuali, secundum universales Experientiae conditiones convenit, est necessarium, h. e. quod cum Dato aliquo, ita coniunctum est, ut legalis Experientiae Contextus, ad Exsistentiam eius deducat: inter Obiecta Experientiae versetur necesse est. Scilicet, universales Experientiae conditiones, sunt id genus Leges, secundum quas, Obiecta Experientiae cohaerent, et quae partim a priori, partim a posteriori determinatae sunt. Quod ergo secundum has Leges, ex Actuali concluditur, proinde in sua Possibilitate, pro Actuali recognoscitur: id pro necessario habemus. Quare Necessitas rerum, in quantum ea, ab Intellectu, Sensualitati alligato diiudicatur, haud interna quaedam, seu inconditionata, verum mere externa, seu conditionata est (§. 75.). Nam, quod in Serie Temporis, pro Necessario cognoscitur: semper aliud quidpiam, velut conditionem suam, in ea, sumit. Quare Necessitas isthaec a nobis cognoscibilis, haud exsistentia quaedam est, in omni tempore universe, sed exsistentia in quoque tempore, in quo Conditiones eius locum habent, quod pro Necessario cognoscitur. Et quia in orbe Experientiae nostrae, secundum Decretum Causalitatis (§. 81.) omne, quod in Serie temporis existit, seu fit, effectus causae antecedentis est, quam is necessario sequitur: Sane quodlibet actuale, proprie, (conditionate) necessarium est, etiamsi, non semper conditionem Necessitatis eius perspicimus, ostendereque possumus, et omnis (conditionata) Necessitas proprie, Lege Causalitatis nititur. Cum autem Effectus Caussae cognoscibilis aliquid est, quod in serie Temporis exsistit, proinde aliam quampiam Caussam requirit: profecto in orbe Experientiae nostrae, tam minime exstat inconditionata quaedam Caussa, et res simpliciter independens, quemadmodum Ens absolute necessarium (§. 64, 66, 75.). Denique, quia *ro* Possibile, in quantum id a Sensu et Intellectu communiter repraesentatur, aliquid est, quod in aliquo tempore exstat: tum id, pro Subiecto quopiam cognoscenti, aut

in praeterita, aut in futura Temporis Serie positum esse debet, h. e. aut iam aliquando actuale fuit, et qua tale, a Subiecto cognoscente perceptum est, aut aliquando actuale erit, et qua tale, a Subiecto cognoscente percipietur. In utroque autem casu, est id ut omne actuale, conditionate necessarium. Proinde Sphaera τοῦ Possibilis, in significatu reali, non est maior, quam Sphaera τοῦ Actualis, haec vicissim non maior, quam Sphaera conditionate Necessarii. — Nonnisi Sphaera τοῦ Possibilis, in significatu logico, debet maior, quam Sphaera τοῦ Actualis cogitari; quoniam, cum illa cogitatur, a quibuslibet conditionibus externis abstrahimus, solamque internam Possibilitatem cogitamus, quae ob eam ipsam caussam, inconditionata quoque vocatur. Pariter Sphaera τοῦ Actualis, cogitari maior debet, quam Sphaera inconditionate necessarii; quoniam, cum quidpiam inconditionate Necessarium cogitamus, id quidem etiam, ut quidpiam actuale cogitamus, sed ita, ut id pro nobis, non cognoscibile sit, proinde in parte Sphaerae illius posita sit, quam Facultati nostrae cognoscendi, assequi non licet.

§. 83. Physiologia transcendentalis.

Iudicia fundamentalia, seu Principia Cognitionis Intellectus puri (§. 79—82.) proxime exposita, sunt transcendentales Naturae Leges, a quibus Possibilitas omnium empiricarum Naturae Legum dependet. Quare complexus systematicus Principiorum cognitionis Intellectus puri: Physiologia transcendentalis appellari potest, quae pure Metaphysica est.

Obs. 1. Natura, sensu materiali (§. 62. Obs.) est legalis rerum Complexus. Et cum cognitio rerum proprie, nonnisi in tantum possibilis sit, in quantum eae, communiter a Sensu et Intellectu repraesentantur, proinde Phaenomena sunt (Fund. §. 79. Obs. 4. et Met. §. 13. cum Obs.): patet nomine Naturae cognoscibilis, nihil aliud intelligi, quam legalem complexum rerum, Sensu et Intellectu communiter repraesentabilium, seu Phaenomenorum, quae unice pro nobis Obiecta sunt Experientiae. Quia vero Principia illa, ex originaria Sensualitatis, et Intellectualitatis ratione, intuitu Cognitionis rerum exsistunt; adeoque originariae Leges Cognoscibilitatis rerum, seu, originariae conditiones, Possibilitatis experientiae nostrae sunt universe: Sane Principia illa, iure transcendentales Naturae Leges appellantur. Atque ob hanc ipsam caussam, sunt quoque eae, Principia ductaria, omnis verae Investigationis Naturae, si quidem quisque Naturae Scrutator, etiamsi non distincte horum Decretorum conscius est: haec tamen sequitur, cum scil. is elementarem corporum materiam Analysi Chemica quaerit, et praesupponit, Substantialem rerum materiam continuo perdurare, solamque earum formam mutari; aut cum in caussas mutationum inquirit, pariter sumit, omnem determinationum mutationem, omnemque ortum, et interitum, determinatam rationem in Natura habere debere. Certe nihil magis, naturae Mentis humanae proprium est, quam ut ea Phaenomena quaeque, ad necessariam relationem caussalem referat, unde est quoque id, cur nunquam Mens humana, eo sit contenta, novos eventus observasse, ut, non rationem quoque eorundem detegere, ac comprehendere simul allaboret. Hinc quoque fieri putandum est, quod ubique, legalem rerum cursum, seu certum Naturae ordinem sumamus, ut etiam id, quod ab eo

declinare videtur, ad altiorem quemdam, nobisque ignotum ordinem ac Legalitatem referamus.

Hoc respectu, id quoque merito dici potest, quantumvis paradoxum esse videatur, ab Intellectu nostro Naturae Leges dari. Nam Leges Naturae transcendentales, sine quibus, nulla usquam nobis Natura cognoscibilis adesset, nullasque empiricas Naturae Leges quaereremus, originem suam simpliciter in nostra cognoscendi facultate habent. Quod contra empiricas Naturae Leges attinet, quae Inductione, et Analogia nituntur (§. 78. Obs. 1.): has quidem Intellectus noster, a Natura discere debet, licet sub ductu semper transcendentalium suarum Legum. Quare transcendentalis, seu pure metaphysica Physiologia est, unicum, verum, scientificumque, seu, philosophicum, universae Physicae empiricae fundamentum.

Obs. 2. Cum transcendentales Naturae Leges, ex Categoriis Intellectus, earumque Schematibus exsistunt: easdem in mathematicas, et dynamicas, ritu illarum, distribui posse palam est. — Caeterum denominationes illae, quibus has Critica insignivit, puta: Axiomata Intuitionis, — Anticipationes Perceptionis, — Analogiae Experientiae, — Postulataque Cogitationis empiricae; antiquandae videntur, — in quarum vicem, Principia Quatitatis, Qualitâtis etc. dicere consultius fuerit.

§. 84. Vacuum. Saltus. Casus. Fatum.

Enunciationes metaphysicae: In Mundo non datur Vacuum (seu hiatus), — Saltus, — Casus, — Fatum, nihil aliud sunt, quam Consequentiae quaedam, ex transcendentalibus Naturae Legibus elicitae.

Obs. 1. Nomine Mundi, hoc Loco intelligitur, complexus omnium perceptibilium, proinde, Naturae cognoscibilis, seu Mundi Phaenomenorum, verbo: Mundi sensibilis. Prima itaque Enunciatio isthaec: In Mundo non datur Vacuum, seu hiatus, proprie significat: In nostro Experientiae orbe, nullum omnino τοῦ Realis defectum, in ulla Spatii et Temporis parte, proindè nullum quoque Spatium, et Tempus, vacuum posse reperiri. Nempe Spatium Tempusque vacuum, absoluta quaedam esset τοῦ Realis negatio, in relatione ad aliquam Spatii, Temporisque partem: quae tamen percipi nequit (§. 80.), Quodsi eam ex Perceptis concludendo vellemus inferre: tum vero Saltum in argumentando incurreremus, vi cuius, pro nihilo haberemus id, cuius extensiva, et intensiva Quantitas, tam parva foret, ut ea, a nostris organis sensoriis, empirice restrictis, percipi nequiret. Nam Guerikiana et Toricelliana Vacua, nonnisi apparentia, seu relativa sunt Vacua. — Quaestio autem, num extra Mundum sensibilem, Spatium, Tempusque vacuum detur: ab hoc loco aliena est, in Metaphysica demum adplicata tractanda.

Obs. 2. Enunciatio secunda: In Mundo non datur Saltus, proprie significat: Omnes mutationes, proinde, omnem quoque in Natura cognoscibili ortum, et interitum, continuo existere, atque ita exsistere, ut inter duos rei cuiuspiam Status oppositos, seu, determinationes, A et B, intermedia determinatio locum habeat, quae ab utrisque diversa est, hoc est, quae neque = A, neque etiam = B est.

Quare Lex haec, Lex quoque Continui dicitur. Scilicet, omnis mutatio accidit in Tempore, ipsum autem Tempus continuum est (§. 18.). Ponas ergo rem quampiam ex Statu A. in Statum B. in dato quodam Tempore transire: tum vero inter duo momenta, quae termini huius Temporis sunt, ipsa vero nullum Tempus conficiunt (§. 60.): certa temporis pars, velut tempus intermedium decurret. Haec temporis portio, tam parva quidem esse potest, ut ea pro infinite parva, seu, pro momento habeatur, proinde id, quod mutatur, momentaneum dicatur (§. 61. cum Obs.). Sed in momento stricte sumto, nihil potest mutari, cum momentum, non est tempus, mutatio autem duntaxat in tempore possibilis est. In illo itaque tempore intermedio, determinationes quoque intermediae, licet illas haud percipimus, eveniunt, ope quarum, transitus rei alicuius ex statu uno, in alium, tam continuus est, quam tempus ipsum, veluti v. c. cum post noctem dilucescit. Caussa autem continuitatis huius, in eo posita est, quod omnes determinationes rerum variantes, Qualitates, proinde intensivae Quantitates sunt (§. 80.), consequenter, varios admittunt gradus, et inter duos gradus datos, indeterminabilis quaedam graduum intermediorum copia iacet (§. 56.). Et quia omnes mutationes secundum Legem Caussalitatis, per certas caussas accidunt; effectus autem harum caussarum, perinde mutatio earum est, quâ alia, quaelibet mutatio progignitur: Caussae quoque continuo agunt, seu, quivis effectus, cum sua caussa, in continuo nexu positus est, cum intermediis causis ac Effectibus.

Porro, hinc sequitur Enunciatio illa Persii: Ex nihilo nil (fieri) in nihilum nil posse reverti, — item illa Lucretii: Nil igitur fieri, de nilo posse fatendum est, haud igitur possunt ad nilum quaeque reverti. h. e. In Natura cognoscibili, nullum absolutum Initium, finemque posse dari (§. 73. Obs.). — Nam, ortus, et interitus τοῦ Substantialis, fieret in saltu, quo continuatus Caussarum et Effectuum nexus prorsus abrumperetur, et Decretum Substantialitatis tolleretur (§. 81. Obs. n. 1.). Quare in Natura, nonnisi Accidentia Substantiarum oriuntur, et intereunt, lexque Caussalitatis, ob id ipsum simpliciter, ad vicissitudinem Accidentium refertur (§. 81. Obs. n. 2). — Quaestio autem: Unde τὸ Substantiale exsistat? prorsus extra orbem Cognitionis posita esse putanda est, cum id, Sensui et Intellectui simpliciter ad cognitionem datum est, ut Instinctus, et Voluntas homini datur, ad agendum.

Si τὸ Substantiale generatim, perdurans quidpiam est, ut saepe visum: nae id intuitu Quantitatis suae, immutabile quoque esse debet, seu, quod idem est, Materia Mundi, nec augeri, nec minui potest; si quidem quaelibet auctio, aut deminutio τοῦ Substantialis, Creatio, aut, Annihilatio foret, quod nec a nobis percipi, nec ex perceptione concludi potest. Quare si in certis rebus in Natura, auctionem aut deminutionem percipimus: tum id, nihil aliud est, quam Immutatio Formae τοῦ Substantialis, intuitu Coniunctionis, Mixturae, et Relationis partium.

Sed exhibitio quoque partium, seu Distributio τοῦ Substantialis, velut Obiecti in Spatio exstantis, continuo procedere debet, sic quidem, ut nulla vel minima eius pars pro indivisa habeatur, cum Spatium ipsum, Quantitas sit continuo divisibilis (§. 18.). Absoluta quaedam τοῦ

Substantialis divisio in Spatio, ut in Solutione ad indivisibile tandem offendas, Annihilatio, seu Saltus foret: cum indivisibile illud, seu simplex, non amplius extensum esset, sed duntaxat pro Puncto mathematico cogitandum, — quod tamen, ut supra dictum, nec Spatium, nec pars Spatii est (§. 60.).

Denique Lex quoque Parsimoniae, vi cuius, in caussa efficiente, nec plus, nec minus continetur, quam ad totum Caussae huius Effectum necessarium erat, nihil aliud est, quam Legis Continui sequela, h. e. Enunciationis: Nullum in Natura saltum dari. Nam si in causa plus contineretur: tum Saltus in serie caussali esset, si quidem pars actuositatis caussae, annihilaretur, aut nihil operaretur: Sin autem, minus in ea contineretur: tum pariter Saltus esset, si quidem, aliquid in effectu adesset, quod nullam caussam haberet. Quare Enunciatio illa, Lex quoque Minimi dici potest.

Obs. 3. Enunciatio tertia: In Mundo non datur Casus, est immediata Legis Caussalitatis Consequentia. Nam, si, quidquid in Mundo sensibili accidit, ut Effectus praecedentis Caussae, necessario consequitur: tum vero, nihil accidit Casu. Quare Casus purus, seu, Fors, quae intuitu felicitatis, aut infelicitatis hominum, fortuna secunda, et adversa dicitur, in quantum ea, in abnormi phaenomenorum ortu, et interitu versaretur, proinde coeca vocatur: admitti in Natura nequit. Quamvis igitur multa, quasi Casu accidant, fortuita dicimus: attamen id, aut merae absolutae Necessitati opponimus, et tum, ipsum conditionate Necessarium, ut Ens contingens, consideramus, si quidem id, simulac ab eius conditione abstrahimus, in ipsa etiam cogitatione tollitur; — aut nomine Fortuiti, id intelligimus, quod citra, vel etiam contra consilium nostrum, proinde sine caussa finali accidit; — aut denique id, cuius Caussam efficientem naturalem, sive Legem Exsistentiae eius non perspicimus (§. 67 et 82. Obs. n. 3.).

Ad postremam Fortuiti Speciem pertinent, Miracula. Nam, quamvis haec, propter alias caussas, quemadmodum liberae quoque hominum actiones, ad altiorem quampiam, extraque Sphaeram Cognitionis positam Caussalitatem referri possint: ea tamen, ut Phaenomena Mundi sensibilis, suas Caussas efficientes in Natura habere debent, quas nos, aut diu, aut in perpetuum ignorabimus. Pervestigatio harum Caussarum, Rationi Speculanti prohiberi quidem nunquam potest: eâ tamen alio respectu, supersedere quoque eidem licet, eo quod ad nos, nullum practicum habet invitamentum.

Obs. 4. Enunciatio quarta: In Mundo non datur Fatum, duntaxat alia praecedentis Enuntiationis formula est. Nam, si omnia phaenomena, in Mundo sensibili, praecedentibus phaenomenis, velut conditionibus, determinata sunt: tum nullum quoque Fatum datur, h. e. Nulla Necessitas est, quae non ex certis caussis comprehensibilis, aut explicabilis esset; etiam si eam, propter restrictam nostram concipiendi facultatem, comprehendere ac explicare nequiremus. Quare Fatum, ut Necessitas, perinde coecum vocatur, in quantum eo absolute inconditionata, et ob hoc ipsum inevitabilis eventuum Series intelligitur, et tam parum in Natura admitti potest, quam Casus purus, seu, coecus eventus. Nam absoluta, seu, inconditionata Necessitas, ad Obiecta Experientiae, eorumque complexum, seu ad Mundum sensibilem, prorsus

applicari nequit. Hinc, omnis quoque, quae explicari et comprehendi potest Necessitas, non Exsistentiam τοῦ Substantialis attingit, sed tantum Mutationes, quae Formam eius, varia ratione modificant. Proinde Intellectus, Sensualitati, in cognoscendo alligatus, solas Phaenomenorum caussas, in Mundo sensibili anquirit, et quidem eas, quae in hoc ipso positae sunt, non autem Caussas Mundi sensibilis universe, aut Caussam Phaenomenorum, quae non ipsa Phaenomenon esset, et quâ talis, pariter conditionate Necessaria foret.

§. 85. Amphibolia Conceptuum Reflexionis logicorum.

Enunciationes metaphysicae, quae ex falsa Conceptuum Reflexionis logicorum (Log. §. 49. Obs. 3.) Applicatione, ad Obiecta Cognitionis, exsistunt: neque pro ipsis transcendentalibus Naturae Legibus, neque pro necessariis earum consequentiis, haberi possunt.

Obs. 1. Prima huius generis Enunciatio Identitatem et Diversitatem Obiectorum Cognitionis attingit, estque talis Argumenti: Non possunt in Natura res esse duae, quae invicem perfecte aequales, et similes, h. e. intuitu Quantitatis, et Qualitatis identicae forent (§. 51 et 54.); tum enim non nisi per unum Conceptum cogitarentur, proinde, ut Entia numero diversa, discerni invicem non possent. Quare Enunciatio ista vocatur: Principium Identitatis Indiscernibilium dicta est. — Enimvero, si ad res, intuitu Identitatis et Diversitatis earundem reflectimus: tum in iis, in quantum non mera Entia Rationis, sed realia cognitionis Obiecta fuerint, non id solum respiciendum, quomodo per Intellectum, sed etiam id, quomodo per Sensum repraesentantur. Nam fieri facile posset, ut duae, aut plures res, uno eodemque Conceptu cogitarentur, et in tantum, perfecte aequales, et similes, attamen, ut Obiecta cognitionis diversae forent, simulac eae, in diversis Spatii et Temporis partibus perciperentur. Res quidem tunc, Identitatem logicam, sed realem haberent Diversitatem. Ipsae adeo partes Spatii et Temporis, ut perfecte aequales, similesque possunt cogitari: attamen ope Intuitionis, discerni quirent, v. c. duo Triangula aequalia, duaeque horae. Atque ob hanc ipsam Caussam, possunt quaelibet res quoque in Spatio et Tempore, ad varias S. et T. partes, referri, proinde sub diversis conditionibus sensibilibus percipi, ut tamen non obstante aequalitate et Similitudine, invicem probe distinguerentur v. c. duae miculae arenariae, aut duo folia arborea, eiusdem Quantitatis et Qualitatis. Consequenter dici tantum potest, nondum quidem duas res, perfecte aequales et similes, in Natura inventas hucdum esse, licet earum exsistentia, in diversis locis, diversisque temporibus, ut possibilis queat cogitari.

Obs. 2. Enunciatio Secunda, Convenientiam et Repugnantiam Obiectorum Cognitionis attingit, et ita se habet: Merae Realitates, seu positivae Qualitates invicem coniunctae, repugnare sibi h. e. Consequentias suas reciproce tollere non possunt; quoniam Coniunctione illa, nonnisi aliquid positum, sed nihil sublatum est. — Enimvero, si ad res, intuitu Convenientiae et Repugnantiae earundem reflectimus: tum, in

quantum eae, realia Cognitionis Obiecta fuerint, non ad solam earum relationem logicam in Intellectu, sed etiam ad realem earundem relationem sub Conditionibus Experientiae, respiciendum est. Nam fieri facile posset, ut certae Realitates, quamvis per solam Coniunctionis earum cogitationem, nulla Repugnantia logica locum haberet, et tamen empirice, ita coniunctae forent, ut una, sequelas alterius, aut ex Toto, aut ex Parte tolleret; proinde, realis inter illas Repugnantia obtineret, v. c. duae Vires, quae Corpus quodpiam, secundum oppositas directiones traherent, vel impellerent: aut vero, duae Inclinationes, quarum Tendentiae reciproce semet restringerent. Nam, si in Casu priori, Vires aequales sunt: tum vero nullus motus sequetur; — et, si in Casu secundo, una ex Inclinationibus saturatur, altera deminutionem patitur. Hic ergo pro fundamento ponitur, Commutatis merae logicae Oppositionis, quae, ut pura negatio, oppositum contradictorium omnis Positionis est, cum reali Oppositione, quae, ut Positio realis alterius, nonnisi contrarium Oppositum certae Positionis est. In hac Oppositione, Realitates, tollere se invicem utique possunt, ut in Mathematica, negativa et positiva Quantitas, — in Physica vero, negativa et positiva Electricitas, invicem se tollunt. Nam, quod hic negativum dicitur, re vera positivum est, et positivo alterius generis opponitur.

Obs. 3. Enunciatio tertia *το* Internum et Externum attingit, et ita se habet: *τω* substantiali in Mundo, aliquid simpliciter Internum, pro Fundamento subesse debet, et ut Internum hoc Ens simplex, seu Monas, vi repraesentandi praedita sit, necesse est (§. 63. Obs.); quia Compositio, et omnes determinationes Compositi, non nisi externae sunt Relationes, quarum sublatione, absque illo Interno, ipsum *το* Substantiale tolleretur; et quia nobis, praeter proprias nostras Repraesentationes, simpliciter nihil Interni notum est. Atque huic Enunciationi innititur Systema Monadologiae Leibnitianae, secundum quod universe, quatuor sunt Monadum Classes puta: 1. Monas infinita seu Deitas, — 2. Monas finita rationalis, v. c. Anima humana, — 3. Monas finita irrationalis, sed conscientia praedita, qualis est v. c. Anima brutorum, — 4. et denique Monas finita irrationalis, sineque Conscientia, quae perpetuo quodam sopore continetur. v. c. Elementa Corporum, quorum Compositio apparens, nonnisi Sequela est, confusae repraesentandi rationis, nostrae Sensualitatis (§. 30. Obs.).

Enimvero, si ad res, intuitu Interni et Externi earundem reflectimus: tum in quantum illae realia cognitionis Obiecta sunt, *το* Substantiale, non solum, ut Obiectum Intellectus puri, sed etiam ut Obiectum Sensualitatis considerari oportet. Intuitu priori, *το* Substantiale, est res mera cogitationis, scil. Repraesentatio de re, quae nonnisi pro Subiecto, non pro Praedicato rei alterius cogitari potest, in Iudicio categorico: Respectu autem posteriori, *το* Substantiale, in Spatio et Tempore datum esse debet, et tum in eo, nihil aliud percipimus, quam *το* Externum, h. e. *το* Iuxta, et post se esse, et in quantum id, per vires alternatim influit, reciprocam Attractionem, ac Repulsionem, quae omnia solas externas relationes redolent. Quare *το* Substantiale, hoc titulo consideratum, nihil aliud est, quam Complexus talium Relationum perdurans, cuius Internum, nonnisi comparativum est, v.

c. partes corporis nostri internae, in relatione communis tegumenti, quod eas convolvit. Sunt quidem Sensui, qua interno, etiam Internum quoddam, nempe Repraesentationes (et qui ad eas referuntur Nisus) datae. Sed quia Internum hoc, perpetuo variatur, proinde Sensui interno, nulla perdurans Repraesentantis ipsius Intuitio, verum vicissitudo duntaxat Repraesentationum, ut determinationum Sensus interni, aut Statuum Repraesentantis data est: plane problematicum est, utrum Repraesentatio quoque, nonnisi ut Modificatio Interni comparativi v. c. Cerebri, proinde merum Accidens Subiecti semet externe, ut Substantiam intuentis, an ignotum quidpiam, ut simpliciter internum Repraesentationum Subiectum, proinde, ut Substantia quaedam, omni compositione libera, seu simplex, sed vi repraesentandi praedita, sumi debeat.

Obs. 4. Enunciatio quarta, Materiam et Formam Obiectorum Cognitionis attingit, atque ita sonat: Materia, ut το determinabile in rebus, Formam, velut determinationem, semper antecedere debet; quoniam secus, nihil adesset, quod Formam recipere, aut determinari posset. — Enimvero, si ad res, intuitu Materiae et Formae earundem reflectimus: tum, si modo ea realia Cognitionis Obiecta fuerint, bene considerandum est, quas partes Animus, in repraesentatione horum Obiectorum habeat. Scil. Forma originaria, proinde universalis, et necessaria, quemadmodum Obiecta intueri et cogitari oporteat, a priori in Animo determinata esse debet, et ob hoc ipsum, Materiam omnis Repraesentationis antecedit; licet, in omni Sensus et Intellectus repraesentatione actuali, prius Animo varia, ut Materiam dari necesse est, quam is ea, ad Unitatem Conscientiae, certa quadam ratione queat coniungere.

Quod autem empiricam, proinde peculiarem, et contingentem Obiectorum Formam attinet: ea quidem diversa ratione variari, et dato Materiali rudis et imperfectioris formae, postmodum, pulchior, et perfectior dari potest. Verum aliqua demum Forma, cuique Cognitionis Obiecto, propter originariam illam Cognitionis Formam, iam competere debet, quare etiam res, Forma perfecte destituta, omnino percipi nequit. Mera Intellectus est abstractio, vi cuius, Materiam et Formam in rebus separamus, secundum quam ea, mox ita nobis occurrit, ac si Materia sine Forma (cogitata) Formam antecederet, quantumvis illa, sine hac nunquam exstat.

Obs. 5. Error communis, qui Enunciationibus his, pro fundamento positus est, in Permutatione, empirici Intelligentiae usus, cum puro, et Reflexionis transcendentalis cum logica consistit. In puro Intellectus usu, Obiectum, ut merum cogitationis Obiectum (Noumenon) consideratur, sed in empirico, simul ut Obiectum intuendi, et Sentiendi (Phaenomenon) considerandum illud est, proinde ad originarias Perceptionis conditiones referendum. Atque hac plane ratione comparantur invicem duntaxat universe, Conceptus in Reflexione logica: sed in Reflexione transcendentali, intuitu variarum animi Facultatum, ex quibus, ut Cognitionis fontibus, Conceptus exsistunt, adeoque cum discrimine variae Conceptuum relationis ad Obiecta, velut meri Intellectus Obiecta, aut Sensus, et Intellectus simul. Postrema hac Reflexionis ratione, suus cuique Conceptui locus in Animo originarius, seu transcendentalis determinatur, atque Institutio ad illum, ut a logica seu dia-

lectico - rhetorica Topica distinguatur, Topica transcendentalis, appellari potest, quae in mero Analyticae Facultatis cognoscendi Resultato inest, quâve, Amphibolia Usus Conceptuum Reflexionis, orta, ex permutatione logicae et transcendentalis Reflexionis, tollitur.

CAPUT III. Analytica Rationis.

§. 86. Ratio, quâ Facultas Principiorum.

Ratio in Logica, ut Facultas ratiocinandi consideratur (Log. §. 23. Obs. 2. et §. 69. Obs. 2.). Sed cum Ratiocinatio, id genus Actuositas Animi est, qua Iudicium quodpiam, ex aliis deducitur (Log. §. 70.), et cum Praemissae Ratiocinationis, eius generis Principia sunt, ex quibus Conclusio elicitur, h. e. id, quod haec Propositio enuntiat, pro valido recognoscitur (Log. §. 74.): intelligitur Rationem, iure per Facultatem ex Principiis cognoscendi, seu, simpliciter, per Facultatem Principiorum explicari. Nam Statutio, et Recognitio Propositionum ut Principiorum Deductionis aliarum Enunciationum, solius Rationis actus esse putandus est.

§. 87. Ratio, quâ Facultas Conditionem conditionatorum quaerendi.

Cum Principium quodque, id genus Conditio est, a qua, aliud quidpiam, puta το conditionatum, ut dependens cogitatur: tum, si certum Iudicium, ut conditionatum datum est, omnis, Rationis functio, in eo consistet, ut Principium quaerat, a quo Iudicium illud, velut conditione sua, pendeat. Quare Ratio, ita quoque considerari potest, tamquam Facultas, ad datum conditionatum Conditionem quaerendi.

§. 88. Ratio, quâ Facultas το Absolutum, sive Inconditionatum quaerendi.

Ratio, in hac sui, Conditionem ad datum conditionatum quaerendi functione, non prius sibi satis factum putare potest, quam aliquid uspiam cognoscere queat, quod ea, pro summa ultimaque conditione, quae non amplius ab alia aliqua pendeat, habere possit, — proinde quam το Inconditionatum repererit. Inconditionatum hoc, Absolutum quoque vocari potest, quoniam id, ut in, et per se perfectum debet cogitari. Quare Ratio, ita quoque reputari potest, tanquam Facultas, το Inconditionatum, seu Absolutum quaerendi.

Obs. Inconditionatum, seu Absolutum, est ergo nihil aliud, quam id genus Finis, quem nos ipsi nobis, per Rationem, ut Supremum et ultimum, intuitu Actuositatis nostrae ponimus, et quidem, cum hic Ratio proprie duntaxat, ut Theoretica Facultas expenditur (§. 14.) intuitu illius Actuositatis, quae ipsa Theoretica vocatur, et in repraesentando, ac cognoscendo inest (Fund. §. 75 et 81.). Cum autem theoretica Animi Actuositas, ad hunc finem directa est: Repraesentationes, Cognitionesque nostrae, perpetuam ad hoc unum Relationem consequuntur, proinde longe altiorem quandam Unitatem, quam illa Intellectus Unitas

est, quae ex coniunctione Variorum, sensualiter rapraesentatorum, ad Conceptus de certis Cognitionis Obiectis emergit (§. 33. Obs.). Altior isthaec Unitas itaque, ut ab illa distinguatur, Unitas Rationis, seu Absoluta Unitas vocari potest, quoniam ex necessaria Rationis, ad το Absolutum Tendentia, exsistit. Et quia repraesentationes, per eminentiam Ideae appellantur (Fund. §. 75 et 81.), unde etiam Ratio, ut Facultas Idearum describi potest: Repraesentatio του Absoluti, est originaria Rationis Idea, quae omnibus reliquis eius Ideis fundamenti loco posita esse debet.

§. 89. Ratio empirica, eiusque Principium subiectivum.

Cum Rationi per Sensum, et Intellectum Cognitiones datae sunt, proinde Conceptus et Iudicia, quae ad Obiecta Experientiae referuntur: tum Functio eius, duntaxat in eo consistit, ut datos Conceptus Iudiciaque perpetuo altioribus, magisque universalibus Conceptibus, Iudiciisque subordinet, proinde illa, ad minimum, qui modo fieri potest, numerum reducat, et hac ratione, Cognitionibus datis, summam Unitatem logicam, in absoluto Cognitionis Systemate impertiatur. Tum vero Idea του Absoluti, mera est Idea scientiae normalis, quippe Totius cuiusdam systematici, ut secundum eam, datae Cognitiones organisentur (conformentur), h. e. Forma Rationis, iis, per absolutam Evolutionem, et Elaborationem omnium partium, in relatione ad Totum, concilietur, et imprimatur. In quantum autem Ratio, in hac actuositate sua, ad id, quod per Sensum et Intellectum datur, alligata est: illa ipsa duntaxat, in Qualitate Facultatis empirico-plasticae, apparet, respectu theoretico, aut ut empirica (theoretica) Ratio, Principiumque isthoc subiectivum sequitur: Ad quodlibet conditionatum datum, Conditionem eius esse quaerendam, dum, si fieri possit, omnes conditiones, seu Totalitatem conditionum omnium, licuerit assequi.

Obs. Haec illa Norma, seu Regula est proprie, quae Classificationi cuique, h. e. cuivis systematicae Generificationi, et Specificationi, in reciproca earum relatione, pro fundamento posita est (Log. §. 43.). Huic etiam innititur itaque, Validitas trium Principiorum, seu legum, quas Ratio Intellectui, in Subordinatione et Coordinatione Conceptuum praescribit, puta: Decreti Generum, — Decreti Specierum, — et Decreti Continuitatis logicae (Log. §. 45. b.). Nam Conceptus altior, seu Genus, est logica conditio inferioris, seu speciei sub eo contentae, et Ratio, Systema Classium, in quo genera et species, in reciproca Relatione exhibentur, non prius pro perfecto absolutoque habere potest, quam omnia Genera, omnesque Species, in continuo nexu conspexerit, proinde Totalitatem omnium conditionum assecuta fuerit. Inde tamen non sequitur, nos, Totalitatem hanc, in ullo aliquo temporis puncto, revera assecuturos esse. Nam Principium illud, duntaxat Tendentiam Rationis, ad Absolutum in Cognitione exprimit. Sed hic finis, pro nobis, ut sensualiter limitatis, aut finitis Entibus rationalibus, in infinita longinquitate remotus iacet, adeo, ut ad eum quidem continuo magis ac magis nobis accedere liceat, quin eum unquam assequamur.

(Fund. §. 81. Obs. 1.) Consequenter, Principium illud, cum Decretis ab eo pendentibus, constitutivum quidem est, pro usu Rationis, in declinatione Systematis Cognitionis, nam absque eo, nullum Systema potest perfici. Sed in relatione ad usum Intellectus, in actuali Obiectorum cognitione, sunt ea Principia, nonnisi regulativa, et heuristica; si quidem Intellectus iis, manu quasi ducitur continuo, ad maiorem ac maiorem semper copiam, singularum cognitionum, ut elementorum, seu Materialium erigendi Systematis cognitionum perfecti, comparandam.

§. 90. Ratio pura, eiusque Principium obiectivum.

Interim Ratio, penes subiectivum hoc suum Principium, non permanet, verum, propter necessariam eius, ad Absolutum, Tendentiam, ita illud considerat, tanquam Obiectum, ad cognoscendum datum, vel dabile. Scilicet, dum Ratio sumit, cum quolibet conditionato dato, quamlibet possibilem conditionem quoque eius dari: tum vero Principium illud subiectivum, in dignitate Principii obiectivi, seu Legis cognitionis, in hanc sententiam comparet: Si Conditionatum datum est, tum tota quoque series conditionum, invicem subordinatarum, seu, ipsa conditionum Totalitas data est. Cum vero Totalitas isthaec, non aliter cogitari potest, quam in Idea Inconditionati, quae Inconditionalitas demum, sive tot seriei, sive uni eius membro competat, perinde est: Principium illud sic quoque exprimi potest: Si Conditionatum datum est: Inconditionatum quoque simul datum est. Tum ergo Absolutum, ut id genus Obiectum consideratur, quod Rationi, ad investigandum datum est. Sed cum id, in Experientia datum esse non potest, si quidem omne empiricum conditionatum est, (§. 84. Obs. 3, 4.) Ratio in, et per se ipsa, το Absolutum, omni studio pervestigare debet. Proinde in hac, theoreticae suae Actuositatis, directione, ita Ratio comparet, tanquam proprius quidam, et ab omni experientia independens possibilium Repraesentationum, et Cognitionum fons, consequenter, ut pura productiva facultas, respectu theoretico, aut, ut pura speculativa cognoscendi Facultas, ob eamque caussam, pura (theoretica) Ratio appellatur.

Obs. Haec etiam Caussa est, cur Repraesentationes quoque, ad quas Ratio, in hac Actuositatis suae directione deducitur, aut quae in animo evolvuntur, si is secundum legem superiorem speculatur, puri Rationis Conceptus, aut Ideae κατ'εξοχην, seu, transcendentales Ideae appellantur; si quidem secus etiam Conceptus altiores, quos Ratio, in empirica sua Actuositate, ex datis de Obiectis Cognitionis Conceptibus, format (§. 89.) iure Ideae possint nuncupari. v. c. Ideae Regni animalis, Regni Plantarum, Organismi Naturae, etc. Puri ergo Rationis Conceptus, a puris Intuitionibus, purisque Intellectus Conceptibus, in eo differunt, quod hi ut Categoriae ad obiecta Experientiae possibilis, illi autem, ut Ideae, sensu eminenti, ad quidpiam referuntur, quod in nulla Experientia potest dari, — scilicet ad το Absolutum. (§. 42. Obs. 1. et §. 43, 87 cum Obs.). Ex parte autem altera, sunt illi, cum his, in eo affines, quod Ideae, re ipsa, nihil aliud sunt,

quam sublimatae, h. e. ad Inconditionalitatem evectae Categoriae. Quod scilicet a nobis, ut Obiectum cogitandum est: id non aliter, quam per illos Conceptus potest cogitari, qui universales, ac necessarias Obiecti notas universe exprimunt, proinde per Categorias. Simulac itaque το Absolutum, ut Obiectum consideratur: nae id, pariter per Categorias cogitandum est, ita tamen, ut eae ipsae, ad Inconditionalitatem evehantur, seu, per originariam Rationis Ideam exaltentur. Sic nomine Immortalitatis Animorum, infinitam eorundem durationem, — nomine Omnipotentiae Dei, infinitam eius Actuositatem cogitamus, et sic porro.

§. 91. Idea psychologica, — cosmologica, et theologica.

Repraesentatio Inconditionati referri potest:

1. ad Repraesentantem ipsum, tanquam inconditionatum cogitandi Subiectum. Hinc exsistit Idea: Absoluta Entis cogitantis Unitas, proinde, Repraesentatio de Anima humana, tanquam substantia simplici, quae etiam independenter, ab empirica Exsistentiae nostrae conditione, corporeque organico, consequenter, ut Ens pure spirituale, esse, et operari potest. Atque haec Idea, psychologica potest vocari.

2. ad το Repraesentatum, velut inconditionatum cogitandi Obiectum. Hinc exsistit Idea: Absoluta omnium reciprocae conditioni adstrictorum Phoenomenorum Unitas, proinde Repraesentatio de Mundo, tanquam absoluto Complexu, omnium in Spatio, et Tempore exstantium, quamvis non perceptarum rerum. Atque haec Idea, cosmologica dici potest.

3. ad Ens supra omnem Repraesentantem, Repraesentatumque sublimius, quod, ut Inconditionatum cogitandi Subiectum, simulque inconditionata, omnium cogitationis Obiectorum ratio est. Hinc existit Idea: Absoluta supremae conditionis, omnium Subiectivorum et Obiectivorum Realium Unitas, proinde Repraesentatio de Deitate, tanquam Ente supremo et realissimo, Fonteque Entium originario. Atque haec Idea, theologica potest nuncupari.

Obs. 1. Cum Ratio logice, ut Facultas concludendi, seu ratiocinandi sumta (§. 86.), et metaphysice, ut Facultas Idearum considerata, (§. 88. Obs.) una eademque Facultas est: profecto inter concludendi Formas, ipsasque puras Rationis Ideas, ut similis nexus habeat locum, necesse est, qualem inter iudicandi Formas, purosque Intelligentiae Conceptus, supra in Analytica Intellectus obtinere, monuimus (§. 35.). Quare nihil obstat, quin Formis illis ratiocinandi, velut filo Ariadnaeo liceat uti, ad puras Rationis Ideas detegendas, et exhibendas.

Cum scilicet Ratio, categorice concludit, ideo certum quodpiam Iudicium validum esse putat, quod Subiectum eius, altiori cuidam Subiecto subordinatum est, proinde illi, de quo id vere praedicatur. (Log. (§. 78.) Maior ergo, cum Subiecto altiori, in eo contento, inest in conditione Validitatis Conclusionis, ut conditionati, in Ratiocinio categorico. Quod si itaque Ratio Decreto huic: Si conditionatum datum est: inconditionatum quoque simul datum esse oportet, congruenter agit: profecto ea, το Inconditionatum, secun-

dum categoricam concludendi formam, in ipso Inconditionato cogitationis Subiecto, quaerat, necesse est; in Subiecto scilicet, quod non amplius, ut Praedicatum alterius Subiecti cogitari poterit, verum in se, et per se, ut Subiectum absolutum repraesentatur; si quidem id, in omni cogitatione (iudicio, et ratiocinio) ultimum Relationis punctum, sive fulcrum est. (Ego cogito, seu cogitans cogitat) Quare Relatio Repraesentationis Inconditionati, ad id, quod, ut subiectivum quidpiam, in omni cogitatione inest, Ideam psychologicam suppeditat. Porro

Cum Ratio hypothetice concludit, ideo certum quodpiam Iudicium validum esse putat, quoniam id, ad aliud Iudicium pertinet, et ad illud quidem, cuius membra, ut Ratio et Consequentia, necessario inter se cohaerent, et se (ponendo, aut tollendo) reciproce determinant. (Log. §. 81.) Maior itaque, cum ratione logica, in ea contenta, inest in conditione validitatis Conclusionis, ut conditionati, in Ratiocinio hypothetico. Quodsi itaque Ratio, Decreto huic: Si conditionatum datum est: inconditionatum quoque datum esse oportet, congruenter agit: profecto, ea, το Inconditionatum, secundum hypotheticam concludendi formam, in ipso Inconditionato cogitationis Obiecto, quaerat necesse est, in Obiecto scilicet ad quod, omne id pertinet, quod modo in Spatio, et Tempore, ut realis ratio, et realis consequentia, coniunctum est, aut quod, in absoluto nexu caussali positum est. Quare Relatio Repraesentationis Inconditionati, ad id, quod ut obiectivum quidpiam in omni cogitatione inest, Ideam cosmologicam suppeditat. Denique

Cum Ratio disiunctive concludit, ideo certum quodpiam Iudicium validum esse putat, quoniam id, in alio aliquo Iudicio comprehensum est, et in illo quidem, cuius Subiectum, ut Totum, omnes partes certae cuiusdam Sphaerae, complectitur. (Log. §. 84.) Maior itaque, cum Totalitate in ea contenta, inest in conditione validitatis Conclusionis, ut conditionati in Ratiocinio disiunctivo. Quodsi itaque Ratio Decreto huic: Si conditionatum datum est: inconditionatum quoque datum esse oportet, congruenter agit: profecto ea, το Inconditionatum, secundum disiunctivam concludendi formam, in Inconditionato illo cogitationis Subiecto, quod simul in inconditionata omnium cogitationis Obiectorum ratione inest, et quâ tale omnes omnino realitates originarias, in se complectitur, quaerat, atque hac Repraesentationis του Inconditionati Relatione, ad id genus Subiecto-Obiectum, quod ut Omnitudo Realitatis cogitatur, ad supremam omnium suarum Idearum, h. e. ad Ideam theologicam, semet extollat, nec esse est.

Obs. 2. Atque, hae sunt, tres illae cardinales Ideae Rationis (theoreticae) purae; quae inde exsistunt, quod originaria Inconditionati, seu του Absoluti Idea, aut ad solum Subiectivum, aut ad solum Obiectivum, aut ad utrumque simul refertur. Relatione scilicet postrema, το Subiectivum, et Obiectivum ipsum, vicissim, ut Conditionatum consideratur, sic quidem, ut Ens supremum, tanquam absolutum Subiecto-Obiectum, proinde tanquam originaria, omnium uspiam cogitabilium Realium ratio, in cuius Idea, omne discrimen, του Subiectivi, et Obiectivi, sublatum est, repraesentatur. Quare, omnes reliquae Ideae Rationis (theoreticae) purae,

tanquam notae rerum, quae per illas cogitatae sunt, ad tres illas Ideas debent reduci, v. c. Immortalitas, Omniscientia, absoluta Necessitas etc. Sed hoc in peculiaribus Disciplinis fit, quae non ad puram, sed ad applicatam Metaphysicam pertinent. Scilicet Metaphysica pura, intuitu Idearum illarum, nihil amplius agere potest, quam eas in illa Puritate proponere, in qua eae, ab ipsa Ratione pura sunt effictae. Simulac autem Speculatio, Ideis illis potitur, et id, quod in iis cogitatur, ut peculiaria, ad cognitionem data Obiecta tractat, quo sic de iis peculiares Scientias, nomine Metaphysicae, seu Rationalis Psychologiae, Cosmologiae, et Theologiae delineat: tum vero ea, Territorium Metaphysicae purae relinquit, Conceptibusque, ac Decretis metaphysicis, ad specialem Applicationem utitur, quorum tamen valor, summopere problematicus est. Videlicet id, quod per Ideas illas cogitatur, sensu proprio suprasensibile quidpiam est, h. e. aliquid, quod in nulla experientia dari potest, proinde merum Noumenon. Nam prima Idea, non ad Animam, tanquam Obiectum sensus interni, velut quidpiam interne perceptibile refertur, verum ad Animam, tanquam inconditionatum cogitandi Subiectum, velut Substantiam absolute simplicem, de qua, neque Intuitio, neque Sensatio possibilis est. — Pari ratione, Idea secunda, non ad Mundum, ut Obiectum sensus externi, velut quidpiam externe perceptibile: sed ad Mundum refertur, tanquam inconditionatam rerum, in Spatio et Tempore exstantium Totum, quarum absoluta Totalitas, omnino percipi nequit, sed tantum cogitari. — Tertia autem Idea, ut per se intelligitur, ad Ens refertur, omni sensualitate sublimius. Quare, a priori iam videre est, quod, quamvis Speculatio omnem conatum adhibeat, ad το Inconditionatum cognoscendum: attamen nulla Cognitio, sensu proprio et stricto, de eo possibilis est, adeoque, realis et Obiectivus purorum Rationis Conceptuum valor, nullis theoreticis, aut speculativis rationibus demonstrabilis est. Alia ex parte autem, id quoque hic liquet, tam minime contrarium quoque posse probari, quasi vero Ideae illae, in meris Chimaeris inessent, quibus nulla Obiectivitas extra cogitationem responderet. Nam, unde quaeso posset rationalis aliqua demonstratio, contra Obiectivum Idearum Rationis valorem, peti? Quis ita ad sensuum fruitionem prostitutus homo, et velut Epicuri de grege porcus esset, aut ad quidlibet suprasensibile ineptus, ut asserere non erubesceret, extra το Reale illud, quod sensibus percipimus, nullum altius dari reale? Quamquam autem intuitu του suprasensibilis, scientiae superbae, perspicientiaeque arroganti, ob finitos mentis humanae speculantis limites, renunciare debeamus: attamen eo maiori fiducia nobis, propter rationes practicas, adeoque cum certitudine morali, quae theoreticae multum antecellit, in fidem του suprasensibilis recumbendum est. (Fund. §. 84. Obs. 1—4 et §. 104. cum Obs. 2.)

PARS II. Metaphysica applicata.

Introductio.

§. 92. Conceptus Metaphysicae applicatae.

Metaphysica applicata, Conceptus metaphysicos, atque Decreta expendit, in relatione ad Obiecta determinata, quae Animo

quapiam ratione, velut ad Cognitionem data, possunt considerari. (§. 4.) Complexus omnium harum rerum, Natura, significatione latiore potest appellari, ut ea, omnia et singula, sive realis, sive possibilis Cognitionis Obiecta comprehendantur. Quare, hoc respectu, Metaphysica applicata, nihil aliud est, quam Physica metaphysica, sensu latiori, cum qua tamen, Physiologia transcendentalis, (§. 83.) confundi non debet, si quidem haec scientia, pure metaphysica est, proinde fundamenti loco, Physicae metaphysicae, substernenda.

§. 93. Partes Metaphysicae applicatae.

Cum Natura sensu latiori, aut sensibilis, aut suprasensibilis est, pro eo ac, nomine eius, Complexus rerum in Spatio et Tempore datarum, sensualiterque perceptibilium: aut Complexus rerum suprasensualium, velut absolute cogitatarum (§. 91.) intelligitur: patet Metaphysicam applicatam, necessario, in duas Sectiones distribuendam esse, puta: in Metaphysicam Naturae sensualis, et in Metaphysicam Naturae suprasensualis. Prior dici quoque potest Metaphysica inferior: posterior, Metaphysica sublimior nuncupanda.

Obs. Denominatio Metaphysicae inferioris, et sublimioris, haud quapiam ad totam Metaphysicam, verum, ad partem duntaxat eius applicatam, referri debet. Metaphysica pura, Ontologia alias dicta, discrimen positum, ideo non recipit, quia ad res universe refertur: quod, tum demum locum habere potest, cum Conceptus, Decretaque Metaphysicae, ad certa Obiecta, puta sensibilia et suprasensibilia, applicantur. Res enim suprasensibiles, Ratio, necessario ut altiores considerare debet, si quidem illa, ut se in iis considerandis supra sensibilem Perceptionum Sphaeram attollat necesse est. Neque tamen ideirco Metaphysica inferior, pro viliori quadam scientia habenda, quam altior ista est: quid? quod Metaphysica inferior, nihilo minus momentosa Gnoseologiae pars esse putanda est, quam Metaphysica sublimior; intuitu vero theoretico, maius illa habet pretium, quam haec; cum Metaphysica inferior ad realem rerum cognitionem ducit, amplumque Speculationi campum aperit, Metaphysicae vero Sublimiori, amputatis eius alis, Scientiae rerum suprasensibilium, renunciandum est.

SECTIO I. Metaphysica inferior.

§. 94. Conceptus Metaphysicae inferioris.

Ad Naturam sensibilem, duntaxat illa Obiecta pertinent, quae in Spatio et Tempore, a nobis percipiuntur, proinde, res omnes materiales, seu corporales, simul cum mutationibus, quas in eis percipere licet. Quare Metaphysica Naturae sensualis, seu inferior, nihil aliud est, quam Somatologia metaphysica.

Obs. Repraesentationes ac Nisus interne, seu in mero Tempore perceptibiles, hoc loco minime consideramus, cum haec, ut mera Experientiae Obiecta, rerum corporearum mutationibus accensentur. Experientia enim, nihil aliud nos docet, quam certa corpora, velut

animalia, certis repraesentationibus, ac Nisu intestino, in actum concitari: ex quo autem Principio id fiat, haud docet. (§. 85. Obs. 4.) Quare Anima, ut immaterialis quaedam, seu incorporea Substantia cogitans, ad Naturam suprasensualem pertinet, (§. 91. n. 1. cum Obs.) proinde Psychologia quoque metaphysica, alias rationalis dicta, ad Metaphysicam suprasensibilium, s. Metaphysicam sublimiorem pertinet. Quod autem Psychologiam empiricam attinet: illam ex Territorio Philosophiae, penitus exclusam esse, iam supra monuimus. (Fund. §. 132. Obs.)

§. 95. Differentia Somatologiae metaphysicae a Physica empirica.

Somatologia Metaphysica, velut Physica metaphysica, sensu strictiori (§. 93.) a Physica empirica, per id discernitur, quod illa haud quaquam, velut haec, ab Observationibus, ac Tentaminibus, proinde a posteriori, verum a Conceptibus, et Decretis Facultatis cognoscendi puris, progreditur, ad leges Naturae corporeae, a priori investigandas. Quamquam ergo, Somatologia metaphysica, ad Obiecta empirica refertur: attamen haec illa, nonnisi secundum Principia transcendentalia pertractat, quorum validitatem Ratio philosophans, independenter ab Experientia, agnoscere tenetur. Ea itaque, rationalis etiam Physica iure vocatur: communis autem illa, in qua Physica rationalis, nomine Physicae generalis propaedeutice tantum proponitur, Physica empirica nuncupatur, cuius Physica experimentalis, Chemia, Historia Naturalis et Physiographia (falso Historia Naturalis dicta) nonnisi diversae partes esse videntur.

§. 96. Partes Metaphysicae inferioris.

Cum Somatologia metaphysica, Materiam quamque, ut Obiectum Cognitionis empiricum considerat, ad Leges Naturae corporeae, a priori eruendas; Natura autem corporea, partim ut inorganica, partim ut organica, partim ut finalis Natura universe expendenda est: intelligitur, Metaphysicam inferiorem, in Hylologiam metaphysicam, Organologiam metaphysicam, et Teleologiam metaphysicam, esse dispescendam.

CAPUT I. Hylologia metaphysica.

§. 97. a.) Conceptus Materiae, statusque eius primitivus.

Hylologia metaphysica, a Conceptu Materiae universali progreditur, quam ea, ut quidpiam sensui externo datum, seu in Spatio exstans, proinde ut Obiectum Cognitionis empiricum, ad quod Conceptus, Decretaque Metaphysica applicari debeant, sumit (§. 96.) Originarium Materiae primitivae statum ignoramus. Non eam hodie, ut rem prorsus informem, in Spatio, ubique uniformiter extensam, et simplici ratione efficacem, percipimus: verum res materiales singulares, corporaque infinitae varietatis, quoad magnitudinem, formam et efficaciam sunt, quae se sensibus nostris, undique offerunt, invicemque, iam in remotiori, iam in

propinquiori nexu, posita sunt. Hinc tamen, haud sequitur, perpetuo id ita plane obtinuisse. Quin potius Materiam quampiam primitivam, s. originariam, cogitare licet, ex qua sensim sensim, legale quoddam, ac cohaerens rerum materialium Tótum, Formae determinatae, s. Natura quaedam, per certas vires originarias fuit explicata, vi quarum, partes Materiae in se invicem agentes, coactae sunt, ut semet, determinata quadam ratione, partim coniungerent, partim autem separarent. Id unum hoc loco cavendum, ne Materia haec primitiva, haud pro re prorsus informi, quam Chaos vocant, sumatur.

Obs. 1. Fuerunt Eruditi, qui Materiam primitivam, inde a temporibus Mythologiae philosophicae, ut rudem indigestamque molem, seu rem absolute informem fuisse, sibi persvaderent. Sed falso. Nam Materia a Forma, separari quidem cogitando potest; verum, cum Chaos isthoc, non Ens rationis, s. cogitabile quidpiam, sed Materia rerum originaria esse debuerit: intelligitur Chaos, tali sensu, esse impossibile. Ut tamen id Philosophi evincerent, alii eorum Chaos solidum, alii fluidum, alii Chaos neutralisatum sumsere. Enimvero, id quoque frustra. Nam Chaos solidum, cum Atomis, s. corpusculis constare debuerit, adeoque ut Formam, iam rotundam, iam oblongam, iam angulatam habuerit, necesse est: patet Atomos has, corpuscula derivata, proinde Forma praedita fuisse, non autem Materiam originariam prae se tulisse. — Chaos fluidum, ipsum sibi repugnat; cum quod fluidum est: id in partes solutum, partibus constat spbaericis. Neutralisationi vero, vel ideo nullus locus superest, quod hinc origo Mundi corporei, tam parum explicari posset, quam si Chaos solidum, aut fluidum statueris. Ex quibus omnibus iure videtur inferendum, Materiam Corporum primitivam determinari, simpliciter non posse.

Obs. 2. Simulac Materiam rerum originariam ponimus, originariae quoque eiusdem vires, proinde Materia dynamica originaria ponenda est; cum Materia quoque, sine viribus, nihil quidpiam valeat unquam producere. Unde vicissim sequitur, quod si Chaos, seu, Materiam, simpliciter informen adoptare pro Materia rerum originaria, placeat: hanc Informitatem absolutam, continuo tolli debere: simulac enim Materia agere coeperit, informitas eius aboleatur necesse est.

§. 97. b. Conceptus fundamentalis Hylologiae est Motus.

Materia quaeque, non aliter a nobis percipitur, quam Obiectum spatiosum, in quantum ea sensum externum afficit. (§. 15. cum Obs. et §, 17.) Sed hoc, aliqua saltem mutatione in spatio facta, fieri potest, quippe qua, Materia nobis, ut Mobile quidpiam apparet (§. 28. et 74.). Quare Conceptus Motus, est Conceptus Hylologiae metaphysicae fundamentalis; ipsa vero Hylologia, nihil aliud est, quam doctrina Motus metaphysica, seu Systema Conceptuum et Decretorum a priori, quae Materiam intuitu Motus attingunt.

Obs. 1. Hylologia metaphysica, neque empirica, neque mathematica Motus Doctrina esse potest; ut eam, ab omnibus Materiae pro-

prietatibus empiricis, demonstrationibusque, ac determinationibus mathematicis, numero et mensura exprimendis, abstinere oporteat: cum ea, esse tantum debeat Philosophia Materiae, quâ rei mobilis. Quamvis ergo cognitiones Hylologiae, neque ex Experientia, neque ex Mathematica hauriantur: nihil tamen in ea occurere debet, quod Experientiae repugnet, aut ad quod Mathematica adplicari non posset; cum heic Philosophia id genus obiectum tractandum habeat, quae ei ipsa Experientia, velut Obiectum mathematice determinabile, offert.

Obs. 2. Materia, ut Mobile quidpiam, secundum quatuor Categoriarum Classes, potest considerari. Scilicet, quoad Quantitatem, Motus Materiae, ut merum Quantum universe, — quoad Qualitatem, illa Materiae Qualitas expenditur, quae originaria Motus conditio esse potest, — quoad Relationem, Relatio mobilium mutua, in communicatione Motus, — quod Modalitatem autem, Relatio Motus, oppositique eius, Quietis, ad nostram repraesentandi rationem investigatur. — Neque tamen auctoritate Kantii, Hylologiam in quatuor particulas, puta: Phoronomiam, Dynamicam, Mechanicam et Phaenomenologiam subdividemus: partim scil. Unitati systematicae consulturi, partim autem, quod hae Denominationes, Obiectis suis, non satis videantur respondere.

§. 98. Sola Materiae Mobilitas.

CumMateriae, nihil praeter Mobilitatem universe tribuimus: tam ab interna τοῦ Mobilis proprietate, quam ab externa eiusdem extensione, et Forma, abstrahendum est. Quare, in antecessum, Mobile quodlibet, ut merum Punctum, et Spatium, ab eo describendum, ut mera linea potest considerari. Proinde, ad Motum Materiae, duntaxat intuitu Directionis, et Celeritatis eiusdem reflectendum est.

Obs. In quantum τὸ Mobile, ut merum Punctum considerandum est: in tantum Punctum, pro infinite parva Spatii parte cogitandum est (§. 60. Obs.). Quando quidem enim τὸ Mobile, (Materia) in Spatio esse debeat: nae id, sine repugnantia, non ut quidpiam cogitari potest, quod ipsum Spatium non esset, sed limes duntaxat Spatii. Punctum ergo, ut Repraesentans τοῦ Mobilis in Spatio, saltem pro infinite parva Spatii parte, debet cogitari, sic quidem, ut ei locus quoque possit, adtribui.

§. 99. Motus. Quies.

Si, et quamdiu Mobile locum suum mutat, tum id se movet; contra si, et quamdiu locum suum non mutat, quiescit: proinde Motus, est mutatio loci, Quies vero permansio in eodem loco. (§. 28.) Quodsi Mobile, non ut merum Punctum, (§. 98.) verum ut Corpus, (§. 60.) adeoque, ut complexus, complurium mobilium cogitatur: tum vero Mutatio loci, aut intuitu Totius, aut intuitu Partium, potest percipi (§. 50.). In Casu posteriori, non videtur quidem corpus locum suum mutasse, quoniam Totum ipsum, non aliam Spatii partem occupat; enimvero, cum sensim, et pedetentim, omnes eius partes, aliam Spatii regionem occupant: profecto Corpus, locum suum, durante Motu,

mutare exsistimandum est, atque ob eam ipsam caussam, mutat quoque id, qua Totum, Relationem suam, ad alias Spatii partes, in quibus id positum non est. Proinde dici quoque iure potest, Motum esse mutationem externarum Relationum rei cuiuspiam: contra Quietem, Permansionem esse in iisdem relationibus.

§. 100. Directio, et Celeritas Motus.

Cum omnis Motus, velut mutatio loci, in Spatio et Tempore accidat (§. 28.), sequitur eum, duntaxat in dato Spatio, datoque Tempore, esse possibilem. Quare in quovis Motu, Corpus motum, certam Relationem ad certas Spatii partes, h. e. Directionem, et praeterea, Spatium, quod corpus motum percurrit, certam Relationem ad Tempus, in quo id a Corpore percurritur, id est, Celeritatem habere debet. Consequenter, Directio, et Celeritas, cuique Motui competere debent: licet ambae, durante Motu, aut manere eaedem aut mutari etiam possint.

Obs. Directio et Celeritas, ut fit, in Motu, velut Datum quodpiam sumuntur, idque recte, si Motus empirice, aut mathematice consideratur. Sed Doctrina Motus metaphysica, ostendere debet, an et cur Motui cuique Directio et Celeritas competant. Atque hac in re, metaphysicum fundamentum positum est, Formulae huius mathematicae $C = \frac{S}{T}$ quae nihil aliud indicat, quam ad aestimandam Celeritatem motorum corporum, investigandum esse, quomodo semet, Spatium et Tempus, ad se invicem habeant. Nam, quo maius, aut minus Spatium, in eodem Tempore, a Corpore moto percurritur: eo magis, aut minus celerem esse oportet motum: contra, quo maiori, aut minori in Tempore, idem Spatium percurritur: eo minus, aut magis celerem oportet esse Motum. Quare, in aequalibus Temporibus, ita sunt inter se Celeritates, quemadmodum Spatia: in aequalibus autem Spatiis, reciproce ut Tempora. Pone v. c. Corpora A et B in 4 secundis, illud quidem 16, hoc 8 pedes percurrisse: sane Celeritas Corporis A duplo maior erit, quam corporis B; nam $\frac{16}{4} = 4$, et $\frac{8}{4} = 2$. Quodsi vero, utraque Corpora 8 pedes, illud quidem in 4, hoc autem in 2 secundis percurrissent: tum celeritas Corporis A duplo minor fuisset, quam fuit Corporis B; nam $\frac{8}{4} = 2$ et $\frac{8}{2} = 4$. — Caeterum, cum haec proprie in Doctrinam Motus mathematicam pertineant; quae hoc loco diximus, illustrationis tantum caussa dicta sunto.

§. 101. Continuitas Motus.

Quies, haud merus defectus Motus est, secus enim dicendum quoque esset, res non spatiosas, velut Repraesentationes, et Appetitiones quiescere, eo quod minime moveantur: verum, praesentia rei cuiuspiam in eodem loco, certa Temporis particula perdurante, Quies esse putanda est. Cum autem Momentum stricte sumtum, pars Temporis non est (§. 60.): sequitur Corpus motum, continuo in Motu esse, si in quolibet Puncto lineae Motus, in uno tantum, momento est. Sin autem id, in aliquo Puncto, diutius uno momento restat: tum vero Motus, tamdiu suspensus est, h. e.

quod prius movebatur, quiescit. Quare omnis Motus, quâ talis, est continuus: contra Motus interruptus, nihil aliud est, quam alterna Quietis et Motus reciprocatio.

Obs. Continuitas Motus, ex ipsa Spatii et Temporis Continuitate, sponte consequitur (§. 18 et 100.); ut si, res quaepiam movetur, eam quovis momento, in alio lineae Motus Puncto, positam esse oportet. Sin autem Motus interrumpitur: tum vero Corpus, quod prius in Motu erat, Tempore intermedio quiescere putandum est. Quae Interruptio, aut ita accidere potest, ut Motus in certis intervallis fiat, quemadmodum id, in indice horario fit; aut ita, ut is sensim sensim deminuatur, quamdiu scil. = o fiat, et mox vicissim increscat, ut idem in ascensu, ac descensu Corporum observamus. Nam in Puncto ultimo, cum prior Motus cessat, et secundus incipit: corpus motum diutius uno momento esse debeat, adeoque locum non mutando, quievit. Contra, si Corpus, una eademque Celeritate, idem Spatium, iam progressive, iam regressive percurrit. v. c. in linea A ——— B: tum illud in Puncto B minime quiescere exsistimandum est, sed Motum suum, sine interruptione, continuare.

§. 102. Relativitas Motus.

Cum Spatium, in quo Materia, velut Mobile quidpiam, reperitur, aut ut absolutum, aut ut relativum cogitari potest: profecto Motus quoque, et Quies, aut absolute, aut relative tales possunt cogitari, (§. 24.) in quantum, utraque, in cogitationibus, iam ad absolutum, iam ad relativum Spatium referuntur. Sed, quia Spatium absolutum quâ tale, Obiectum Experientiae non est: nullus quoque Motus absolutus, et nulla Quies absoluta percipi queunt, verum omnes Motus (Quiesque), quos percipimus, simpliciter relativi sunt. Quare etiam in vicem Motus Corporis, in Spatio quieto, secundum unam eandemque directionem, Motum Spatii relativi, in quo Motum percipimus, in opposita ad Corpus quiescens directione, in pari celeritate ponere nobis licet.

Obs. Spatium absolutum, est Repraesentatio sensualis originaria seu Intuitio pura, proinde, ut Obiectum externum, percipi nequit, consequenter Spatium absolutum, neque materiale, neque mobile est, quod idem etiam de Loco absoluto, absoluto Motu, absolutaque Quiete dicendum est. Contra omnis Motus, et Quies, cum percipiuntur, ad Spatium, Locumque relativum referuntur, unde solum Spatium relativum est empiricum, materiale, et mobile. Quare, cum Corpus quodpiam moveri videmus: tum, nihil aliud videmus, quam id Relationes suas externas, ad alias res, in Spatio relativo, mutare v. c. Cum navis in fluvio nobis praeterlabitur, aut cum in sylvis, arboribus utrinque praetervehimur.

§. 103. Motus rectilineus et curvilineus.

Cum Motum, aut semper eandem directionem conservare, aut continuo, aliam atque aliam directionem, ingredi cogitamus: sensu priori Motus rectilineus, sensu posteriori curvilineus exsistit.

Obs. In Motu curvilineo, res mota, directionem suam continuo mutat: attamen propter hanc continuitatem, sive Motus in circulo, sive in ellipsi fiat, cum Corpus quoddam directionem suam semper ad certam legem immutare censendum est: haud inepte dici potest, idem, in eadem directione moveri; proinde Identitas mutatae directionis, pro Identitate directionis sumi potest.

§. 104. Motus aequabilis, inaequabilis, retardatus et acceleratus.

Motus cogitari potest, aut eandem semper retinere Celeritatem, ut res mota, aequalibus Temporibus, aequalia Spatia decurrat; aut continuo, aliam atque aliam obtinere Celeritatem, ut res mota, aequalibus temporibus, inaequalia Spatia percurrat: casu priori, Motus aequabilis, casu autem posteriori Motus inaequabilis exsistit. Motus inaequabilis vicissim, aut cum accrescenti, aut cum decrescenti Celeritate potest cogitari: casu priori Motus exsistit acceleratus, casu vero posteriori retardatus.

Obs. Retardatio quidem, et Acceleratio, Motum efficiunt semper inaequabilem: attamen cum modus Retardationis, et Accelerationis, semper idem esse potest, cum scil. is, unam eandemque Regulam sequitur, velut in ascensu, et lapsu corporum: intelligitur, cur etiam Acceleratio, et Retardatio, uniformis, seu aequabilis locum habere queat, quae tamen cum Motu aequabili, minime confundenda est.

§. 105. Motus versatilis, et progressivus.

Motus cogitari quoque ita potest, ut res mota, aut circa axem suum revolvatur, aut non; proinde Motus, aut in se redeat, aut extra se porrectus sit. Casu priori, Motum versatilem, posteriori progressivum dicimus. Motus progressivus, aut maius, ac maius Spatium, continuo occupare, aut in dato Spatio clausus cogitari potest: casu priori dilatatus, posteriori reflexivus dicitur. Motus autem reflexivus, vicissim, ita quoque cogitari potest, ut res mota Spatium datum, aut in una eademque ratione continuata, aut in directione reciproce opposita, percurrat: casu priori circularis, posteriori oscillans appellatur.

§. 106. Motus simplex et compositus.

Denique Motus, aut ut unicus, aut ut complexus plurium, qui tamen ut singularis apparent, cogitari potest: casu priori simplex, posteriori compositus nominatur. Motus simplex uniformem tantum habere potest directionem, proinde, ut semper rectilineus sit, necesse est. Nam motus curvilineus, quolibet momento, directionem suam, immutat, quamobrem, ut ex infinite multis rectilineis compositus, potest considerari (§. 103. Obs.). Contra Motus compositus, aut eandem, aut variam habere potest directionem, adeoque, partim ut rectilineus, partim ut curvilineus, potest cogitari.

Obs. Modus, quo Conceptum Motus compositi intuitive construere oporteat, minime ad metaphysicam, verum ad mathematicam

Motus doctrinam spectat. Nam Metaphysico, intuitu Mathematicorum nihil aliud faciendum est, quam Conceptum Motus compositi, tam rectilinei quam curvilinei dare: de reliquo, quid cum his agendum sit, illorum est providere.

§. 107. Vis motrix.

Cum quaelibet mutatio in Mundo sensibili, suam habeat Caussam, ad quam ea necessario consequatur (§. 81. Obs. n. 2.): intelligitur, caussas quoque Motus, esse sumendas. Caussa Motus universe, Vis movens appellatur (§. 68.). Nomine itaque Vis moventis, s. motricis generatim Principium illud intelligimus, a quo Possibilitas Materiae, qua rei in Spatio mobilis, ut dependens cogitatur.

§. 108. Vis repulsiva s. expansiva, attractiva s. compressiva.

Vi Motus, res quapiam, s. pars Materiae, aut ab alia semet removere, aut eidem appropinquare potest. In quantum ergo Vis motrix, ut caussa abstantiae, remotionisque materiarum cogitatur, Vis repulsiva; in quantum autem, ut caussa Appropinquationis earundem, ad se invicem, cogitatur: Vis attractiva nominatur. Vi repulsiva, Materia se in Spatio expandit; contra vi attractiva, se comprimit: unde illa Vis expansiva, haec compressiva dici potest.

§. 109. Spatium completum. Impenetrabilitas. Vacuum.

Materia, ut res mobilis in Spatio, non solum Spatium occupat, sed etiam illud implet, h. e. simpliciter impedit, quo minus, cum aliqua Materia, in Spatio data, alia quaepiam, simul in eodem Spatio possit exstare, quam Materiae proprietatem Impenetrabilitatem vocant. Spatium autem Materia non completum, foret Vacuum, si in eo, nullum Obiectum Perceptionis offendi posset (§. 25.), quamvis id genus Spatium, in Mundo sensibili, locum habere nequeat (§. 84. Obs. 1.).

Obs. Spatium occupare, et complere, diversa sunt. Nam corpus mathematicum, Spatium quidem, secundum tres dimensiones, occupat, illud tamen haud complet, cum intra Cubum geometricum, Sphaera quoque eiusdem Diametri recte poni potest, ambo enim haec corpora, non sunt realia in Spatio. Contra corpus physicum, cum impenetrabile s. solidum, opposite autem ad fluida, rigidum est, non solum Spatium occupat, sed etiam illud ita implet, ut rem quampiam mobilem, quae illud ex Spatio occupato removere intendit, repellere omnino conetur. Unde autem Impenetrabilitas haec exsistat, et quae caussa sit, quod Materiam non modo phoronomice, ut rem in Spatio mobilem, sed etiam dynamice, ut rem Spatium implentem, cogitare debeamus: nunc statim investigabimus.

§. 110. Impenetrabilitas quâ Resistentiae sequela.

Impenetrabilitas Materiae, non aliunde explicari potest, quam

ex Resistentia illa, quam quaelibet Materiae pars, ut res in Spatio mobilis, cuique eiusdem parti, ut rei peraeque mobili, opponit, cum una partium Materiae, in idem illud Spatium laborat penetrare, quod ab alia iam est occupatum. Nam ponas, id genus Resistentiam, a nulla partium praestari: tum vero, nulla ratio in promtu erit, cur non quaelibet Materiae pars, in quamlibet Spatii partem, ab alia iam Materiae parte occupatam, penetrare, proinde utraque pars simul in eodem Spatio possit exstare. Enimvero, nova hinc vicissim Quaestio emergit: Unde scil. Resistentia isthaec exsistit?

§. 111. Resistentia, quâ Vis repulsivae sequela.

Cum Resistentia Materiae, de qua proxime dictum, in Motu versatur, qui Motui, quo Materia quaepiam in partem Spatii, ab alia iam Materia occupatam, penetrare satagit, opponitur: cumque una harum Materiarum, hoc ipso Motu, id efficit, ut alia, non in eodem Spatio coëxistere, simul cum ea queat, sed inde removeatur: intelligitur Materiae, in quantum illa Spatium implet, Vim repulsivam tribui debere (§. 108.).

§. 112. Vis Materiae repulsiva, est originaria seu essentialis.

Vis repulsiva Materiae, originarie s. essentialiter, proinde universaliter, et necessario competere debet, idque sic, ut absque ea nulla prorsus Materia, ut res Spatium implens, et mobilis, possibilis, h. e. quoad nos, intuibilis, et cogitabilis foret (§. 82. Obs. n. 1.). Nam ponas nullam, Materiae, vim obtingere repulsivam: tum vero, quaelibet Materiae pars, in Spatium alterius penetrare, et cum ea, in eodem Spatio simul coëxsistere posset. Sed quia Corpora quaeque, partem Materiae efficiunt, et qua talia, mobilia sunt: sane omnia corpora, sensim sensim in Spatio ita congredi, ac coire possent, ut ea, in uno eodemque Spatio demum, exstarent, proinde unum Corpus proprie constituerent. Cumque, iuxta Sumtionem, etiam partes huius Corporis, nulla vi repulsiva pollerent: eaedem, ut mobiles, pariter tam diu coëundo coniungi possent, dum se ad unicam, eamque ultimam particulam, redigerent. Quamdiu autem particula isthaec, minimam aliquam extensionem haberet: eadem, sensu vero, nondum unica et ultima foret, verum coitio illa, perpetuo, sic deinceps possibilis esset, dum particula illa, omnem suam extensionem amitteret, h. e. mero Puncto aequalis redderetur. Quare, Materia quaeque, absque Vi repulsiva, per coitionem partium adeo constringi posset, ut tandem in merum Punctum recideret. Sed cum Punctum, nullam Spatii partem efficit (§. 60.), profecto Materiam, sine Vi repulsiva, minime ut in Spatio exstantem, intueri, ac cogitare liceret. Consequenter, cuilibet Materiae, Vis repulsiva originaria, competere debet: qua ea, Spatium implet, impenetrabilisque efficitur.

Obs. Controversia, num Materia Spatium, sola exsistentia, an

Vi repulsiva impleat, in sola verborum dissensione, inesse putanda est. Nam cum Materia quaeque, semet nobis, ut Reale quidpiam in Spatio, duntaxat Impenetrabilitate sua annunciat, consequenter ea, nonnisi ope Vis repulsivae, ut exsistens cogitari potest, absque qua, nihil nobis de realitate s. existentia eius scire liceret: perinde fuerit, sive Materiam, ut in Spatio exstantem, illud implere, sive Materiam, ut rem in Spatio repellentem, hoc complere dixeris. Alioquin enim Materiam in Spatio existentem, ut rem absolute quiescentem, et prorsus immobilem cogitare non potes, aut si potes, unde tandem exsistet Motus? — Quodsi quaerere cuiquam libuerit, unde Vis repulsiva Materiae exsistat: is vero, rem absurdam postulaverit: cum, ubi ad Vim originariam ventum est, omnis amplius progrediendi possibilitas, simpliciter praecisa est.

§. 113. Gradus Vis repulsivae.

Vis repulsiva, seu expansiva, quâ Materia quaeque, proinde, quaelibet quoque eius pars, quae intra determinatos extensionis limites, ut Corpus apparet, partem Spatii a se occupatam implet, determinatum aliquem gradum habere debet, subter, et supra quem, Gradus minores, et maiores, in infinitum possibiles sunt (§. 80. Obs.).

Obs. Cum quaelibet Vis, quae Obiecto empirico propria est, Quantum intensivum est, proinde ut in sua efficacitate, determinatum habeat gradum, necesse est, quod idem etiam, de expansiva Materiae Vi, verum esse debet. Scilicet, si absolute summus, efficientiae Materiae Gradus, locum haberet: tum vero Vis expansiva, ut vis movens, tanta cum celeritate ageret, ut ea, in finito, quantumvis exiguo tempore, infinitum decurreret Spatium, quod fieri nequit. — Pariter, si absolute infimus efficientiae Materiae gradus, locum haberet: tum vero Vis expansiva, ut vis movens, tam exigua cum celeritate ageret, ut in finito, quantumvis magno tempore, nullum prorsus Spatium percurreret, quod vicissim fieri non potest, cum sic, omnis Motus sublatus fuisset. Ergo, Vis expansiva, in sua efficacia, perpetuo gradum aliquem habere debet, qui nec absolute maximus, nec absolute minimus esse videatur.

§. 114. Materia, per Vim expansivam, impenetrabilis est.

Cum datâ qualibet vi Materiae expansiva, maior quaedam locum habere potest (§. 113.), haec autem in suo Motu, opposita illi esse potest, quâ illa in Spatium angustius cogeretur, proinde haec compressive ageret: profecto, pro quâque Materia, certum quoddam Spatium implente, ut vis compressiva possibilis sit, necesse est, quâ illa, in Spatium angustius cogi queat. Cum autem Vis Materiae expansiva, omnibus eius partibus competit, proinde ea, ex omnibus quoque Punctis Spatii, ab illa occupati, secundum omnes regiones agit: eandem, si Materia in Spatium minus comprimitur, eo fortius agere oportet. Quare, Materia, ab alia quapiam, solo Motu, nunquam potest penetrari. Nam cum Vis expan-

siva, qua Vis Materiae originaria, nunquam exstingui, proinde etiam extensio Materiae, nunquam prorsus tolli potest: sumendum foret, Materiam, Vi quadam compressiva, duntaxat in Spatium, infinite parvum claudi. Tum vero, Vis expansiva, infinite magna fieri, adeoque, ob eam ipsam causam, Vim illam compressivam, superare deberet. Materia ergo propter originariam eius Vim expansivam, impenetrabilis sit necesse est.

Obs. 1. Impenetrabilitas Materiae, aut ut absoluta, aut ut relativa potest cogitari. Impenetrabilitas absoluta, sumtione nititur, Materiam simpliciter comprimi non posse, aut nonnisi in tantum, in quantum, Spatium vacuum in se continet: Impenetrabilitas autem relativa, Resistentia illa nititur, quam Materia quaepiam alteri, quae illam penetrare laborat, ope Vis expansivae, ei opponit, quae vis, cum gradu Compressionis, semper proportionate crescit. Quare Impenetrabilitas absoluta, occulta quaedam Materiae Qualitas esset, cuius nulla ratio reddi posset, neque secundum ullam legem determinari, aut aestimari quiret. — Contra Impenetrabilitas relativa, caussa physica nititur, scilicet vi, quâ Materia, ut extensivum quidpiam, Spatium complet. Quamvis autem Impenetrabilitas relativa, quâ Vis originaria, a nulla alia derivari potest, proinde, in tantum, Qualitas occulta dici posset: attamen, Conceptum caussae agentis, eiusque legum suppeditat, secundum quas, Resistentia in Spatio completo, ut Effectus illius caussae, intuitu gradus sui aestimari potest. Consequenter, in Physica rationali, duntaxat relativa Materiae Impenetrabilitas, admitti potest. Caeterum, distinctio isthaec, mathematica, et dynamica etiam, nuncupari posset.

Obs. 2. Recentioribus temporibus, Penetrabilitas, si non mechanica, certe chemica defensa est. Cogitari, scilicet, Vis solvens potest, quae non prius agere cessaret, quam partes Materiae solvendae, cum partibus solventis, prorsus et aequaliter permixtae forent. Quare Penetratio chemica, solutio quaedam absoluta esset, h. e. talis, vi cuius, Materiae specifice diversae, ita invicem commixtae forent, ut in quali-bet Totius parte, pars utriusque Materiae, reperiretur, eaeque, non extra se, ut contiguae, sed in se, ut continuae in uno eodemque Spatio essent unitae. Id genus ergo Penetrationem chemicam, in Experientia locum habere, nulla ratione probari potest, cum, neque Intuitione, perfecta illa solutio percipi, neque argumentando, ex ulla Perceptione elici potest.

§. 115. Physica Materiae divisibilitas, in infinitum.

Materia, quae per se ipsa mobilis est, substantia materialis vocatur. Huius si pars quaedam ita movetur, ut pars esse desinat, separari dicitur. Separatio autem partium Materiae, divisio physica est. Sed Separatio isthaec, nos semper duntaxat ad partes deducere potest, quae ipsae vicissim, substantiae materiales sunt; cum Vis expansiva, omnibus Materiae partibus competit, quae Spatium occupant (§. 112.). Proinde, quaelibet Spatii Materia impleti pars, in se, et per se mobilis, consequenter a reliquis, velut Substantia materialis separabilis quoque est. Cum autem mathematica Spatii divisibilitas, in infinitum procedit: physi-

cam quoque Materiae, Spatium complentis, divisibilitatem, quod possibilitatem eius attingit, Progressionem in infinitum admittere necesse est: ut tamen idcirco, asseri nequeat, datam quampiam Substantiam materialem, ex partibus constare infinitis.

Obs. Divisibilitas physica, a mathematica, essentialiter diversa est. Divisibilitas scilicet mathematica, in sola cogitatione inest, proinde cum divisibilitate Spatii prorsus identica. Tum vero inter partes Substantiae Materialis, limites communes duntaxat cogitantur, quin eae, re ipsa invicem separarentur. Et quia, Spatium mathematice, in infinitum divisibile est: profecto, est quoque Materia in Spatio, in infinitum divisibilis. Hinc tamen physica Materiae divisibilitas in infinitum, haud quaquam sequitur: cum partes Spatii, per se mobiles non sint, proinde neque physice divisibiles. Contra, partes materiae physice divisibiles sunt, cum quaeque earum, intuitu alterius; repulsiva vi agit, proinde moveri quoque ita potest, ut una ab alia separetur. Atque hinc demum sequitur, Materiam in tot partes physice esse divisibilem, in quot partes mathematice divisibilis est, h. e. divisibilitatem Materiae in infinitum procedere. Interim, divisio ipsa, quam longecunque procedat, semper est finita, et finitam partium copiam suppeditat; cum Substantiam materialem, quam ut finitam et determinatis limitibus clausam intuemur, infinitis constare partibus, sibi repugnet. Quare Enunciatio: Materiam in infinitum divisibilem esse, nihil aliud significat, quam: Divisionem Materiae, nunquam ad finem posse perduci; si quidem, nunquam mihi plures partes datae sunt, quam quas, re vera discernere possum, adeoque, copia quaedam finita, quae tamen semper adaugeri potest. Ex quibus omnibus sequitur, indivisibiles, seu, simplices Materiae partes, nunquam posse offendi, proinde, Atomos, seu Monades, neque Perceptione, neque argumentis, recte defendi (§. 63. Obs. et §. 85. Obs. 3.).

§. 116. Vis Attractiva Materiae, est essentialis seu originaria.

Cum ob Vim repulsivam, seu expansivam, partes Materiae se mutuo defugiunt, neque haec Vis, aut per se ipsam, aut per solum Spatium restringi potest: profecto, Materia quaelibet, nisi vi huic, alia quaedam Vis opponeretur, intra limites extensionis cohiberi non posset, verum, in infinitum dissiparetur, consequenter in nulla determinata Spatii parte, ullum determinatum Materiae Quantum reperiretur, h. e. nullum Spatium impleretur, proinde nulla prorsus Materia Intuitioni, sensationique nostrae exstaret. Quare, ut alia quaedam adhuc Vis movens adsit necesse est, quae modo Vi repulsivae contrario, proinde compressive agat, h. e. quae caussa sit, Appropinquationis partium Materiae, quam Vim attractivam vocamus (§. 108.). Et cum Vis haec, ad possibilitatem Materiae pertinere putanda est: liquet, Materiae cuique, praeter Vim repulsivam Vim quoque attractivam, propriam esse debere. Est ergo, utraque Vis Materiae, originaria, essentialis, s. fundamentalis: unde vicissim sponte consequitur, Materiam Spatium implentem, neque sola expansiva, neque sola attractiva Vi, neque

etiam sine ambabus his Viribus possibilem, h. e. relate ad nos intuibilem, ac cogitabilem esse posse.

Obs. 1. Vis repulsiva Materiae, nihil aliud est, quam nisus eiusdem, se per omnia Spatia data continuo, magis ac magis, expandendi, quam ob caussam illa nobis, ut impenetrabilis apparet. Vis haec, per se ipsa, in sua efficientia, ad certum Spatium restringi non potest, cum nulla Vis, contrarie sibi queat agere. Sed neque solo Spatio restringi potest: nam, quamquam Vis expansiva, quo magis Quantum Materiae in Spatio extenditur, adeoque maius Volumen obtinet, eo magis semper debilitatur: nunquam tamen hac Expansione penitus tollitur, cum gradus Vis cuiusque, in infinitum minores fieri queunt. Denique neque etiam dici potest, Vim Materiae expansivam, contrario aliarum Materiarum nisu restringi: nam sic, Vis se ipsa restringeret, quod falsum est: deinde exsistentia Materiarum, se mutuo restringentium, hac ratione sumeretur, quod prius probandum foret. Quare, praeter Vim repulsivam, ut vis quaedam alia simpliciter sumatur, necesse est, cuius directio, directioni Vis expansivae, originarie opposita sit, h. e. Vis attractiva originaria universalis et necessaria. — Quomodo vero ambae hae Vires, in Systematica Corporum Mundi totalium coniunctione, deorsum a centro, aut sursum versus illud, ut vis centrifuga et centripeta agant, perque hoc curvilineum eorum motum producant: in Astronomia Physica docendum est.

Obs. 2. Cum Materia, res est in spatio mobilis: Originariam aliquam vim motricem sumere necesse est, sive illa repulsiva, sive attractiva sit, cum secus, unde Motus exsistat, comprehendi non posset. Simulac autem, una tantum harum virium ponitur: omnis illico Materia exstinguitur; cum sola vi repulsiva, illa in infinitum dissiparetur, sola vi vero attractiva ad unicum Punctum redigeretur; adeoque neutro in casu Spatium impleret. Utraeque hae vires, in originaria et necessaria earumdem coniunctione suppeditant demum nobis, veluti duo factores, id genus Productum, quod in Spatio nobis apparet, quodque Materiam Spatium inplentem nuncupamus. Quare hic loci, vicissim ad originarium Synthetismum offendimus, si quidem ambae illae vires, ita semet ad se invicem habent, ut Thesis, et Antithesis, inque Synthesi earumdem, ex originario ambarum Conflictu emergenti, Materiam Constituunt.

Obs. 3. Vim Materiae repulsivam immediate percipimus, cum ea, sua se Impenetrabilitate, Tactui nostro annunciat, unde etiam fit, ut Impenetrabilitas, pro nota Materiae characteristica habeatur. Contra Vim attractivam, duntaxat argumento elicimus, cum ad necessarias vis expansivae sequelas, reflectimus, vimque attractivam, ut secundum Impletionis Spatii conditionem fundamentalem, cognoscimus. Quare intuitu Perceptionis sensualis, vis expansiva est realis: attractiva est vis Materiae idealis, ex quarum Unione synthetica demum, Conceptus Materiae potest, cum Ratione construi: quae etiam caussa est, cur vis attractiva, non tam facile, pro vi Materiae universali ac fundamentali recipiatur. — Caeterum, utraeque hae vires, quali in relatione, sive universe, sive intuitu certorum Materiae Quantorum agant, et quomodo ex illis, determinatae illae res materiales, quas in Experientia percipimus, agant; id vero Metaphysica, partim mathematicae, partim

empiricae Naturae investigationi anquirendum relinquit, cum ei hoc loco, universalia tantum ambarum virium discrimina characteristica, quemadmodum ea, ex conceptu earum emergunt, proponenda erant.

§. 117. Contactus physicus. Actio in distans.

Commercium duarum Materiarum, vi Impenetrabilitatis earumdem, in communi termino positarum, vocatur Contactus physicus, ut a mathematico illo distinguatur, qui solam spatiosam Relationem, scilicet, communem duarum rerum, in Spatio positarum terminum, sine commercio, adeoque nullam dynamicam relationem indicat: commercium autem materiarum, extra contactum, Actio in distans dicitur. Sed cum Vis repulsiva, reciprocae Materiarum penetrationi resistit: ea sola contactu physico agit, Vis autem attractiva etiam in distans: eo quod, in caussa est appropinquationis Materiarum. Si ergo Materia quaedam in aliam remotam repulsive agit, ea nonnisi mediate, h. e. ope Materiae interpositae, in hanc agere putanda est: contra si Materia quaedam in aliam remotam attractive agit: tum ea immediate, h. e. sine interposita alia Materia, in hanc agit, proinde intuitu efficientiae eius, perinde est, utrum Spatium intermedium completum sit, an minus. Quare actio in distans, ita quoque explicari potest, quod sit effectus, per vacuum Spatium possibilis.

Obs. Ratio discriminis efficientiae, vis attractivae, et repulsivae, in charactere vis attractivae, ei soli proprio, posita est, quo scilicet a vi repulsiva differt. Scilicet: cum vis attractiva, Appropinquationis Materiarum caussa esse debeat: ea, haud aliter cogitanda est, quam id genus vis, quae in materias remotas Actione in distans, proinde immediate, seu per purum spatium agit, quae tamen determinatio, in vi repulsiva cessat, cum haec pro caussa Remotionis Materiarum cogitanda sit. Caeterum efficientia vis repulsivae, in se, et per se considerata, non minus incomprehensibilis est, quam illa vis attractivae: quae Incomprehensibilitas tamen, haud parum comprehensibilis est, cum utraeque vires, originariae sint, proinde ab alia quapiam vi deduci nequeunt, quod tamen necessarium foret, si possibilitatem vis attractivae et repulsivae, comprehendere vellemus.

§. 118. Vis repulsiva, quâ vis superficiei, seu Contactus.

Vis materiae repulsiva, est mera superficiei vis, h. e. id genus vis motrix, qua res materiales, duntaxat in communi contactus termino, qui in corporibus, eorumque partibus, in se, et per se sumtis (§. 115.), nunquam non superficies est (§. 60.), immediate, in se invicem, agere possunt. Nam cum partes invicem contingentes, ambitum efficientiae suae reciproce limitant: nulla earum vi sua repulsiva, partem remotam movere potest, quin partes quoque intermedias moverit.

§. 119. Vis attractiva, quâ penetrans, seu ultra Contactum.

Attractiva Materiae vis, est vis penetrans, h. e. id genus vis

motrix, qua res materiales, ultra communem quoque contactus terminum, proinde ultra omnes materias interpositas, immediate in semet, agere possunt. Nam id genus vis, quae etiam in distans, s. per vacuum Spatium agit, materiâ illâ, quae Spatium intermedium implet, intuitu efficientiae suae, limitari nequit (§. 117.). Quare vis attractiva, Materiae originaria, in Spatio mundano, a qualibet eiusdem parte, ad aliam quamlibet, immediate porrigitur, idque in infinitum. Nam, quamquam vis attractionis (§. 113.), partis cuiuspiam Materiae, pro ratione extensionis, vis suae attractivae in Spatio, in infinitum decrescere potest; ea tamen nunquam, et nusquam, exstinguitur, verum ubique, in gradu, quantumvis minimo, locum habere debet.

§. 120. Resultata vis attractivae, et repulsivae.

Universalia vis attractivae, et repulsivae Resultata, sunt sequentia:

1) Determinatum quodpiam Materiae Quantum, seu, res materialis, quae Spatium in determinato quopiam gradu implet, non aliter exsistere potest, quam per conflictum originarium, repulsivarum, et attractivarum virium, cum per illas, partes Materiae semet in infinitum dissiparent, per has autem solas, in unicum Punctum eae coirent.

2) Cum cuilibet Materiae parti, vis attractiva et repulsiva, propria est, non minus unam, quam aliam vim, pro ratione auctionis, aut deminutionis massae Corporis, augeri, aut deminui necesse est.

3) Quo magis certum quoddam Materiae Quantum, vim suam attractivam, et repulsivam exporrigit; eo magis eam, deminui necesse est. Nam cum ea semet, in maius Spatium extendit: in quovis maioris Spatii puncto, minor virium gradus adesse debet, quam in quovis Spatii minoris puncto.

4) Si Quantum Materiae, quod minus antea Spatium implêrat, sensim sensim maius Spatium complet: id quidem maius volumen consequitur, sed minorem densitatem, et vice versa, si id sensim sensim, minus Spatium implet, minus volumen, et maiorem densitatem obtinet. Quare volumen, in Extensione impletionis Spatii, Densitas in Intensione eiusdem versatur. In variis ambae, relationibus positae esse possunt, quin per hoc continuitas impletionis Spatii, per vacua Spatia intermedia, tollatur.

Obs. 1. Philosophi naturales, ad explicandam specificam Corporum, intuitu densitatis eorundem, differentiam, duplici via progressi sunt. Alii scilicet, omnia, ex Vacuo et Atomis deduxere, sumentes, nihil originarie adfuisse, quam Spatium vacuum, et Atomos in eo semet moventes, quas corpuscula, seu, corpora elementaria vocabant, unde Philosophia eorum Atomistica, seu, Philosophia Corpuscularis, aut etiam mechanica Naturae Philosophia, dicta est. Quare, mechanica Naturae Philosophia, ficta illa necessitate inevitabili nititur, ad explicandas istas specificas differentias, Spatium vacuum

sumendum esse, simulque ponit, originariam corporum materiam, absolute impenetrabilem, extra Formam, absolute homogeneam, et intuitu cohaesionis, obsolute insuperabilem, proinde talem esse, quae, neque in maius Spatium expandi, neque in minus comprimi possit.

Obs. 2. Alii Philosophi naturales contra, neque Spatia vacua, neque indivisibilia corpuscula elementaria sumserunt, verum specificam materiarum, intuitu densitatis differentiam universe, in originariis materiae viribus, quaerebant, unde Philosophia eorundem Philosophia Naturae dynamica fuit appellata. Secundum hanc philosophandi rationem, Materia Spatium, non absoluta sua impenetrabilitate, verum repulsiva, seu expansiva Vi implet: quae cum in variis corporibus, maior aut minor esse potest, Densitatem quoque augeri, aut minui necesse est.

Obs. 3. Enimvero, cum Philosophia Naturae mechanica, sine ratione asserit, impossibile esse specificam differentiam, Densitatis materiarum, sine admixtione Spatii vacui cogitare; — resque duas, puta Spatia intermedia vacua, et corpuscula indivisibilia sumit, quae in Experientia probari nequeunt, et intuitu Compositionis eorumdem, ad nullas leges possunt revocari, sed coeco casui subiecta sunt; denique, quia systema hoc Philosophiae naturalis, Postulato Rationis, omnia in investigationibus, ad leges, determinatumque nexum caussalem reducenda esse, repugnat: profecto systema Philosophiae Naturalis dynamicum, praeferendum ei esse liquet, licet in applicatione, ad Experientiam, etiam hoc, suis difficultatibus, non careat. — Saepenumero Atomistica ad explicanda rariora Phaenomena, aut, quae vocant, Naturae miracula, adhibita est, v. c. in Rhabdomantia, seu Metallo — Hydroscopia, ope virgulae divinae s. virgae mercurialis, exercita. Erant scilicet, qui existimarent, homines, qui Virga mercuriali, ad aquam, metalla, thesauros latentes, scelera perpetrata, perturbatosque limites detegendos, uterentur, ea ratione hoc perficere valerent, quod cum aqua, metalla, personaeque flagitiosae, nunquam non subtilissimas, minimasque particulas evaporarent, eaeque poros virgae mercurialis, eorumque, qui Virgam mercurialem manu substentarent, portarentque, penetrarent, ac complerent, virgam quoque in motum cierent, aut in portatoribus, certas peculiaresque sensationes, elicerent. Quare, opinandum erat Atomisticis, quod, quemadmodum vis magnetica, acum magneticam, ad motum dirigit: ita effluvia quoque corporum dicta, virgam mercurialem impraegnarent, eamque sursum, aut deorsum, in motum determinarent. Enimvero, abusus hic culpandus, ac superstitiosus Atomisticae, haud quaquam systemati ipsi imputandus esse videtur: si quidem dynamici quoque Naturae Philosophi, nostris temporibus, similibus deliriis obnoxios se fecisse negari nequit.

§. 121. Elasticitas originaria. Gravitatio.

Cum secundum Philosophiam Naturae dynamicam, Impenetrabilitas nihil aliud est, quam effectus vis Materiae repulsivae, s. expansivae: ea originaria quoque Elasticitas vocatur. Effectus autem vis attractivae, partium Materiae, Gravitatio, et nisus Materiae datae, semet in directione maioris Gravitationis movendi, Gravitas nuncupatur. Quare, omnia corpora originarie

elastica, et gravia esse opportet: consequenter Impenetrabilitatem, 5. Elasticitatem originariam, et Gravitatem, unitas, easque universales esse Materiae proprietates a priori, intelligitur.

Obs. 1. Elasticitas Originaria, eadem est, quae Impenetrabilitas Materiae, ita dicenda, ut ab Elasticitate empirica distinguatur. Est autem Elasticitas empirica, id genus facultas, seu nisus certarum rerum materialium, quatenus Quantitatem, aut formam, vi motrici immutatam, iterum recuperare contendunt, ubi illa vis remittit. — Elasticitas isthaec, non solum ut exp siva, verum etiam ut attractiva, vel potius contractiva apparet, pro eo ac, corpus elasticum compressum, maiorem suam extensionem recipit, aut expansum, vicissim contrahitur. Interdum utraque elasticitatis species in uno eodemque corpore, locum habet, velut in lamella acinacis inflexa, et mox remissa. Qua vero in relatione sit Elasticitas empirica, ad originarias materiae vires: enarrare ab hoc loco alienum est. — Caeterum, consultius fuerit, nomen Elasticitatis, ad vim originariam expansivam, omnium materiarum, haud referre: eo quidem magis, quod Physicus dicere debeat, Corpora esse, aut elastica, aut minime elastica, quod a priori denominatione abhorret.

Obs. 2. Gravitatem, a peculiari vi, aut etiam Materia gravifica, deducere velle, idem esset, ac universali vi attractivae, aliam vim attractivam adfingere, — aut in explicando Phaenomeno quopiam, Vitium circuli incurrere. Inponderabilitas certarum Materiarum, Universalitatem Gravitatis, haud infringit. Nam Gravitas, et Pondus, res sunt diversae: proinde minime sequitur id, quod imponderabile est, esse etiam haud grave, seu ab aliis rebus non attrahi, — si vel de eo taceamus, exsistentiam quarumdam Materiarum imponderabilium puta: Materiae caloris, lucis, electricitatis etc. multis adhuc premi dubiis. Denique, Gravitationem universalem, non ex mera impulsione, seu Impenetrabilitate deduci posse, cum ex iis apparet, quae supra de vi repulsiva, et attractiva (§. 116. et 117.) docuimus; tum ex eo, quod Experientia huic sumtioni repugnat, cum corpora sursum proiecta, retardari, deorsum lapsa, accelerari videmus. — Caeterum, quod alias corporum proprietates attinet, puta: Rigiditatem, Fluiditatem, Cohaesionem, Lucem, Calorem, Frigus, Electricitatem, Magnetismum, Galvanismum etc. earum investigatio, Physicae empiricae propria est, proinde a Metaphysica prorsus seiungenda.

§. 122. Communicatio Motus.

Quamdiu Materia, velut sola Spatium implens, consideratur: pro quiescenti haberi potest. Verum Materia ipsa, quae Spatium complet, ita quoque considerari potest, tanquam quae, in Motum concitatur, aut concitat ipsa, h. e. quae Motum suum communicat, cum Materia mota, aut aliam materiam antrorsum propellit, aut, ut illa hanc sequatur, efficit. Sed Mobile, Motum suum communicare non potest, si id, originaria vi motrici, praeditum non esset, cuius ope fit, ut res quaeque materialis, ante omnem Motus, ex una in aliam, transitum, quolibet in loco, ubi illa moratur, efficax sit. Quare omnis communicatio Motus, originariam vim motricem requirit: unde vicissim conceptus Materiae emergit,

intuitu mechanico, tanquam rei mobilis, quae, quâ talis, Vi motrici pollet.

§. 123. Quantitas Materiae. Massa. Corpus. Quantitas Motus.

Quantitas Materiae, inest in Quantitate, seu copia mobilium, in determinato aliquo Spatio exstantium, efficitque Substantiam materialem, (§. 115.) vocaturque Massa, in quantum, omnes eius partes, in Motu suo, vim motricem simul exserunt. Massa autem determinatae formae, in significatione mechanica Corpus vocatur. Quare, in corpore moto, aut Motum suum communicante, Quantitas Motus sui, non secundum celeritatem Motus unice, quemadmodum in mero Puncto, (§. 98.) verum simul, secundum Quantitatem Materiae motae, s. Massae debet aestimari. Hinc relatio duorum corporum motorum, intuitu Quantitatis Motus eorum, ex directa Massarum et Celeritatum ratione composita est, ut formula habet: Q : q = MC : mc. Proinde etiam, intuitu efficientiae mechanicae corporis cuiusdam, perinde est, utrum Massa, manente eadem Celeritate, an Celeritas, manente eadem Massa, duplicetur.

Obs. Si quodlibet datum Materiae Quantum, Massa nominetur, adeoque vox isthaec sensu latiori sumatur: in diiudicanda Quantitate Motus eius, in primis, id respiciendum videtur, num ea, ut Massa quoque, seu, in Massa, proinde cum toto Materiae suae Quanto, agat, an minus. Massa scil. aquae, vasi cuidam inclusae, manum aut lancem, in qua ponderatur, cum omnibus suis partibus simul premit, consequenter, cum deorsum moveri nititur, in Massa agere putanda est. Quodsi autem aqua, vel potius Massa aquae vase effunditur, ut aqua, sensim sensim ex vasculo profluat: sane ea, motum non cum omnibus suis partibus progignit, h. e. non agit in Massa.

Quod formulam mathematicam Q : q = MC : mc, attinet, ea sic intelligenda videtur: Quantitas Motus corporis cuiuspiam, tanquam Productum ex Massa sua, in suam Celeritatem consideranda est. Si itaque duo Corpora mota (A et B) quoad Quantitatem Motuum suorum comparanda inter se sunt: utraeque Quantitates (Q et q) ita semet inter se habent, quemadmodum utraque Producta ex Massis suis (M et m) in Celeritates suas (C et c). Esto v. c. Massa Corporis A = 4. et Celeritas = 6. Massa Corporis B = 2, et Celeritas = 3: tum erit quoque Q : q = 4 × 6 : 2 × 3 = 24 : 6 = 4 : 1. h. e. in Corpore A, quater maior Motus inest, quam in Corpore B. Quodsi ergo Massae, aequales essent (= 4) tum vero Quantitates Motus, ita semet interse haberent, quemadmodum Celeritas (4 × 6 : 4 × 3 = 6 : 3). Si vero Celeritates forent aequales (= 6): tum vero, Quantitates Motus, ita semet inter se haberent, quemadmodum Massae 4 × 6 : 2 × 6 = 4 : 2). Quodsi autem duo Corpora ponantur, quorum Massae inaequales semet, in reciproca Celeritatum ratione inter se haberent (Si v. c. Massa Corporis A esset = 4, et Celeritas esset = 3. Massa autem Corporis B esset = 2. et Celeritas = 6) tum vero Q = q foret (nam 4 × 3 = 2 × 6) h. e, in utroque Corpore, Motus forent

aequales, si quidem unum horum Corporum, tantum quoad Celeritatem lucratur contra alterum: quantum hoc amittit quoad Massam.

Hinc sponte liquet, id quoque verum esse, perinde fore, sive Massa, manente eadem Celeritate; sive autem Celeritas, manente eadem Massa, duplicetur. Nam, quandoquidem in aequali Celeritate Q = M. et in aequali Massa Q = C: tum vero ibidem 2M = 2Q, et hic 2C = 2Q, consequenter in utroque casu effectus Corporis mechanicus aequalis est, si modo ab aliis empiricis conditionibus, quibus efficientia Corporum modificatur, abstrahimus.

§. 124. Quantitas Materiae a Quantitate Motus aestimanda.

Quantitas Materiae, in comparatione cum alia, etiam specifice diversa, nonnisi, secundum Quantitatem Motus in data Celeritate potest aestimari. Nam cum Materia in infinitum divisibilis est, (§. 115.) Quantitas eiusdem secundum multitudinem partium, determinari immediate nequit. Dimensione autem, duntaxat in comparatione rerum prorsus homogenearum, ubi scilicet Quantitas Materiae, Quantitati voluminis, proportionalis est, potest Materiae Quantitas aestimari. Enimvero, cum absoluta Homogeneitas, non semper cum certitudine sumi potest; cumque variae Materiae, idque multum heterogeneae dari possunt: relinquitur, Quantitatem earundem, in comparatione illarum mutua, non aliter posse recte aestimari, quam secundum discrimen Motus, qui manente eadem Celeritate, nonnisi diversa Materiae Quantitate niti potest (§. 123.).

Obs. Aestimatio determinatae Quantitatis Materiae, in comparatione cum alia, neque numerando, neque mensurando possibilis est. Nam, numerando quidem sumendum esset, corpora partibus constare simplicibus, numero certo exprimendis, quod tamen Divisibilitati Materiae in infinitum repugnat: mensurando autem ponendum esset, omnia corpora prorsus esse homogenea, proinde, Quantitatem Materiae, volumini exacte respondere, quod omnino falsum est. Quare, cum Quantitas Motus corporis cuiusdam, per Quantitatem Materiae suae, perque suam Celeritatem determinata est: data Celeritate, duntaxat ad Quantitatem Motus duorum corporum heterogeneorum reflectendum est, ut determinari queat, aequaliane sint illa, intuitu Quantitatis Materiae eorundem, an inaequalia?

§. 125. Lex Substantiae Materiae.

Cum *το* Substantiale, in omni Accidentium vicissitudine perdurat (31. Obs. n. 1.), Materia autem, cum omnibus suis partibus, extra se positis, ipsum *το* Substantiale est (§. 115. Obs.): liquet, Quantitatem Materiae, in omnibus Naturae corporeae mutationibus universe, eandem semper manere. Haec Enunciatio Lex subsistentiae materialis appellari potest.

Obs. Enunciatio isthaec, non diversa ab illa est, quam supra (§. 84. Obs. 2.) laudavimus in haec verba: Materia Mundi, nec augeri, nec minui potest. Scilicet, cum quodlibet datum Materiae Quantum, in quantum id, dividi potest, vicissim ex certa Substantiarum Quantitate constat; Auctio autem, et deminutio Quantitatis

Materiae, ita fieri universe posset, si quaepiam Materiae substantialis pars, sensu absoluto, oriretur, aut interiret, quod Decreto Substantialitatis, directe repugnat: intelligitur, omnem ortum, et interitum Substantiarum, duntaxat apparentem esse: consequenter, rem quampiam materialem, Separatione, et Additione partium, augeri, et minui posse, non vero Materiam universe.

§. 126. Lex Inertiae Materiae.

Cum quaelibet mutatio, caussam quampiam requirit (§. 81. Obs. n. 2.); Materia autem, quâ talis, duntaxat Motu, puta, Repulsionis et Attractionis potest mutari: liquet, omnes omnino mutationes, in Natura corporea, caussam externam habere debere: unde vicissim sponte sequitur: Quodlibet corpus in statu suo, puta, Quiete, aut Motu, eiusque Directione ac Celeritate, tamdiu permanere debere, quamdiu externa quâdam caussa, non in alium statum fuerit transpositum. Atque haec Enunciatio: Lex Inertiae materialis appellatur.

Obs. 1. Cum Materia, in Hylologia, duntaxat ut res mobilis consideratur, proinde talis, quae nullis aliis mutationibus obnoxia est, quam, quae Motu fiunt: intelligitur, caussam mutationum materialium, haud internam esse posse, si quidem Materia, quâ talis, internis determinationibus prorsus destituta est, proinde, si ea, ex Motu in Quietem, aut ex Quiete in Motum transire debeat, eam a caussa externa, ad id esse necessitandam. Quae huic sententiae opponuntur: ea potissimum haec tria sunt:

a. Materiae, vis repulsiva, et attractiva, originarie propria est: ergo facultas quoque ei competit interna, semet ad statum suum mutandum determinandi. R. Neg. Cons. Nam, cum nulla pars Materiae semet ipsa repellit, aut attrahit, sed partes alias: sane quaelibet Materiae pars, intuitu alterius, caussa est externa Motus efficiendi. —

b. Experientia docet, corpora mota, per se ad Quietem redigi. Ergo. R. Neg. Ant. Nam, externum semper adesse debet impedimentum, quale est v. c. etiam resistentia aëris, quo motus tollitur, aut sufflaminatur. —

c. Corpora viva, ex interna sui determinatione, statum suum immutare possunt. Ergo. R. Neg. Cons. Nam, vita, est Principium actuositatis, quod Materiae, nonnisi sub certis conditionibus, adeoque, non universe competit, — de qua re infra in Organologia, ex instituto, agetur.

Obs. 2. Cum Materia, quâ talis, statum suum absque caussa externa mutare nequit: iure eam inertem appellare licet. Sed Inertia isthaec, non positivus quidam est Materiae nisus, ad statum suum conservandum, verum negativus duntaxat, sive impotentia statum suum, per se mutandi. Quare cum Keplero, Materiae, vis Inertiae, haud tribuenda videtur, foret enim id contradictio in adiecto, si quidem, vis mutationem producit, cum actuosa est; vis autem Inertiae eo ipso actu, nullam faceret mutationem, cum esset actuosa. Quare non dicendum: Inertiam Materiae esse vim, statum suum conservandi, sed potius contendendum: Inertiam Materiae, esse impotentiam statum suum absque vi externa mu-

tandi. Neque tamen Inertia, mortua quaedam Materiae affectio habenda est, sed inanima duntaxat: cum, quod mortuum est, id vixisse prius oportebat, quod non de quavis Materia praedicare licet. Certe, Assertio, Materiam, quâ talem vivere, quam sententiam, Hylozoismum appellant, omnem Philosophiam naturalem exstingueret.

§. 127. Lex Antagonismi Materiae.

Cum Obiecta Experientiae, intuitu Simultaneitatis eorundem, se mutuo determinant, h. e. in Commercio posita sunt (§. 81. Obs. n. 3.): profecto etiam in communicatione Motus, Actio et Reactio, locum habere debent, unde sponte sequitur, corpus quodlibet, et quantumcunque magnum, a quolibet, et quantumcunque parvo, moveri posse. Hanc Enunciationem Legem Antagonismi materialis nuncupant.

Obs. Si corpus A, per corpus B movetur: tum vero utrumque aut invicem appropinquant, aut se fugiunt: atque utroque in casu, Motus, pro reciproco haberi debet, proinde, ut Actio et Reactio locum habeant, necesse est, etiamsi, Reactionem, non semper percipimus. Quanta autem sit Reactio, aequalisne an inaequalis: id vero, Mathematicae est determinare, quae sola, in Quantitate determinanda versatur: Metaphysica autem docere duntaxat debet, Antagonismum, in communicatione Motus, ut Motus, et oppositi Motus, positum esse. Quodsi ope Mathescos ostendi possit, Actionem Reactioni esse aequalem: tum vero Quantitas Motus in Mundo corporeo, quemadmodum Quantitas ipsa Materiae, semper eadem esse debet (§. 125).

Ex eadem lege metaphysica liquet, Communicationem Motus, non in forma Transfusionis esse concipiendam. Nam secundum Repraesentationem Transfusionistarum, corpus A, mere active, et corpus B mere passive semet habere deberent, quo, omne Commercium tolleretur. Unde id quoque hinc simul apparet, essentialem esse differentiam inter legem Antagonismi, legemque Inertiae. Nam lex Inertiae, id tantum enunciat, corpus quodque statum suum, per se mutare, nisi alio impellente, non posse: Lex autem Antagonismi docet, Actionem cum Reactione, esse semper coniunctam, proinde Activitatem, et Passivitatem, nunquam unilateralem, sed semper bilateralem esse. Utraeque leges autem, non empirice, sed a priori sunt determinatae, proinde cum summa Universalitate et Necessitate coniunctae.

§. 128. Lex Continuitatis Mechanicae.

Ex lege Continui universe, (§. 84. Obs. 2.) ad leges nunc statim latas, applicata, sequitur: Lex Continuitatis mechanicae, vi cuius corpus quodque, ex statu suo, in alium, puta, e Quiete in Motum, ex Motu in Quietem, ex hac Motus Celeritate et Directione, in aliam nonnisi sensim sensim h. e. non in momento, sed per infinita tempora intermedia transit. Quare Motus in Quietem, nonnisi per Retardationem, et Quies in Motum, nonnisi per Accelerationem transire, quemadmodum Motus universe, nonnisi per sollicitationem communicari potest.

Obs. Scilicet: Sollicitatio, est effectus vis moventis, in uno momento. Si itaque hoc, ut infinite parvam temporis particulam ne-

bis repraesentamus (§. 60. Obs.): tum vero, corpus movendum, in tali temporis particula, nullam resistentiam, universis corporis moventis viribus, aequalem praestare valet, sed tantum infinite parvam. Id ergo per hoc, ad motum sollicitabitur, h. e. movebit illud se, in primo momento, cum celeritate infinite parva. Sed cum sollicitatio, cum crescenti corporis Resistentia in sequentibus momentis, pariter crescere debet, motum quoque augeri, necesse est: consequenter, corpus ex Quiete, in Motum, pedetentim, hoc est, per accelerationem transit. — Contra, si corpus motum, ex Motu in Quietem transire debet: id, nonnisi vi movente effici potest, quae vi corporis moti opposita, eâque maior est. Vis quidem haec movens, corpori moto, in primo momento, Resistentiam, nonnisi infinite parvam opponet, proinde deminutionem quoque Motus, nonnisi infinite parvam efficiet. Verum in sequentibus momentis, Resistentia, eo magis semper crescet, quo magis Motus, deminuitur. Ergo vis movens, motum corporis, nonnisi sensim sensim, hoc est, per Retardationem debilitat, dum Motus prorsus cessat, corpusque motum quiescit. — Cum itaque in Experientia, repentinum Motus ortum, et interitum percipimus: nae id, non in unico momento fieri putandum est, cum sic saltus exsisteret, qui continuitatem mutationum Mundi sensibilis penitus tolleret.

§. 129. Relatio Motus, ad Facultatem cognoscendi.

Denique, intuitu Motus universe, ut Phaenomeni indeterminati, quaeri adhuc potest, quomodo se Motus ad Facultatem nostram cognoscitivam habeat, ut is, quâ Praedicatum, ad determinatum quoddam Obiectum, referatur, isque ipse per hoc, ut determinatum quoddam Phaenomenon, cognoscatur. Scilicet, cum in Motu universe, nonnisi certa quaedam mutatio, intuitu spatiosae Relationis, duarum, aut plurium rerum, ad se invicem percipitur: dubium adhuc esse potest, utrum Mutatio, res in Relatione positas, simul, an tantum unam, aut aliam earum attingat, h. e. quaenam sit proprie res mota, sive, quodnam determinatum illud Obiectum est, ad quod Motus, qua Praedicatum referatur. Atque nonnisi, hac determinatione mutatur Iudicium mere perceptivum, s. subiectivum, v. c. A aut B, aut utrumque mihi, ut mota, apparent, in reale s. Obiectivum Iudicium empiricum, quale est v. c. hoc: corpus A aut B. aut utrumque simul, mota sunt.

§. 130. Motus rectilineus, quâ possibile corporis Praedicatum.

Cum Motum corporis, in linea recta (§. 103.) percipimus: tum in se, et per se, h. e. cum haud ad data empirica, verum unice, ad ipsum motum respicimus, perinde est, utrum corpus ipsum, ut motum in quieto Spatio relativo, an vero corpus, ut quietum, et spatium Relativum, ut Motum in alio quopiam maiori spatio, secundum oppositam Directionem, cum pari Celeritate nobis repraesentamus (§. 102.). Quare, Motus rectilineus, quoad Spatium relativum, est merum possibile corporis Praedicatum, et Iudicium de eo latum, subiectivo-disiunctivum, seu alternativum, h. e. tale, ubi unum, aut alterum, duorum Praedicatorum

oppositorum, pro lubitu poni potest (Log. §. 57. Obs. 5.). Contra, Motus corporis rectilineus, in spatio absoluto, h. e. sine omni relatione ad mobile, in alia Spatii parte positum, est Praedicatum impossibile, cum omnis Motus, omnisque Quies, duntaxat relativa est (§. 102. Obs.).

§. 131. Motus curvilineus, quâ actuale corporis Praedicatum.

Si Motus corporis cuiusdam in linea curva percipitur: non perinde est, utrum corpus ipsum nobis, ut motum repraesentemus, an secus? Nam, cum in Motu curvilineo, Directio Motus, perpetuo mutatur (§. 103.): necesse est, ut corpus, quod inertia sua (§. 126.) semper in eadem Directione moveretur, a vi quadam movente impellatur, ad aliam, in quolibet lineae curvae puncto Directionem assumendam. Est proinde Motus corporis, in linea curva, ut ab opposito spatii motu discernatur, actuale corporis Praedicatum, Iudiciumque de eo latum, obiectivo-disiunctivum, seu disiunctivum sensu strictiori, h. e. tale, ubi ex duobus Praedicatis oppositis, unum, cum exclusione alterius ponitur (Log. §. 57. Obs. 5.): oppositus autem spatii Motus, in vicem Motus corporis sumtus, in sola versatur illusione.

Obs. Id hic sumitur, Subiectum percipiens, punctum Perceptionis habere, a corpore moto separatum, et extra Lineam Motus positum. Tum vero, in Perceptione Motus curvilinei, ne opus est quidem Relatione eiusdem, ad aliud quodpiam Spatium relativum, ut id cognoscatur, verum omne reliquum Spatium, posset etiam vacuum esse, proinde empirice haud designatum, v. c. si sphaeram, me intuente, circum roturi viderem, aut globus de filo pendulus moveretur, et circum me contorqueretur. Eo tamen non obstante, Motus hic absolutus non esset: si quidem is, in relatione inesset, ad spatium per me, quâ Subiectum percipiens, occupatum. Contra si in globo moto commorarer, proinde nullum separatum et fixum Perceptionis Punctum, sed communem cum globo motum haberem: tum vero motum, quin ad aliud relativum, seu empirice designatum spatium reflecterem, observare non possem. Quo in casu autem, spatium hoc, cum omni eo, quod supra se continet; in opposita directione circa globum rotari videretur, atque ex alio aliquo argumento demum mihi inferendum esset, memet ipsum una cum globo circumrotari.

§. 132. Motus reciprocus, qua necessarium corporis Praedicatum.

Si Motus corporis, quo id aliud movet, proinde communicatio Motus percipitur: tum vero secundum Legem Antagonismi materialis, (§. 127.) Motus utriusque simul, ut Actio, et Reactio, pro actuali haberi debet. Cum ergo reciprocus hic Motus, ex Conceptu τοῦ Mobilis, quod in, cum, et per suum Motum, aliud mobile movet, proinde, ex Relatione amborum mutua, legitime consequitur: tum Motus ille, necessarium est Praedicatum, et Iudicium de eo latum, distributivum, h. e. tale est, ubi determina-

tiones oppositae, ad duo Obiecta in Relatione posita simul referuntur, proinde inter illa legaliter distribuuntur (Log. §. 57. Obs. 5.).

Obs. Cum hic loci Motus, non ad Spatium corporibus circumfusum, attamen ad illud refertur, in quo ea reciproce commorantur, iisque interponitur: relativus hic Motus cogitatur, non absolutus. Nam Motus absolutus, tum demum locum haberet, si quid in Spatio absoluto moveretur, proinde nullam omnino relationem haberet, ad id, quod in Spatio quiescit, aut movetur, neque etiam ad Punctum Perceptionis Subiecti: quo in casu, omnis Motus Perceptio, cessaret. Absolutum itaque Spatium, in quo omnis demum Motus cogitatur, nihil aliud est, quam mera cogitatio, scilicet, sumtio vacui originarii infiniti, quod tamen a Materia, ut mobili in Spatio, vi motrici impletur. Quare si complexum omnium rerum materialium, s. Mundum corporeum, ut finitum quodpiam, in infinito illo cogitaveris: tum vero Spatium licebit vicissim cogitare, aut, ut extramundanum, aut ut mundanum, hocque iterum, aut ut disseminatum, aut ut coacervatum. Sed in nullo horum potest vacuum, Perceptionis esse obiectum, aut ex qualibet Perceptione concludi. Nam spatium disseminatum, ut inde specificam corporum diversitatem, intuitu densitatis explices, sumere necessarium non est, cum ea, ex variis vis repulsivae gradibus, explicari queat, et quae spatia vacua, nos percipere nobis persvademus: ea subtiliori quadam materia repleta esse oportet. Tam parum quoque necesse est, inter corpora Mundi maiora, vacua sumere Spatia, cum, quamvis illa subtili materia, velut Aethere referta sint: huius tamen Resistentia, velut perexigua, motum eorundem retardare non potest. Horror ergo, s. fuga Vacui, non minus Naturae propria est, quam Rationi, quae ad quamlibet sumtionem, rationem postulat sufficientem. De Vacuo extramundano, infra, in Cosmologia metaphysica, dicendi locus erit.

CAPUT II. Organologia metaphysica.

§. 133. Totum Naturae.

Tam maiora Mundi Corpora sphaerica, quae in immenso illo Spatio, ut Puncta lucida, s. superficies percipiuntur, et partim propria luce coruscant, partim ab aliis collustrantur, quibus posterioribus nostra quoque Tellus, cum suo Satellite, seu Luna, accensenda est; quam etiam corpora minora, variae formae ac proprietatis, partim viva, partim inanima, quae in Tellure nostra posita sunt, ex originaria quadam Materia (§. 97. a.) nata et formata esse, non sine ratione exsistimamus. Complexus omnium harum rerum naturalium, tam solidarum, quam fluidarum, Totum Naturae efficit, quod semet in continuo, perpetuoque nexu, et conservat, et effingit protenus.

§. 134. Cosmogoniae, et Geogoniae.

Quam parum originarium Materiae illius statum perspicimus, ex qua Universitas Naturae constat, (§. 97, a. cum Obs.): tam parum licet nobis modum quoque scire, quo Totum hoc, ex Mate-

ria originaria, potuerit pedetentim evolvi ac perpoliri. Omnes itaque de hac re opiniones, quae in Cosmogoniis et Geogoniis, quas vocant, hucdum propositae sunt, nonnisi profundae nostrae Ignorantiae documenta esse putanda sunt. Tunc demum Ratio solidam, et quae voto satis faceret, Theoriam posset conari adumbrare, si ope Observationum, et Tentaminum, ad certa Cognitionis Resultata, de propriis rerum Elementis, deque vero nexu omnium Naturae rerum caussali pervenire posset. Interea Philosophiae naturali, in primis in id connitendum est, ut non modo nova somnia metaphysica, haud confingat, quin potius antiquis quibuslibet somniis, mascule resistendo, libertati investigandi maiorem oportunitatem vindicet.

§. 135. Vis Naturae originarie formativa.

Cum rei cuique in Natura, non magis maiori, quam minori, peculiaris quaedam forma propria est, qua se ab aliis rebus, magis aut minus discernit, cumque Formae hae rerum naturalium universe, in perpetua quoque successione semet conservant, etiamsi Individua mutantur, aut plane intereunt: profecto, necessitate victi, peculiare quoddam in Natura Principium sumere cogimur, a quo formatio illa rerum naturalium, originarie dependeat. Id genus Principium Formarum, non amplius a nobis explicabile, et comprehensibile, Vim Naturae formativam, seu Plasticam universalem, aut originariam appellamus.

§. 136. Crystallisatio. Organisatio. Nisus formativus. Technicismus Naturae.

Vis formativa principio, in eo Formationis genere actuosa est, quod nobis, ut mera certarum Materiarum Aggregatio, et Cohaesio, sub determinatis figuris apparet, quam etiam Crystallisationem nominant. Verum, longe alia ratione Vis formativa actuosa est, in effectione talium Corporum, quorum partes, ut ad se mutuo pertinentia, et reciproce ad se invicem referenda membra, Totius cuiusdam, in se perfecti, apparent, quaeve semet Intussusceptione, et Assimilatione certarum Materiarum, in determinata iam eorum Forma conservant, proinde, in tali Formationis ratione, quam Organisationem nuncupant. Vis haec Naturae formativa, in altiori hac potentia dici quoque potest Vis organica, haecque, ut Nisus formativus, seu plasticus cogitari debet, cum, ea perpetuo, per se ipsa actuosa est, et propter quam, res naturales, talem Nisum prae se ferunt, quatenus semet in certis Formis, quae quantumvis Regulae congruae sint: attamen, ut fortuitae apparent, explicare, aut explicatas iam, conservare annituntur.

Obs. 1. Vis formativa, Materiae cuique universe, propria esse debet, cum semet per se ipsa format: neque tamen quidquam organici efficit, quod viveret, si quidem producta eius sunt inanima, quemadmodum Materia ipsa; et licet Formae productorum horum sint variae: attamen eae, ex legibus mechanicis ac chemicis comprehendi possunt. Sed

Formae Entium organicorum multo magis, et fere, in infinitum variant, neque ex legibus mechanicis, chemicisque intelligi possunt; praecipue autem character fortuitae conditionis, qui in peculiari, rei cuiusque organicae forma dominatur, simpliciter nos cogit, ut peculiare quoddam, altiusque principium sumamus, quod reciprocum Materiarum influxum mechanicum, et chemicum, tali ratione modificet, ut Materia inorganica, Formae organicae semet subiiciat. Atque hoc ipsum principium intelligimus nomine Nisus formativi, qui a mera Vi formativa multum differt. Quare Organismus est Technicismus Naturae, supra merum Mechanismum, et Chemismum exaltatus.

Quantopere olim discrimen organicorum, et non-organicorum Phaenomenorum ignoratum fuerit, inde patet, quod tantopere in eo laboratum sit, ut Phaenomena organica, nonnisi ut Producta virium mechanicarum, et chemicarum aestimarentur, exhiberenturque. Certe, mirum est, hodiedum dari Physiologos, qui in Formatione partium organicarum solidarum, nihil amplius, quam Crystallisationes, in ortu autem succorum organicorum, nihil amplius, quam chemicas Permixtiones obtinere asserant; licet solidum Mechanicae, et Chemiae studium, facile quemque, si modo partium studio non tenetur, persvadeat, omnem omnino Mechanicam, haudquaquam ad id sufficere, ut unicum vas sangvineum; pariterque omnem omnino Chemiam, minime id efficere posse, ut unicam sangvinis guttam progignat; proinde in hac rerum creatarum parte, mysteriorum plena, altiorem quamdam virium speciem, Massamque quampiam invisibilem, cuius Exsistentiam praesagire tantum conamur, suas partes agere. Quod vero temporibus recentissimis, totum vitae organicae processum ex Electricitate chemica, aut ex Galvanismo, quidam voluerint explicare, bene quidem notum est: attamen, contra illos directe pronunciandum videtur, verum Problematis sensum, tam parum per hoc exhibitum esse, quam per Electricitatem mechanicam, et Magnetismum.

Obs. 2. Sunt, qui Crystallisationem, pro imperfecta Organisatione, et Organisationem, pro perfecta Crystallisatione haberi volunt: sed falso. Nam, si Experientiam consulas, velis nolis fatendum est, excrescentiam plantae ex semine, et partum pulli gallinacei, ex ovo foecundato, longe plus et diversum quid ab eo esse, quod praecipitationem, et evaporationem vocant. Quamvis ergo, vis quoque formativa Naturae, in Crystallisatione, cum viribus mechanicis, et chemicis coincidat: attamen, quamdiu vires mechanicae, et chemicae, viribus organicis subordinantur, ut hae, in quopiam Naturae Producto dominentur, vis organica, a vi formativa, in Crystallisatione, velut ab ea diversa, distinguatur necesse est. Simulac autem vires mechanicae, et chemicae, viribus organicis praevalent: tum vero Organismus tollitur, licet postmodum, eadem vis Naturae, solutas hac destructione materias, vicissim ad novam Organisationem convertere potest, quod, quotidie, oportunitate putredinis corporum, videre licet. Proinde, Destructio, et Productio in Natura, perpetuo sunt coniunctae; ut Natura quodam modo dici queat, esse Animal, quod se ipsum devorat, et vicissim parit.

§. 137. Natura, quâ Totum Organicum.

Quodsi (ut nunc statim docuimus) differentia illa, Vis formativae, Visque organicae, in Formatione rerum naturalium actuo-

sarum (§. 136.) in ipsa Natura, in Quantum ea nobis apparet, et quam longe nostra Cognitio penetrat, fundata est: profecto, ut organica quoque, et inorganica Naturae Producta, invicem discernamus, necesse est. Sed cum ambo haec, non separatam quandam, et independentem a se mutuo, exsistentiam in Natura habent, verum arctissimo nexu invicem coniuncta sunt, inque hoc Nexu, Totum quoddam efficiunt, semet conservans, et continuo effingens: intelligitur, pariter Naturam ipsam universe, ut Totum quoddam organicum (§. 133.) esse considerandam.

Obs. Simulac ad Totum Naturae, quâ tale, reflectimus: discrimina rerum singularium, illico tolli necesse est. Tum enim, quaelibet Naturae Individua, tanquam necessario ad se invicem pertinentia, et partes reciproce, inter se relationatae apparent, proinde, ut membra Totius cuiusdam, in se consummati, quae velut Instrumenta, s. Organa, mutuo in se agunt, consequenter ipsum quoque Totum, ut organicum apparet. Quoniam autem principium Organismi, quemadmodum Naturam percipimus, in certis, iisque affinibus Productis, veluti Plantis et Animalibus, praecipua cum energia actuosum est, seque indubie annunciat; ea, ut partes Totius organicae, ad Potentiam evectae, iure per eminentiam, organica Naturae Producta appellantur. Quare Organismus individualis, nihil aliud est, quam Microcosmos, et quâ talis Ectypon quoddam maioris, qui Macrocosmos dici potest.

§. 138. Vita, Vis vitalis. Sanitas. Morbus. Mors.

In omnibus Naturae Productis organicis, certum quemdam, eumque internum Nisum motorium, seu mobilitatem ex se, et per se producendam, reperimus; quae tamen per constantem, cum Obiectis externis conflictum, in variis gradibus perpetuo conservatur, quamque Vitam dicimus. Est ergo Vita nihil aliud, quam Resultatum, seu Productum Incibilitatis, cuilibet Enti organico propriae, Stimulique, quâ demum cunque ratione orti, quo Incitabilitas, in realem Incitationem transponitur. Consequenter Actuositas vitalis, est Actuositas organica, et Vis vitalis, Vis est organica. Nam quamdiu Vis organica, in quopiam Corpore actuosa est, hoc ut vivum, apparet: simulac autem illa vi, mechanicarum ac chemicarum Potentiarum penitus opprimitur, ut mortua comparet.

Obs. 1. Si nomine Vis vitalis, vis quaedam, a vi organica diversa, et ab Organismo prorsus independens intelligeretur: illa nil nisi conficta foret. Nam, cum vitam duntaxat in Entibus organicis percipere liceat: nulla est ratio, cur praeter vim organicam, etiam illam vis vitalis sumamus. In quantum autem corpus quodpiam, vi sui organismi incitabile est, Incitabilitasque haec, ope certorum stimulorum in Incitationem transit, proinde Phaenomenon vitae, ex ipso organismo exsistit: in tantum vis organica, vis quoque vitalis appellari potest. Quare Vita est commune duorum Factorum Productum, puta Incitabilitatis, et Stimuli, quorum scil. recipiendorum corpus, vi sui organismi capax est; ut ex dato Incitabilitatis gradu, dataque proportione stimuli ad eandem, determinata quaedam vis Actuositatis, certaeque

incolumitatis, et malae conditionis corporis organici exsistere debeat. Hinc porro sequitur Sanitatem esse Statum Aequilibrii, Proportione illa determinati, quae inter duos Factores intercedit, sic, ut necessarium ad Salutem physicam robur Incitationis adsit; contra Morbum esse statum Aequilibrii Disproportione inter duos Factores intercedente sublati, sic, ut necessaria ad physicam incolumitatem fortitudo Incitationis, non amplius adsit. Haec autem Incitationis fortitudo non adest, sive cum Incitatio iusto debilior est, Asthenia vocata; sive cum ea iusto validior est, Hypersthenia dicta (male Sthenia appellata). Utrique Status sunt declinationes ab ideali Proportione normali, status Sanitatis perfecti, proinde abnormitates, quae in altiori demum gradu sensibiles, periculosaeque sunt, tumque pro realibus habentur morbis. Ambos hos status sequi potest Mors h. e. status, in quo Incitatio, in corpore organico, penitus exstincta est, et duntaxat mechanicae ac chemicae Naturae vires agunt. Caeterum, positis quoque omnibus his Explicationibus, ipsum vitae Phaenomenon mysteriorum plenum, obscurumque est.

Obs. 2. Si Natura universe, ut Totum quoddam organicum considerandum est, (§. 137. cum Obs.) eam, ut Totum quoddam vivum cogitari debere, palam est. Sed vita, Naturae, universalis, in Individuis se annunciat, quam ob caussam est vita, intuitu adeo nostri, Phaenomenon. Scilicet vita in, cum, et per Entia organica apparet: cum contra in Entibus inorganicis, nullum vitae vestigium adest, unde etiam, ut Entia inanima apparent. Quare sumendum est, Phaenomenon vitae, conditionibus organismi alligatum videri, vitamque invidualem, v. c. plantarum, et Animalium, in evolutione, et exhibitione vitae, Naturae, universalis, sub conditionibus organismi inesse. Quamobrem in Natura, nulla omnino Mors est, verum Mors, quae apparet, est transitus duntaxat, vitae individualis, ad universalem, quae tamen vicissim, in aliis individuis prodit. Consequenter in Natura perpetua quaedam Palingenesia obtinet.

Quandoquidem vita nobis, nonnisi in individualibus Naturae rebus, ut vita realis apparet, et nonnisi in his secundum Leges suas cognoscibilis est; et quandoquidem individualia haec Naturae Entia, determinata quadam Forma organica, aut ut Animalia, aut ut plantae praedita sunt, proinde, nisi omni Experientiae diametro velimus repugnare, fatendum erit, vitam in Natura, in quantum ea, quoad nos Obiectum cognitionis fuerit, ad conditionem organismi individualis alligatam esse: consequenter dici prorsus non posse, quod Physici quidam hodie, in haec verba dicunt: Totum quantum universum infinitum unum esse Ens vivum, seu magnum Universitatis Animal, Sidera quaelibet, Animalis huius universalis Organum esse peculiare, omniaque huius generis Organa, unum illud Ens aeternum, fluidum, scil. elasticum, seu Deum efficere, — quod non est philosophando speculari, sed poëtice imaginari, vel potius somniare.

§. 139. Orgnisatio originaria.

Cum Nisus formativus in Natura organica, multiplici semet ratione manifestat, et quamquam, in omni hac varietate, certa

quaedam Unitas conspicitur: profecto, omnes peculiares Organisationes, ad unam aut plures originarias, s. fundamentales organisationes reduci possunt, ex quibus demum pedetentim, determinata illa Entia organica semet effinxere, quae in Natura percipimus, et quorum Formis perdurans Nisus formativi efficacitas, alligata esse videtur. Cum scilicet haec Naturae vis, in certa quadam Sphaera suae efficientiae, v. c. Telluris, ex simplicissimis formis fundamentalibus, sensim sensim, formas derivatas, maxime varias, diversarum perfectionum relativarum, usque ad perfectissimam illam, puta, hominis produxerat: exsistimandum est eandem, nonnisi in his Formis constanti quadam ratione posse esse actuosam, ita quidem, ut Entia illa organica, quae a determinatis illis Formis discedunt, in quibusque ulterior Productionis vis, ut plurimum, exstinguitur, aut si perdurat saepissime, ad antiquiores Formas redit, pro Aberrationibus Nisus formativi, ac si ille perpetuo adhuc, licet minori cum energia, ad amplificationem contenderet, haberi debeant.

Obs. In omnibus Entibus organicis, certae quaedam partes reperiuntur, partim rigidae, partim fluidae, ad certas functiones, puta: Nutritionem, motum, etc. destinatae, certa item vasa, in quibus humores necessarii elaborantur. Unitas haec naturalis fuit oportunitas, ad Ideam organisationis originariae perveniendi, quae tamen, quod una fuerit, non necessario sumitur, cum plures originariae organisationis formae, esse potuerint. Quomodo autem originariae formae, sive una, sive plures, quomodo item praesentes, quae derivatae sunt, explicatae et effictae fuerint, determinari nequit. Sententiae: Tellurem nostram in principio fluidam, et mox per successivam Praecipitationem, crystallisatam, primum plantas palustres, animaliaque aquatica, postmodum ex his reliquas plantas, animaliaque generasse; — item omnium rerum semina organica, in sinu Telluris initio iam latuisse, ex quibus omnia procreata sint, quin a se invicem, suam ducant originem, in mera Hypothesi versantur. — Alia quaestio est, possetne Tellus nostra, si momento, magna quadam rerum conversione intercedente, omnia Entia organica, ad nihilum redigerentur, vim suam productivam antiquam exercere, novas plantas, novaque animalia progignere? quod non omnino impossibile esse multis videtur.

§. 140. Vis altrix, reproductrix, genitrix. Sexus.

Vis organica, in quantum ad conservanda Individua contendit, Vis altrix: si ad conservanda corpora organica, universe, et ad restitutionem partium singularium amissarum, aut destructarum directa est, Vis reproductrix, in quantum autem, ad conservanda Genera, novorum Individuorum procreatione grassatur, Vis genitrix, seu propagatrix appellatur. Quodsi Conservatio Generis, nonnisi per separatos, ac distinctos sexus possibilis est: tum vero, ens organicum in generatione, duntaxat in coniunctione cum alio, in Nutritione autem, et Reproductione, in se, et per se organicum est. In casu priori Genus, non per

Individuum, verum tantum in, cum, et per coniunctionem sexuum repraesentatur perfecte.

Obs. 1. Vis, quae organicum quodpiam Ens, determinatae formae progenuit, perpetua continuitate, in eodem agere pergit, quamdiu mechanicis, aut chemicis viribus Organismus haud fuerit destructus. Id fit duplici ratione, scilicet: 1) Vis organica, per hoc efficax est, quod Ens quodlibet organicum, certas materias peregrinas in se assumit, eas sibi assimilat, et penitus appropriat, quo sic, Formam suam organicam plene elaboret, et quoad eius fieri potest, consequatur. Hac ratione id se nutrit, crescit, partesque mutilatas, aut amissas recuperat. Quod ipsum, nihil aliud est, quam successiva Individui elaboratio, et quodammodo perpetua sui generatio, posteaquam illud, generatum iam fuit. — 2) Vis organica, per hoc efficax est, quod Entia organica, aut immediate, aut mediate, sui similia generant, proinde semet, in aliis Entibus organicis eiusdem generis, reproducunt. Quare Vis genitrix, pro vi reproductrici haberi potest, non tamen individuali, sed generica, eo, quod, non Individuum moriturum, sed Genus generans restituitur. Quapropter Generatio, nonnisi a naturali Nisu formativo derivari, proinde, ut successiva materiae cuiuspiam genitricis organisabilis elaboratio (Epigenesis) cogitari potest, ita quidem, ut Entia organica non Educta, sed Producta invicem inter se sint.

Obs. 2. Hinc sequitur, Generationem, neque secundum Occasionalismum, a Caussa quadam supernaturali, quae oportunitate suppeditata, quodlibet Ens organicum, immediate produceret; neque etiam secundum Praestabilismum, ab eadem caussa supranaturali, quae in Principio creationis semina Entium organicorum iisdem involverit, quae mox successive vicissim ex iis explicarentur, quae Sententia Theoria Evolutionis appellatur, posse deduci. Ambae hae Hypotheses omnem Naturae investigationem, hyperphysicarum explicandi rationum introductione, sufflaminante, tollunt, usumque Rationis naturalis proscriptum eunt. Scilicet, tam Occasionalismus, quam Praestabilismus, sunt transcendentes, cum omnes caussas naturales migrant. Ortus autem monstrorum, partuum spuriorum, aliarumque aberrationum, Naturae, a Forma constanti (§. 139. Obs.), Hypothesibus illis, e diametro adversatur.

Obs. 3. Generatio in univocam, et aequivocam dividitur: illa est Productio organici ex organico, haec Productio organici ex inorganico. Impossibilitas Generationis aequivocae demonstrari nequit. Nam quid caussae est, cur Principium formativum, quod in universa Natura dominatur, ex Materia inorganica, organicum quodpiam progignere nequeat? Quod enim certa quaedam Entia organica, v. c. animalcula infusoria, hac ratione ex organicis seminibus exsistant, pariter ostendi nequit. — Generatio univoca, vicissim in homogeneam; seu homonymam, et heterogeneam, seu heteronymam distribuitur, illa productionem organici, per organicum eiusdem speciei: haec productionem organici diversae speciei, innuit. Possibilitas Generationis heterogeneae negari pariter nequit, et etiamsi omnia hodierna Entia organica, a certis simplicibus formis originariis originem traherent, principio saltem Generationes heterogeneas locum habuisse necesse est. Caeterum, in certis Nisus formativi aberrationibus, hodiedum vestigia id genus

Generationis adsunt. — Generationes vero dimidiatae, cum formam mixtam assumunt, homogeneis accensendae videntur.

§. 141. Classificatio Productorum Naturae.

Cum Natura formatrix, Producta sua, in maxima, quae fieri potuit, varietate protulit: Ratio nostra, Nisu suo, ad *to* Absolutum anquirendum, intuitu cognitionis directo, coacta, Producta illa Naturae, ut Totum quoddam systematicum considerat, ea intuitu Similitudinis, et Dissimilitudinis eorundem invicem comparat, atque, ut Totum illud plane perspicere queat, plenam eorum Classificationem effingere satagit (§. 89. cum Obs.). Sed huius generis Classificatio, nunquam non est artificialis, rationibus tamen naturalibus niti debet, licet ea, semper imperfecta relinquitur, cum Naturam adaequate assequi nequeat.

Obs. 1. Naturae curiosi, Systema Physiographiae, in naturale, et artificiale distinguunt. Systema Physiographiae tunc est naturale, si id omnibus externis criteriis, totoque Productorum Naturae habitu nititur: contra artificiale, si id a singularibus Characteribus petitum est, v. c. in Animalibus, ab ungulis, et unguibus secundum Aristotelem, aut a dentibus, secundum Linnéum. Enim vero, cum Natura, nihil classificat, sed individualia duntaxat porrigit Naturae Producta, artique humanae negotium Classificationis relinquit: patet, omnem Classificationem artificialem esse, ut tamen ea, a naturalibus quoque rationibus pendere debeat. Quare, inter Systema naturale, et artificiale, nullum discrimen specificum intercedit, sed tantum graduale, pro eo ac, iam ad plures, iam ad pauciores notas characteristicas, respicitur. Prior methodus, Naturae magis accomodata est, posterior, artificialis magis esse putanda est; illa in Generibus, hac in Speciebus determinandis utendum.

Obs. 2. Quaelibet nostrae Classificationes sunt imperfectae. Nam, primum quidem, ad perfectum Physiographiae Systema condendum, perfecta Naturae cognitione, intuitu omnium eius Productorum, opus esset, quam, omnino non habemus. Quamdiu enim nova Genera, novaeque Species deteguntur, qua in re Natura inexhausta esse putanda est: Classificationes antiquas, magis minusque modificari, necesse est, unde etiam Systema Linnéanum, multum iam mutatum est, quae Naturae curiosorum industria, non parum meretur commendari. — Tum accedit, quod Species Productorum Naturae, nullis criteriis adeo diligenter invicem separatae sunt, quemadmodum hoc perfecto classium Systemati conveniret, verum reciprocis continuo affinitatibus, confundi ac commisceri videntur, tanto quidem opere, ut propter intermedias Species, cum certitudine determinari nequeat, ad hanc ne, an ad aliam classem, Producta quaedam referri debeant. Quamquam vero hinc non sequitur, perfectam quamdam Productorum Naturae Catenam, nusquam interruptam in Natura obtinere, cum ea probari non possit: attamen concursus criteriorum plurium Produetorum Naturae, quae tamen intuitu Classificationis eorundem multum diversa sunt, efficit, ut perfectum Classificationis Systema, vix unquam sperare liceat. — Caeterum, optandum foret, ut diversae Produetorum Naturae classes, his titulis

insignirentur: Regna, Ordines, Familiae, Genera et Species.

§. 142. Tria Naturae Regna.

Cum quaeque Naturae Producta, aut organica, aut inorganica sunt (§. 136, et 137.): sensu proprio, nonnisi duae sunt cardinales Classes, seu, duo Productorum Naturae Regna. Cum vero organica Naturae Producta, vicissim duplicis sunt generis, scilicet, quaedam per motum, quem edunt, spontaneum, ut animata, alia, ob defectum id genus motus, ut inanimata Entia apparent, puta, Animalia et Plantae: nihil impedit, quo minus membra Subdivisionis, cum illis, coordinentur (Log. 126. Obs. 3.), hacque ratione, tria Productorum Naturae Regna emergant, scil. Regnum animale, plantare, et minerale.

Obs. 1. Discrimen Animalis et Plantae, tam clare unius cuiusque Intuitioni per naturam exhibetur, ut nihil amplius desiderandum videatur: attamen, Conceptum de discrimine isthoc distinctum, et praecisum informare, non caret difficultate. Hunc anquirere Philosophiae naturalis opus est. Scilicet, utraeque Entium organicorum Classes, se nutriunt, sui simile generant, et vivunt: verum, quantâ inter utramque cum differentiâ! Nam, vita animalium, per motus se annunciat, qui characterem arbitrii in se habent, quos nos, non possumus non, ad certas repraesentationes, velut rationes internas referre. Sed cum ignotum illud vitae altioris Principium, unde spontanei motus animales exsistunt, Anima nominatur: iure vocantur Animalia, res animatae, seu animalia; contra Plantae res inanimae, seu inanimalia, cum, neque in nutritione, neque in generatione, neque in aliis vitae suae actuositatibus, ullos produnt motus spontaneos. Certe Zoophyta, de quibus constat, ea fame compulsa, alimenta sua, spontaneo motu, in os suum deferre, adeoque illa, tam vera animalia sunt, quam homo, et ostrea, nullam hic exceptionem efficiunt, nec Regnum quoddam neutrum constituunt. Contra, Locomotivitas, et Locofixitas, universalem notam characteristicam, Regni animalis et plantarum, haud exprimunt, quae facilius a diversa nutritionis ratione peti posset: nisi, hic quoque discrimen fundamentale, ad motus spontaneos recideret. Atque haec est caussa, cur animalia per eminentiam, prae plantis, certis gaudent partibus, quae v. c. Nervi, velut principia sensibilitatis, ad repraesentationes de Obiectis in iis excitandas; item musculi, velut organica Irritabilitatis principia, spontanee, aut non spontanee etiam moventur. Quod, nondum in omnibus animalium speciebus, nervi detecti sint: id vero, minime hoc probat, esse animalia, quae nervis prorsus destituta sint. Quare Hypothesis animalium nervis destitutorum, distributioque animalium, ex hoc conspectus puncto instituta, mere problematica est.

Obs. 2. Quodsi animalia, ideo duntaxat pro Entibus animatis habemus, quod in iis motus spontaneos, in Spatio editos, percipimus, hosque, propria conscientia impulsi, ad certas internas, de Obiectis externis Repraesentationes referre cogimur: sumtio, Animae Mundi, est id genus Hypothesis, quae nulla ratione defendi potest, imo, ne sensum quidem admittit commodum. Nam licet Naturam universe, ut Totum organicum, cogitare oporteat: attamen, universalis hic organismus,

ab individuali illo, Animalis, tantopere diversus est, ut nonnisi culpando cum vitio saltus argumentandi posset inferri, Mundum esse Animal quoddam, aut Animam ei tribuere, eo sensu, quo id de homine et brutis praedicamus. Si vero nomine Animae Mundi, aliud quodpiam, et ab Anima diversum intelligatur Principium: consultius fuerit, hoc termino abstinere, quod utinam Shellingius, qui nuper de Anima Mundi commentatus est, observasset.

Obs. 3. Quod consuetam trium Naturae Regnorum distributionem, quae ab Aristotele ad nos descendit, attinet: sane, longe rectius Logice foret, si nonnisi duo sumerentur Regna, inorganicum puta, et organicum, atque ambo vicissim, in duas Classes dispescerentur, scil. Regnum organicum, in Corpora plantaria, animaliaque, et Regnum inorganicum, in Corpora fluida ac rigida. Certe nulla caussa solida allegari potest, cur in Systematibus Physiographicis species corporum fluidorum, non tam characterisare (describere) placuit, quam species corporum rigidorum, cum praecipue haec, absque illis, ne rite quidem suis quaeque characteribus possint insigniri. Si argentum vivum, et petroleum potuerunt exponi, cur non etiam aqua, et aër? — tertia vero Physiographiae pars, quam inepte Minerologia dicta sit: facile liquet.

§. 143. a. Discrimen Hominis et brutorum. Perfectibilitas, et Progenies eius.

Ut perfectissimum omnium Sphaere suae Animalium, iure meritoque Homo sibi apparet: cum is, etiamsi nulla alia re, ab reliquis animalibus discerneretur, sola iam Ratione, supra Animalitatem brutam, mero Instinctu impulsam, longissime extolleretur. Scilicet Ratio est, vi cuius Homo, determinatae cuiusdam, ac perspicuae designationis communicationisque cogitationum, et sensationum suarum, h. e. loquelae capax est, quae voci animali longe anteponenda; — Ratio est, qua is semet, cum omnibus animalibus sui generis, in societatem humanam coniungit; — Ratio est, vi cuius is, ipse sibi Legislator, Executorque voluntatis propriae, h. e. sui iuris est; — Ratio est, quâ is, ultra carceres, quibus eum Natura circumscriptione Mundi materialis inclusit, ad Infinitatem contendit, quo simul, Perfectibilitatis, in infinitum capax sit; — Ratio est, quâ is, documento quippe firmissimo probat, ex altiori se, supersensualique, seu spirituali quodam Mundo, natum esse, iusque simul habere, Mundum externum, finibus suis subiiciendi, dominiumque in Terram exercendi. Quo consilio, tribuit quoque illi Natura Organisationem, quam convenientissimam, ut is, etiamsi non in Individuo: tamen in Toto, quodlibet aliud Animal, longissime possit superare.

Obs. Utrum Homo, a reliquis Animalibus, solis physicis criteriis distinguatur: dubium est. Saltim Linné fassus est, nullum se characterem invenire potuisse, cuius ope Homo, a simia internoscatur. Blumenbachius contra, situm corporis erecti, liberum manuum usum, erectum dentium incisorum inferiorum situm, mentumque prominens, pro characteribus distinctivis posuit.

Esse vero Hominem inermem, ut Physiographi volunt, falsum est: cum is, manibus, unguibus, dentibus, pedibusque, et se defendere, et etiam hostem infestare valeat, ac prosternere. Inopem vero esse hominem, recenter natum, adeo verum est, ut nullum animal

magis, tale esse videatur. Diutissime scil. is in infantia restat, tardissime vires eius naturales explicantur, proinde sero nimis facultatem standi, eundi, semet alendi, et procreandi consequitur. Contra, nullum est Animal, quod intuitu alimentorum suorum, locique habitationis, tam minime circumscriptum esset, quam homo, qui ea, ex utroque Naturae Regno, eligere petereque, et in omnibus regionibus habitabilibus, commorari potest, quo ipso, dominium suum super Terram, vel maxime valet extendere. Modificationes, quas hac ratione, Organisatio Hominis obtinet, ac subit, unde etiam Progenies classificae exsistunt, Anthropologia explicat curatius. Utrum autem intuitu harum modificationum, par tantum Hominum, an plures quoque, pro Auctoribus Stirpis nostrae sumi debeant: id vero, in perpetuum ignorabitur quam profundissime. — Caeterum, memorabile esse videtur, inter infinita illa petrefacta, quae ex Mundo praeadamitico, (ut fabula vult) originem suam ducunt, nullum hactenus Anthropolithum fuisse inventum.

§. 143. b. Vita Plantarum, Animalium, Hominis.

Quodsi ad Naturam organicam universe reflectimus: intelligimus, universalem eius characterem, in vita esse positum. (§. 138.) Enimvero, Vita isthaec, aliter in Plantis, aliter in Animalibus, et vicissim aliter in meris animalibus, quam in Homine appareat. Vita plantaris, est vita spontaneis motibus conscientiaque destituta, — Vita animalis, est vita cum motibus spontaneis, et cum conscientia; et quidem, aut mera vita animalis illa est, cum motibus spontaneis, et irrationali conscientia; aut Vita humana, cum motibus spontaneis, conscientiaque rationali coniuncta.

Obs. Conscientia scil. inest in functione sciendi, το Esse, (Fund. §. 41.) functio vero sciendi, aut in mera Intuitione, et sensatione continetur, aut ad Cogitationem ipsam extollitur. Atque, haec sciendi functio, per solam Rationem possibilis est. Nam scientia του Esse, altiorem repraesentationum Conbinationem requirit, si quidem ea, in recognitione veritatis illius inest, quod repraesentamus. Veritas autem, id genus Idea est, ad quam, nullum Ens irrationale ascendit (Log. §. 5. Obs.). Quare, solus Homo cum Ratione scit, se esse, resque alias extra se esse, si quidem, is se ipse, (το Ego) aliasque res extra se (το Non-ego) cogitat, adeoque in, et per suam cogitationem, το Subiectivum et Obiectivum, invicem opponit, unumque ad alterum reciproce refert; is ergo solus quoque scit, quod is, quoad se, et quoad alias res, facit, facereque debet. Sola itaque eius scientia, est intelligens quaedam, s. rationalis scientia, dum scientia animalis, irrationalis, et mera sensibilis scientia est: unde discrimen isthoc, duplicis sciendi functionis, longe aliud est, quam quod mediatam, et immediatam scientiam dicimus. Nam immmediate, (sine demonstratione) per Rationem quoque scire nobis licet, imo vel huius ipsius discriminis, per Rationem ipsam, conscii nobis sumus, si quidem discrimen isthoc, in, et cum rationali scientia apprehendimus, et pro vero recognoscimus. Etiamsi ergo nos, quâ Homines, vitam hanc nostram humanam, Vitam scil. cum Conscientia rationali nostrimet ipsorum, et Mundi extra nos positi coniunctam, unice pro vera vita, seu vita, in summa

potentia, vel sensu eminenti sumta, habere vellemus; nemoque Homo asserere sustineret, suam vitam fore continuandam, si vel ea, in animalem, aut plantarem transmutaretur; attamen minime, quod Fichte statuit, diceremus: Solum hominem vivere, et Naturam ipsam esse mortuam. Certe in Arrogantiae Crimine versaretur temeritas, si nos, quâ Telluris Incolae, solos nos, pro id genus Naturae Entibus haberemus, qui cum conscientia rationali vivimus.

Caeterum, iam olim Antiqui, vitam plantarem, animalem, et rationalem, tanquam totidem vivendi Species, seu Gradus distinxerunt. Enim vero ii, discrimen hoc solide positum, aut falso applicarunt, cum homini rationalem, et irrationalem animam, aut etiam tres animas, puta, vegetativam, sensitivam, et cogitantem, tribuerunt, ac primam quidem in Abdomine, praecipue in stomacho, secundam in Pectore, praesertim in corde, tertiam in Capite, ibique, in cerebro locarunt; aut de Mortalitate, et Immortalitate variarum harum animarum, amplius speculati sunt, vel potius phantasias ediderunt, originemque Mali, ex repugnantia earundem explicare, annisi sunt. Interim, in diiudicatione harum opinionum, Lingua, schematica personificans, et ambiguitas vocum: ψυχη animus, anima attendi, in primis, debent, quae, iam animum, mox vitam designant. Eadem ambiguitas videtur, opinioni quoque opportunitatem dedisse, animam sensu proprio, et immediate omnis vitae Principium esse, ob eamque Caussam, quemadmodum plantis, ita animalibus etiam, propriam quamdam animam inhabitare debere. Hinc patet simul id quoque, vocem vita, iam in latiori, iam in strictiori sensu sumi posse, proinde Graecos, qui Animalia ξωα appellarunt, Plantas omni vita spoliasse.

CAPUT III. Teleologia metaphysica.

§. 144. Finalitas organicorum Naturae Productorum.

Entia organica, Naturae sunt Producta, quae Nobis, ut maximopere finalia apparent, proinde illa ipsa, fines Naturae sunt, h. e. ea, ut res a Natura ipsa finaliter, seu ad certos fines productae, debent diiudicari, namque nos, in iis, non tantum subiectivam, sed etiam obiectivam, — neque tantum mere formalem, sed etiam materialem, — neque externam tantum, verum etiam internam percipimus finalitatem (§. 67. cum Obs. 1. 2.).

Obs. Entia organica, non solum Tactum voluptatis in nobis excitant, propter eorum iucunditatem, et pulcritudinem; neque tantum ea, ope formae, materiaeque eorundem, ad varios fines convertere possumus: verum in se, et per se sunt finalia. Nam partes eorum, ut membra Totius cuiusdam, in se consummati, semet conservantis, et continuo elaborantis amplius, in perpetuo nexu mutuo, inter se positae sunt. Proinde, omnes partes sunt, principio quidem, quoad exsistentiam, earumque formam, nonnisi ope Relationis ad Totum possibiles; — deinde, in hac ipsa Relatione, adeo ad unitatem Totius coniunctae sunt, ut quoad exsistentiam, et formam, reciproce, caussa et effectus, inter se sint, sibi ipsae. Quaelibet itaque pars, non tantum propter, sed etiam per reliquas exstat, sic quidem, ut

quaelibet earum, tam activo, quam passivo significatu instrumentum sit. Ita v. c. folia arboris, partim membra sunt eius effecta, quippe ab ea ipsa procreata; partim vero membra efficientia, in quantum illa suctu humorum, et exhalatione, Toti conservando inserviunt. Atque, hac re, organicum Naturae Productum, ab arte factis humanis essentialiter differt. Opus quoque artificiosum hominis, potest quidem ex instrumentis compositum, h. e. organisatum esse, v. c. Horologium: neque tamen illud, res est viva, h. e. organisans simul, quippe, quod semet, in sua exsistentia, suaque forma, ut Individuum, et Genus, posset conservare, verbo, Horologium non est organicum quidpiam. Quare Ens organicum, teleologice consideratum, id genus Naturae Productum est, quod simul finis Naturae est, h. e. tale Productum, in quo, ex instituto Naturae, quidquid est, Finis et instrumentum simul est, quodque, exsistentiam, formamque suam, per se conservare potest. Proinde, Productum huius generis, potest quidem, secundum Analogiam arte facti cuiusdam, diiudicari: ita tamen, ut id, non a caussa quadam externa derivetur, verum per se ipsum, et in se, Caussa et Effectus esse iudicetur, consequenter ita, ut id, in nullo exsistentiae suae puncto, velut merum Productum, sed semper, ut Producens quoque simul, esse videatur.

§. 145. Finalitas Naturae universè.

Cum exsistentia Entium organicorum, velut Productorum Naturae, quae simul fines Naturae sunt, necessario ad Conceptum Finalitatis in Natura, deducamur: nihil impedit, quo minus Rationi liceat Conceptum hunc ad Naturam universam, velut Totum quoddam organicum (§. 137.) referre, eamque, ut prorsus Finale quidpiam, seu id genus Totum diiudicare, in quo nihil frustra est, sed quidquid est, reciproce, finis et instrumentum simul est. Sed teleologica hac Naturae diiudicandae ratione, minime, velut constitutivo quodam Principio utendum est, ut scil. secundum hoc, origo rerum naturalium explicetur, quasi eae, vi Technicae cuiuspiam, cum consilio agentis forent productae: verum ut mere regulativum, seu heuristicum Principium adhibendum est, ad intimum rerum naturalium nexum, reciprocamque earum relationem, continuo magis ac magis anquirendam.

Obs. 1. Iam Baco questus est, tractationem caussarum finalium, in physicis, inquisitionem caussarum physicarum expulisse, ac deiecisse, ingenti Scientiarum detrimento. Id inde factum est, quod Physici, Teleologia abusi fuerint, falso exsistimantes, se, ad Quaestiones, quem in finem? aut quare? respondendo, Quaestionibus quoque quomodo? aut per quid? satis fecisse. Verum teleologica Naturae consideratio, duntaxat sub sequentibus conditionibus potest admitti, puta: ne in investigatione nexus finalis, investigationi nexus effectivi renunciemus, quin potius in indagatione Naturae, hic caput rei esto, ille vero nonnisi introductionis, et stimuli loco investiganti inserviat; — deinde Rationi, quamdiu ad cognitionem, amplificandamque Perspicientiam contendit, nunquam licitum est, ad hyperphysicos explicandi rationes confugere, verum ea, perpetuo, intra terminos physicarum inquisitionum se contineat, necesse est. Quare Natura non

solum ut Natura naturata, sed etiam, ut Natura naturans, debet considerari. Qua in re semper integrum adhuc est Rationi, intuitu morali-religioso, altiorem quandam Naturam naturantem sumere, h. e. Ens summum, ut primam et ultimam universae Naturae rationem supra-sensibilem fide recipere, idque, ut supremum Legislatorem moralem venerari. Atque, simulac teleologica Naturae consideratio, sub dictis conditionibus, adhibetur: non modo nullum in Physicam detrimentum emergit, sed potius ea promovetur insigniter, simulque religiosa Naturae consideratio, physicis investigationibus haud quamquam eliditur.

Obs. 2. Finalitas Naturae, si dogmatistice de ea philosophari lubet, duplici via solet explicari. Et primum quidem ex naturali (seu, non intentionali) Technica, seu per casum coecum, secundum Systema Casualismi, aut per coecam Necessitatem, secundum Systema Fatalismi; deinde ex Technica intentionali, scil. aut per Materiam per se, vel etiam per inhabitantem Animam Mundi viventem, et iuxta fines agentem, secundum Systema Hylozoismi, aut per Deitatem iuxta fines creantem, secundum Systema Theoplasticismi. Enimvero his sententiis, in infinitas difficultates implicamur insolubiles, cum Postulatis Rationis, iam hinc, iam inde, minime satis fit. Scilicet: Casus purus, coecaque necessitas, ut supra visum, sunt res absurdae, ex quibus, nihil omnino explicaveris. Praeterea, in Casu, multo plus Necessitatis, in Necessitate autem, multo plus fortuiti, quoad organismum Naturae dominatur, quam ut talia explicandi Principia, tuto possent adoptari. — Pariter Hylozoismus, et Theoplasticismus Legibus Rationis adversantur. — Nos itaque teleologicis h. s Enunciationibus: in Natura omnia sunt finalia, item: nihil est in Mundo frustra, intuitu Facultatis nostrae iudicandi reflectentis, utemur, h. e. tam Producta Naturae organica, quam universam Naturam, ut Finale quidpiam diiudicabimus, quo sic, omnes possibiles rerum Relationes reciprocas, tali ratione liceat detegere. Simul tamen liberaliter fatebimur, quod cum Mundus sensibilis, nonnisi ut Phaenomenon, nobis cognoscibilis est, determinari nequeat, an non commune quoddam Principium, organicorum et inorganicorum Phaenomenorum in Natura datur, quod in Phaenomenis organicis, sub forma peculiaris Technicismi, velut Caussalitatis, secundum Conceptus, in inorganicis autem, sub forma, Mechanismi et Chemismi, ut Caussalitas sine Conceptibus, actuosum sit. Criticus hic Finalitatis Naturae aspectus, Transcendentalismus teleologicus appellari potest, eo quod is, ad transcendentales Cognitionis nostrae conditiones refertur. (§. 13. Obs. 3.).

§. 146. Subordinatio rerum naturalium teleologica.

Si Natura universe, secundum Conceptum Finalitatis diiudicari, proinde Natura universa, ut Systema finium considerari debeat: procul dubio, ut inter res quoque naturales, certa quaedam Subordinatio locum habeat, necesse est, vi cuius, res quaedam, ut fines cogitatae, in ordine Naturae, altiorem sibi locum vindicent, quam aliae.

§. 147. Finalitas rerum inorganicarum, quoad organicas.

Organicis Naturae Productis, interna Finalitas competit: ignorganicis autem, duntaxat externa. (§. 144.) Cum enim haec, ex mechanico-chemicis caussis agentibus, comprehendi queunt, partesque eorum, minime efficiunt membra Totius cuiusdam in se ipso consummati, semet conservantis, et continuo effingentis (§. 136.), profecto, neque etiam partes hae, possunt, ut instrumenta et fines, sub Idea Totius ad se invicem referri, verum Totum ipsum, in Natura, tota quanta finali, ut instrumentum, ad aliud quodpiam, quod in se, et per se finale est, ut finis referatur, necesse est. Quare inorganica Naturae Producta, duntaxat pro instrumentis entium organicorum habenda sunt; aut aliis verbis: Quod inanime in Natura est, id nonnisi pro eo praesto est, quod vivit.

Obs. Atque, huic Decreto congruenter iudicamus, cum sumimus, magna illa Mundi corpora, quae in coelo, ut Puncta luminaria, innumerabiliaque observamus, non minus a rebus creatis vivis inhabitari, quam Tellurem nostram. Ipsa illa cogitatio, in omnibus his corporibus, quorum unum quodque, multis Entium vivorum millionibus domicilium, alimentum, obiectaque actuositatis offerre potest, perpetuum dominari silentium, quasi aeternam referens mortem, Rationi reflectenti intolerabilis esse videtur, eoque quidem magis, quo diligentuis illa, magnitudinem, maiestatemque Mundi intuetur. Quid? quod Ratio, ne eo quidem contenta esse videri potest, si Entia viva, subordinati gradus in iis sumat, nisi etiam illa, ab Entibus rationalibus inhabitari simul credat. Exstare autem, totalia illa Mundi corpora, in solius hominis gratiam: nae id, ad pueriles opiniones, easque illusorias referendum esse sine negotio patet.

§. 148. Finalitas rerum irrationalium, quoad Entia rationalia.

Inter organica Naturae Producta, secundum relativam eorum Perfectionem, indeque emergentem dignitatem, vicissim Subordinatio debet habere locum, sic quidem, ut Plantae pro instrumentis animalium, et animalia irrationalia, simul cum Plantis, pro instrumentis rationalium, quippe Hominum, spectari debeant; si quidem, soli homines, unicum illud Entium genus sunt in terris, qui non tantum in Toto perfectissima gaudent organisatione, verum etiam Conceptus sibi ipsi de Finalitate informant, proinde proprios sibi fines ponere possunt. Consequenter, quod Irrationale in Natura est: id nonnisi pro Rationali praesto est.

Obs. Homines, multiplici respectu, reliquis animalibus, et Animalia universe, Plantis servire dubitari nequit. Sed hinc non sequitur, Plantas in serie finium, altiorem habere locum, quam habent Animalia, et haec vicissim, in quantum irrationalia sunt, altiorem quam Homo. Nam, quae nunc statim dicta sunt, ea argumento tantum sunt, Finalitatem Naturae, in omnibus eius partibus dominari. Cum autem Natura Hominem, omnibus iis initiis originariis dotavit, quibus ille omnia,

quae sibi in Natura circumposita sunt, propriis suis finibus subiicere potest: intelligitur eum, in Serie finium Naturae, supremo in loco esse collocatum. — Pariter, non est dubium, hominem multiplici respectu ab animalibus irrationalibus superari, velut: viribus, celeritate, sensuum subtilitate etc. Inde tamen haud sequitur, imperfectius eum esse organisatum, quam sunt illa; simulac enim Totum organisationis diligenter respicimus: illico Praecellentia Hominis, in oculos incurrit (§. 143. Obs. 1.). — Denique verum omnino est, animalia irrationalia, quemadmodum hominem, suos consectari fines, ac prosequi. Sed cum hoc bruta coeco instinctu impulsa faciunt, homo contra suorum finium conscius est, finesque pro lubitu sibi describit: fa ile apparet, eundem, hoc quoque titulo, ad summum inter animalia fastigium, esse exaltatum. Ex quibus omnibus intelligitur, hominem, in Systemate finium naturalium, pro ultimo Naturae fine, intra illam sphaeram habendum esse, quam ei Natura, ad sensualem eiusdem exsistentiam, his in Terris assignavit.

§. 149. Homo, quâ Finis Naturae. Destinatio Hominis in Cultura eiusdem inest.

Homo, ultimus Naturae finis, nonnisi in tantum esse potest, in quantum is ipse Ens naturale est, et quidquid in eo est, aut per eum fit, id secundum leges Naturae accidit. Hoc intuitu Natura, universo institutorum suorum apparatu, eo intenta esse videtur, ut Homo se ipse, sensim sensim, magis ac magis effingat, atque perpoliat, quo sic, quoad eius fieri potest, physice perfectus efficiatur, h. e. ut is, ad omnes omnino fines possibiles, quos ipse sibi delineat, quive intra Sphaeram exsistentiae suae, ad exitum perduci queunt, aptus reddatur. Natura ergo Hominem excolere connititur. Proinde cultura, ut aptitudo ad varios, ipsos adeo morales fines, non autem Felicitas, est naturalis Hominis destinatio, s. finis, ad quem eum Natura ipsa deducere allaborat.

Obs. 1. Si ad internam Hominis Naturam, eiusque relationem ad Naturam externam teleologice reflectimus, ad naturalem (non moralem) eius destinationem inveniendam: in primis sequentia videntur esse perpendenda.

a) Natura homini Instinctum, fere in totum denegavit, saltem si quem in illum contulit, haud ita accurate eum determinavit, quam in brutis fecit, quae solo instinctu impulsa, ad suos quaeque fines, tuto perveniunt. Atque hac ipsa re, coactum se homo videt ad meditandum, altiusque actuositatis Principium, in se ipso quaerendum, inveniendum, ac evolvendum, quod ubi explicatum est; longe amplius eius ductu pervenire ei licet, quam quo determinatus quique Instinctus ducere potest. Quo magis enim definite Instinctus agit: eo magis restricta quoque est actuositas Entis vi Instinctus impulsi.

b) Natura homini exigua defensionis adminicula, contra hostiles Mundi externi impetitiones, suppeditavit. Arma enim naturalia, quae is posidet, prorsus ei non sufficiunt, nisi iis apte uti, eaque cum arte factis dextre coniungere didicerit: et naturales eius defensionis rationes, minime ipsum, contra laesiones externas, tempestatumque iniurias tutantur. Atque his quoque homo, velut totidem stimulis, ad eo-

gitandum, contentio emque virium suarum naturalium adhibendam, incitatur, atque impellitur.

c) Ita Natura instituit, ut homo, tarde nimis incrementa aetatis suae concipiat ac perficiat; quo fit, ut infantia eius, inops quidem, atque auxilii egens reddatur: attamen simul, Organisatio eius, eo magis explicatur, et ad maturitatem consequendam grassatur. Illud, sympatheticas, in homine excitat inclinationes, eumque sociabilem magis efficit: hoc autem, maiorem, actuositati eiusdem conciliat energiam, atque durationem.

d) Ubi iam Homo sensim sensim adeo ematuruit, ut genus quoque suum propagare queat: Permanentia Instinctus, ad hunc finem directi, continuo cum ad id sollicitat, ut se cum aliis, sui Generis entibus, coniungat, viresque suas, multiplici ratione, et intendat, et extendat.

e) Per hoc, quod Homo, in omnibus Terrae Zonis, et Climatibus habitare valeat; et quod is, ex omnibus Naturae Regnis, alimentum sibi petere queat: id efficit Natura, ut, quâ late patet Tellus, Homines, quaquaversum dispergantur, novaque, et ea infinita Culturae instrumenta consequantur.

f) Denique ipso erecto Corporis humani situ, videtur Natura monstrare Homini voluisse, eum, ut ad altiora natum et factum, ope Culturae ad gradum Naturarum nobiliorum assequendum grassari debere. Falsa itaque est Sententia, et Homine vehementer indigna, quod is, ad naturalem suam destinationem, quasi postliminio recobtinendam, exuta omni, quam habet, cultura, ad Statum Ruditatis redire debeat. Certe semper Homini amplius, et ad ea, quae remote nimis posita sunt, contendendum est, ut continuo maiores ac maiores in Cultura faciat progressus, quae etiam ratio est, cur tot malis periculisque, vita nostra sit obiecta, ne forte, nisi cum iis esset colluctandum, in medio Culturae gradu, cursum possemus sistere.

Russavius, ut notum est, palam asserere non dubitavit, Hominem, nonnisi declinatione a Natura (h. e. a naturali sui destinatione), in Statum Culturae transiisse, hunc que Statum, velut arte effectum illum esse, qui destinationi Hominis naturali, directe adversetur, adeoque in eo contranaturalem eius positam esse conditionem. Enimvero falso. Nam Status Culturae, quem Homo de tempore ad tempus subit, nonnisi naturalis est internae illius Legalitatis sequela, quae Homini, non potest non esse propria, proinde, Status Culturae tam naturalis Hominis esse putandus est, si modo is excolitur, quam naturalis ei est, si negligitur, Status Ruditatis. — Neque tamen etiam, ut Bendavid vult, in duplici hac Assertione contraria, Antinomia Rationis locum habet: si quidem, non quaevis Rationis individualis contentio Antinomia esse censenda est.

Obs. 2. Destinationem Hominis naturalem, in Felicitate positam esse, est id genus Sententia, quam Experientia ipsa, multiplici ratione, et evidenter confutat. Quanta sunt, ut paucis finiam, quae Natura facit, quibus Felicitas nostra pervertitur! Enimvero, hoc ipsum illud est, qua ea nos ad Culturam sollicitat ac impellit, ut adhibita virium omnium contentione, de rationibus cogitemus, ope quarum, tot malis feliciter occurramus. Sane, intuitu Felicitatis nostrae, multo magis providere potuisset Natura, si soli Instinctui nos regendos commisisset,

nisi alia, eaque longe altior Hominis destinatio, contrarium suasisset et imperasset. Accedit, quod Felicitas, in Repraesentatione Hominum, tam varia et invicem repugnans est, ut Natura, vel si vellet, eos ad Felicitatem deducere, haud quaquam posset. Est ergo Felicitas (non Beatitas) Idea chimaerica.

Quid caussae itaque est, ut obiiciunt, quod Natura nobis Instinctum Felicitatis, quem tam multiplici ratione saturat quoque, indiderit? Procul dubio, ut eo, tanquam instrumento, ad maiorem atque maiorem Culturam, irremisso gradu grassaremur; cum absque hac, Homo, nec universales Felicitatis suae conditiones reperire potest, nec impedimentis eius resistere. Ipsa alimentorum comparatio, et praeparatio, vestimenta, habitacula, remedia sanitatis, etc. quantam exposcunt culturam!

Obs. 3. Cum hic loci Hominem, ut ultimum Naturae Finem physico-teleologice consideramus: de eo tantum loquimur, quo Natura Hominem, ut Ens Naturae, secundum leges suas ducit. Et cum asserimus, Hominem per Naturam, ad Culturam deduci: minime adhuc ad quaestionem illam respondimus, quem in finem Cultura isthaec spectat, h. e. quid illud est, quod Homo excultus, velut altiorem finem, ad exitum perducere debeat? Nam quaestio isthaec, Ethicae propria est, non Teleologiae physicae, quam hic proponimus. Nimirum, haec quaestio sumit, Finem nobis a Ratione proponi, qui summus omnino sit, ad quem universa Natura, ipse adeo Homo, qua Ens Naturae, ut Instrumentum se habet, proinde, qui scopus finalis esse debeat simpliciter. Quod reliquum est: in Philosophia practica exponetur.

SECTIO II. Metaphysica Naturarum suprasensualium, seu Metaphysica sublimior.

Introductio.

§. 150. Transitio ad Naturam suprasensibilem.

Indagatio Naturae metaphysica, in quantum ea, ad solam sensualem Naturam directa est, Rationi speculanti, haud satisfacere videtur, eo quod, intra terminos Naturae huius, perceptibile quodque, relativum, et conditionatum, proinde finitum et limitatum est. Ea itaque beneficio Idearum suarum, ad suprasensualem quandam Naturam semet extollit, in qua tandem, *to* Absolutum, et Inconditionatum, per se inventum iri sperat. In quantum ergo Ratio, res Ideis illis cogitatas, ut realia cognitionis Obiecta tractat, atque hac sumtione ducta, Conceptus pure metaphysicos, decretaque ex his elicita, ad easdem res applicat: Metaphysicam Naturarum suprasensualium delineare allaborat; quae, ob eam ipsam caussam, iure Metaphysicae applicatae accensetur (§. 93.).

§. 151. Critica Naturae suprasensibilis Tractatio.

Cum omne id, quod ut suprasensuale cogitatur; merum Noumenon est, adeoque nulla quoque eius cognitio, sensu proprio et stricto, possibilis est: (§. 91. Obs.) Rationis speculativae, quae procul dubio, si intra fines modestiae se continet, non plus sibi arrogabit, quam quod praestare valet, id solum hic relictum est

negotii, ut propriam suam speculationem, critice investiget, h. e. ut Dogmata, Systemataque illa metaphysica, ad quae Ratio, cum res suprasensuales, ut putatitia cognitionis obiecta tractat, deducitur, secundum pretia eorum vera examinet, aestimetque.

Obs. Cum Ratio humana, inde ab omni aetate, de iis speculata est, quae ultra limites universae Experientiae posita sunt, v. c. de Deitate, Initio Universi, Vita futura, Spiritibus etc. prolixam opinionum, et Systematum metaphysicarum copiam exstitisse necesse erat, quo Metaphysicae, ut Doctrinae cognitionum, omnino descendere aequum est. Id vero nonnisi ita facere potest, si conatus eius genuinae philosophandi methodo, in Archologia exhibitae, congruus fuerit: unde etiam Dogmata, Systemataque illa, secundum eandem methodum examinabit, et aestimabit. Praecipua itaque quaestio, haec una semper erit: Estne de hoc aut illo obiecto, vera quaedam cognitio, ex determinatis, ac certis Principiis possibilis? Quod si contingeret, ut ad Quaestionem hanc, affirmative respondere non liceret: tum vero Ratio, non ideo se Scepticismo permittet, aut suprasensuale quodlibet, addubitabit, negabitque, non ignara, ipsas practicas suas Ideas, Postulataque, ad το suprasensuale dirigi ac referri. Quid? quod finis Metaphysicae, Naturarum suprasensualium criticae, in eo versari debet, ut eversa speculatione vana, Fidem του suprasensualis, in intimo Hominis corde, tam profunde radicatam, contra dubia illa, recipiat in tutelam, quae per errorem, a Speculatione adversus illam mota sunt. Cum ergo Ratio, de suprasensualibus philosophando didicerit, sibi hoc in argumento, omni scientiae arroganti renunciandum esse: eo facilius convictioni aliunde sumtae, sed solidiori, certiorique, locum dabit.

§. 152. Partes Mephysicae sublimioris.

Cum tres sunt Ideae cardinales Rationis purae theoreticae (§. 91.), puta: Idea de Anima humana, tanquam absoluto Subiecto, seu Substantia simplici; — Idea de Universo, tanquam Obiecto absoluto, s. de totali, rerum in Spatio et Tempore quidem exstantium, sed in sua Totalitate non apparentium complexu; — Idea de Deitate, tanquam absoluta omnis Subiectivitatis et Obiectivitatis ratione originaria, s. de Ente realissimo: Metaphysica quoque Naturarum suprasensualium, in tria Capita dispecitur, quae Psychologiam, Cosmologiam, et Theologiam metaphysicam in se complectentur.

CAPUT I. Psychologia metaphysica.

§. 153. Differentia Psychologiae metaphysicae s. rationalis, ab empirica.

Psychologia metaphysica, s. rationalis, ab empirica, quae partem Anthropologiae constituit (Fund. §. 132. Obs.) in eo discernitur, quod illa, Animam humanam, non quemadmodum haec, ut Obiectum sensus interni, s. Experientiae, proinde Animum Phaenomenon, sed ut Obiectum merae Rationis, adeoque Animum Noumenon, considerat, cum scilicet illa, a Repraesentatione Entis co-

gitantis universe proficiscitur, atque Dogmata sua, inde unice, a priori deducere satagit.

Obs. Enunciatio isthaec: Ego cogito, aut, Ego sum Ens cogitans, est proprie illa, cui tota Psychologia metaphysica inniti debet. Enunciatio quidem haec, indubitatam rem Conscientiae in facto positam exprimit, proinde immediate certa est, quare etiam Logicae, tanquam Doctrinae, de Regulis cogitandi, pro fundamento posita est (Log. §. 13.): enimvero, nihil illa, de proprietate Substantiae cogitantis, in se enunciat. Quare, omnes quoque Psychologiae metaphysicae sententiae, quae hac in re viam cognitionis monstrare volunt, nonnisi ope Paralogismi, ex ea possunt derivari (Log. §. 115.).

§. 154. Argumentum Psychologiae rationalis.

Totus quantus Psychologiae metaphysicae complexus, ad sequentes Enunciationes cardinales redigi potest, puta: *το* Ego, quod cogitat, et Anima humana appellatur, est Substantia, et quidem simplex, quovis tempore numero-indentica, et cum corpore organico, cum quo etiam, cum reliquis Obiectis in Spatio coniuncta est, consociata, unde porro Immaterialitas, Incorruptibilitas, et Immortalitas Animae humanae elicitur argumentando.

§. 155. Substantialitas, Simplicitas, numerica Identitas Animi.

Id, quod in nobis cogitat, in se, et per se, Substantiam esse, inde videtur concludendum, quod illud semet, in omni cogitationum actu, ut Subiectum, non autem, ut merum rei cuiuspiam alterius Praedicatum, repraesentat. Enimvero cum Repraesentatio isthaec, non ipsa Subiecti cogitantis perdurans est Intuitio, verum mera tantum cogitatio, quae omnes reliquas nostras Repraesentationes comitatur: intelligitur Substantialitatem Animi non cum certitudine inde colligi. Quo posito, cunctas quoque reliquas Psychologiae Enunciationes, vim, momentumque omne perdere necesse est.

Obs. 1. Si Conceptus Substantialitatis, ad quidpiam, ea ratione transferendus est, ut id, tanquam Obiectum reale, cognoscatur: id mihi, qua tale, Intuitione durabili datum esse oportet (§. 46, et 81.), h. e. aliquid percipiendum mihi est, quod Tempus, determinato quopiam intuibilium et sensibilium Realitatum, Quanto, compleat. Sed hoc, nonnisi intuitu Obiectorum externorum, s. rerum in Spatio positarum locum habet. In Sensu interno, omnia in constanti vicissitudine variant, ut non desint Status, in quibus, omnes cogitationes, cum iisque, *το* Ego cogito, quod eas secus comitatur, evanescunt. Quare, verum quidem est, omnes meas cogitationes, quae in Conscientia comparent, cum *το* Ego coniungi, h. e. me earum, tanquam mearum cogitationum esse conscium; me eas, ad memet ipsum, tanquam Subiectum referre, proinde me mihi, in cogitando, nunquam ut Praedicatum rei alterius videri. Enimvero, legitime hinc non sequitur, Substantiam me esse, cum de me ipso, quâ Ente cogitante, nullam durabilem habeam Intuitionem. Demonstratio itaque Substantialitatis Animi, syl-

logistice expressa, ut Sophisma amphiboliae, et quidem, ut fallacia, a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter (Log. §. 116. Obs. n. 2.), ita se haberet: Quod ut merum Subiectum repraesentatur (intuendo et cogitando), nae id Substantia est. Atqui id, quod in me cogitat, a me nonnisi ut Subiectum repraesentatur (cogitando). Ergo Animus est Substantia. Scilicet, Repraesentatio in Maiori, ita sumitur, ut ea, non solum cogitationem, sed etiam simul Intuitionem significet, proinde secundum quid: in Minori autem ita, ut eadem, solam cogitationem innuat, adeoque simpliciter.

Obs. 2. Hinc sponte sequitur, cuncta quoque reliqua Psychologiae rationalis dogmata, peraeque suo destitui fundamento, cum ea omnia, sumtâ falso Animi Substantialitate, nitantur. Scilicet το Ego, quod cogitat, in omni cogitatione, ut Unitatem, non ut Pluritatem Subiectorum cogitari, dubio caret: verum, quod simplex hoc Subiectum logicum, ob eam ipsam caussam, realiter quoque simplex sit, seu Substantia simplex, hoc inde non sequitur. — Porro, certum quoque est, me, varia omnia, quorum in cogitando, sensim sensim conscius fio, in unam eandemque Conscientiam comprehendere, cum secus cogitationes has, meas esse, dicere non possem: verùm ex qualitativa hac Unitate, seu, Identitate Conscientiae cogitationum, quantitativam Unitatem Entis cogitantis, ut Obiecti realis, proinde numericam cogitantis Identitatem, ad quod durabilis quaedam de eo, ut uno eodemque Ente, Intuitio necessario requireretur, prorsus non sequitur. — Denique, indubitatum est etiam, me, memet ipsum, ut Ens cogitans, ab omnibus aliis rebus, extra me positis, imo, a meo ipso corpore discernere: quod autem absque tali corpore, obiectisque externis, Ego, ut Ens cogitans, aut alia Entia cogitantia, mei similia exstare possint, minime gentium inde sequitur! Quod nos in cogitationibus separamus: non statim ideo est quoque illud realiter separabile, ut unum sine altero, per se consistere queat.

§. 156. Immaterialismus, seu, Spiritualismus.

Hypothesis: Animum esse simplicem, ab omni materia diversum, proinde, Ens mere Spirituale, Immaterialismus seu Spiritualismus appellatur. Quemadmodum vero Indemonstrabilitas huius Sumtionis, ex ipsa iam investigatione, nunc statim instituta, liquido perspicitur: ita empiricae quoque rationes, pro ea militantes, quae a continuo fluxu, magnaque partium corporearum varietate depromuntur, quippe quibus Identitas Conscientiae, Repraesentationumque Comparatio, Separatio, ac Coniunctio tolli deberent, nisi peculiaris quaedam Substantia simplex, ut Principium Conscientiae illius, harumque functionum sumatur: nullius omnino ponderis esse putandae sunt. Nam quomodo id genus Substantia, sui sibi conscia esse, datasque Repraesentationes invicem comparare, separare, ac coniungere possit: perinde comprehendi nequit.

Obs. Cum haustu, exspirationeque aëris, fruitione, et elaboratione alimentorum, suctu, et exhalationibus, aliisque circumstantiis, perpetuo, certae quaedam materiae, cum corpore uniuntur, ab eodemque separantur: certum est hominem, quemque, post decursum aliquot ann-

rum, plane aliud, et quodam modo novum corpus obtinere. Quomodo itaque, quaerit Spiritualista, Conscientia una eademque, in perpetuo hoc partium corporearum defluxu, in nobis possibilis foret? quomodo semper unum idemque Individuum, ut eandem Personam cogitare possemus, si non spirituale quoddam, fluxui illi non subiectum Ens, in nobis habitaret? — Enimvero, principio quidem, notum illud: Non liquet, liceret hic loci respondere: quod hic eo validius est, quod Spiritualistam idem respondere necesse est, cum ex eo quaeritur, quomodo res quaedam sui sibi conscia esse queat? Deinde autem, dici quoque posset, quod quemadmodum mutatio corporis nostri, non semel, sed pedetentim, idque sine sensu fit, novis partibus in locum vetustiorum succedentibus, eandem relationem ac destinationem, ad caeteras retinentibus: ad eundem modum, in sensu interno per externum, qui mutationem non percipit, Repraesentationi Identitatis Subiecti, ansam posset dare, quae Identitas quidem, in Illusione foret, naturali illa deceptione nixâ, quasi id, quod cum iisdem determinationibus apparet, pro uno eodemque, quod fuit, haberi posset.

Quod alteram attinet rationem contrariam, nimirum, partes corporis nostri, nimium quantum varias esse, et quasdam earundem longe invicem esse remotas, id quidem verum est: sed, cum porro vicissim quaeritur, quomodo posita hac varietate, et remotione partium corporis, Comparatio, Separatio, et Coniunctio Repraesentationum nostrarum, sine simplici Principio spirituali harum functionum, locum habere possint, in primis Ignorantiam nostram fatebimur, postmodum autem observabimus, eo non obstante, ope tamen Organisationis, in varietate illa, Unitatem, et in remotione illa, Coniunctionem intimam, locum habere, quo, ut caussa illa, palmariam suam vim amittat, necesse est.

Caeterum notari meretur, quod, cum Antiqui, Animam simplicem dixere, eos, non absolutam illam Simplicitatem, s. Immaterialitatem intellexisse, cuius Conceptum, primus Cartesius, Systematis spiritualistici, s. immaterialistici Auctor, explicuit: verum relativam tantum, s. comparativam illam statuisse, quae Animam, cum heterogeneis quibusdam partibus impermixtam asserebat, unde, quidam eorum, Animam pro igne puro, alii pro aethere purissimo habuere.

§. 157. Materialismus, seu, Antispiritualismus.

Sumtio illa, nullum omnino in Homine, Principium actuositatum spiritualium, a Materia diversum dari, verum omnes illas functiones, quae Animae attribuuntur, proprie Corporis esse functiones, Materialismus, s. Antispiritualismus nuncupatur. Sed vero, Hypothesis isthaec rationibus universaliter valentibus, tam parum probari potest, quam assertio opposita. Nam cum internae Animi actuositates, ex cognoscibilis Naturae proprietatibus, sive rudibus, sive organicis, nulla ratione possunt explicari; neque ambiguae observationes empiricae, quae dependentiam actuositatum illarum, a corpore, probare volunt; neque argumenta universalia, quibus Materialismus defensus est, pro firmis huius Systematis praesidiis, haberi possunt.

Obs. Cum Materialistae, Cogitationem, Volitionem, aliasque Animi actuositates, ex proprietatibus Materiae, puta: Extensione, Mobilitate, etc. explicare satagebant, necesse erat, ut vanus hic conatus, haud quaquam e voto succederet. Nam proprietates hae, simpliciter ad Spatium referuntur, et sensu externo percipiuntur: actuositates autem illae, nihil Extensionis, Mobilitatisque in se habent, atque nonnisi ad Tempus referuntur, et duntaxat ab interno Sensu possunt apprehendi. Id genus heterogeneitas autem Phaenomenorum efficit, ut deductio horum ex illis, impossibilis esse videatur.

Quod si Materialista, ad Experientiam provocat, unde, dependentia actuositatum Animi a Corpore eluceat, v. c. quod vires Animi cum aetate incrementum capiant, vicissimque decrementum subeant; sanitas, et morbus earum energiam tollant, opprimantque; Temperamentum, ut Constitutionis corporis sequela, Clima, alimenta, et similes aliae circumstantiae, tantam vim in eas habeant etc. haec omnia, Spiritualista quidem concedere debet: verum tamen ea, ut ambigua suae Sumtionis data, declarabit, regerendo, quod, ubi nexus intimus locum habet, dependentiam quoque locum habere, proinde ex datis illis Experientiae, sine vitio Saltus argumentandi, haud posse elici, unicum actuositatum Animi Principium, Corpus esse, praecipue, cum neque Materia rudis, neque organicum quodque corpus, vestigia similis actuositatis ostendant.

Denique, argumenta Materialismi universalia, tanto minus habent ullam demonstrandi vim, qualia sunt v. c. sequentia: Entia praeter necessitatem non esse multiplicanda; Deum, aut Naturam, machinam quoque cogitantem, et volentem producere posse; Sumtionem duorum actuositatis Principiorum in Homine, in varias implicare difficultates, etc. Nam Spiritualista respondere ad haec potest: Inexplicabilitatem actuositatum Animi, ex τῳ materiali, sufficientem pro eo praestare rationem, Sumtionis illius, propter hanc ipsam rationem, possibilitatem quoque illam addubitandam esse; solamque possibilitatem, nullam adhuc realitatem demonstrare; Materialismum in maiores implicare difficultates, et quae alia cumque demum fuerint, quae in hanc rem, pro et contra disputata sunt, quibus Materialistae, et Spiritualistae, semet a longo tempore, absque tamen ulla decretoria victoria reportata, impugnarunt.

Denique discrimen, inter crassiorem, subtilioremque Materialismum, refugii caussa institutum, et defensum, nullius est significationis. Nam prorsus perinde est, utrum corpus ipsum universe, partesque eiusdem maiores, et visibiles, puta: cerebrum, cor, etc. an Materiam subtiliorum, et invisibilem, in corpore sitam, idque penetrantem, pro Principio actuositatum spiritualium ita dictarum, sumseris.

§. 158. Dualismus psychologicus, transcendens, et empirico-criticus.

Sumtio duorum actuositatis Principiorum in homine, Dualismus (psychologicus) appellatur. In quantum Entia illa, ut res per se, determinare visum est, adoptando, alterum, Principium materiale, alterum contra, immateriale esse, hacque ratione Hominem rem esse, ex duabus invicem oppositis rebus, puta: cor-

pore, et spiritu compositam, est Dualismus transcendens; nam limites legalis Experientiae, re vera migrat, beneficioque Experientiae nequaquam probari potest (§. 156.). In quantum autem Corpus et Anima, ut mera Phaenomena discernuntur, ut Corpus, quâ Obiectum externi sensus, etiam ut Principium externi, et Anima, quâ Obiectum Sensus interni, etiam ut Principium internarum Hominis actuositatum consideretur; — caeterum in medio relinquitur, quomodo ambo illa, ut res in se, comparata esse queant, et an non fortasse duplici huic Phaenemeno, commune quoddam Principium altius pro fundamento positum sit: est Dualismus empirico-criticus: is enim penes id solum perseverat, quod Experientia, et Critica Facultatis cognoscendi, communi studio docent (§. 13. cum Obs.).

Obs. Prior ille Dualismus, metaphysico-psychologicus quoque; posterior autem empirico-psychologicus s. anthropologicus nominari potest. Nam Anthropologia, tanquam empirica Hominis notitia, Corpus, Animamque in Homine, iure optimo discernit, distributionem huius Studii cardinalem, ab hoc discrimine petit, cum in Somatologiam, Psychologiam, et Anthropologiam dispescitur. Quare Dualismus Anthropologicus, solis nominibus, Corporis et Animae utitur, nomina vero Corporis et Spiritus Dualismo metaphysico relinquit. Certe, cum Expressiones hae, minime pro identicis habendae sint: cultiores quaeque linguae, diversis Animum et Corpus nominibus insignire solent, puta: Graece πνευμα, Spiritus, ψυχη Anima, Germanice: Geiſt et Seele.

§. 159. Monismus psychologicus, spiritualisticus, et materialisticus.

Dualismo Monismus opponitur, quippe qui, unum tantum actuositatis Principium sumit, estque, aut spiritualisticus, aut materialisticus, pro eo ac, Principium isthoc, aut pro Spiritu, aut pro Corpore habet. Monismus spiritualisticus, vicissim aut egoisticus, aut pluralisticus est, in quantum huius generis Monista, aut existentiam tantum propriae suae Substantiae spiritualis, aut exsistentiam plurium talium Substantiarum, asserit. Metaphysicus autem, s. speculativus ille Egoismus, cum ethico, s. morali, confundi non debet, qui cum ad Practicum referatur, ab hoc loco alienus est. Monismus materialis, aut Universalis est, aut particularis, pro eo ac, huius generis Monista, aut exsistentiam Entium spiritualium universe, aut tantum exsistentiam Principii actuositatis spiritualis in homine, negat. Quanta vero Systematum horum psychologicorum, cum Systematibus Idealismi et Realismi sit affinitas, sponte intelligitur (Fund. §. 63—66.).

§. 160. Tria alia Problemata psychologica.

Psychologi metaphysici, quâ transcendentes Dualistae, varias de Anima et Corpore, deque Relatione eorum mutua, posuerunt adhuc Quaestiones, quae maiori ex parte, duntaxat speculativae curiositatis Producta sunt, et quâ talia, non ullam Responsionem

sive merentur, sive reportare possunt rationabilem, ac solidam. Eae scilicet attingunt, aut: originem Animae, seu Initium exsistentiae, et efficientiae eius universe; aut Commercium Animae, et Corporis mutuum, h. e. eorum existentiam, et efficientiam in praesenti, quo fruimur vitae curriculo; aut Durationem Animae, h. e. exsistentiam, et actuositatem eius post mortem corporis.

§. 161. Origo Animae. Creatiani. Traduciani. etc.

Quaestio de origine Animae, hunc proprie sensum habet: Utrum Subiectum cogitans, prius, quam secundum praesentem suam Sensualitatis rationem, externum quodpiam, ut suum corpus intuebatur, aut hac eadem ipsa ratione, sed sub diversis circumstantiis, aut alia quadam ratione, prorsus ab hac diversa, aut plane ne exsisterat quidem, et quomodo demum ad praesentem exsistentiam pervenerat? Impossibilitas Responsionis, ad hanc Quaestionem dandae, ex ipsa iam Quaestione sponte elucescit: cum nos, de alia exsistentiae Animae ratione, nihil prorsus scimus, et de Ortu Entis cogitantis, ne Conceptum quidem determinatum, nobis informare valemus.

Obs. Diversae Philosophorum Sectae, quae ad positam supra Quaestionem diversa ratione respondere sategerunt, sunt sequentes: Creatiani, Animam humanam, a Deo, per creationem divinam effectam esse statuerunt. — Traduciani, per generationem, a parentibus, ad proles suas Animam, proinde per traducem, s. traductionem transplantari existimabant, prope modum, ut lux accenditur de Lucerna. Praeexsistentiani, praeexsistentiam Animae, ante conceptionem corporis tribuerunt, et postmodum eam, per inducem, s. inductionem, in corpus humanum transpositam esse dixere, unde Induciani vocati, Concretiani, per concretionem Animam exstitisse autumarunt. Peculiarem Praeexsistentianorum familiam constituunt Metempsychosistae, qui Animam, iam exstantem, per Migrationem de corpore organico, in aliud transire, statuerunt, et quidem, aut per Migrationem ascendentem, scilicet: ex imperfectiori corpore animali in humanum, et hinc vicissim, in Corpus longe perfectius, in aliis Mundi corporibus totalibus habitans; — Aut per Migrationem in Orbem, nimirum ex corpore humano, in corpus vicissim humanum; — aut per Migrationem descendentem, ex subtiliori, et aetherico, quod olim habuit, in corpus animale brutorum, ad poenas peccatorum anteactorum luendas. — Huc quoque Quaestio referenda videtur: Num scil. Animae originarie, antequam per coniunctionem cum corpore institutam, eiusque situm externum modificarentur, aequales an inaequales, similes an dissimiles fuerint? Enimvero, ad hanc Quaestionem, non meliori cum successu potest responderi, quam ad praecedentes.

§. 162. Commercium Animi, et Corporis.

Quaestio de commercio Animi et Corporis, sensum habet sequentem: Quomodo fit, ut determinationes Animae ac Corporis, tam accurate inter se conspirant, ut certae partis unius mutationes, semper cum certis, iisque harmonicis mutationibus partis

alterius, concurrant et congruant? Quam ad Quaestionem, ut Metaphysici responderent: tres sequentes Hypotheses excogitarunt, puta:

1. Deus est, qui occasione mutationum, quae in alterutra harum partium exsistunt, ei oblata, mutationes iis correspondentes, in alterutra partium harum producit. Haec Hypothesis Systema caussarum occasionalium appellatur.

2. Deus, Animam, Corpusque, in Principio, ad harmonicam mutationum seriem, tam exacte determinavit, ut reciprocae utriusque mutationes, perfecte concurrerent, congruerentque, licet eae, invicem independenter, secundum proprias cuiusque Leges evolverentur; quemadmodum sonitus, et indices duorum horologiorum, constanter inter se convenirent, si ea aequali prorsus ratione forent constructa, et aptata, eundemque perpetuo cursum observarent, ut ut, neutrum ab altero determinaretur. Haec Hypothesis Systema Harmoniae praestabilitae nuncupatur.

3. Et Anima et Corpus, reciproce in se invicem agunt, ut quaelibet pars, determinationes alterius, in ea factas, propriis suis determinationibus correspondentes, immediate per se, producat. Haec Hypothesis Systema Influxus physici nominatur. — Enimvero, nullum trium horum Systematum est, quod solidis innitatur fundamentis.

Obs. 1. Duae priores Hypotheses, omne reale, inter Animam et Corpus commercium tollunt, in eiusque locum, Commercium ideale subtrudunt, quasivero Deus, aut semper, oportunitate subministrata, aut simul et semel originarie, Harmoniam utriusque partis efficeret, effecisseteque: proinde quasi, Deus ex machina, in Subsidium, ad nodum solvendum, devocatur, talique ratione, nova in locum alterius, Incomprehensibilitas substituitur. Verbo, rationes explicandi, in his Systematibus sumtae, prorsus sunt indemonstrabiles, et simul transcendentes. Neque etiam Metaphysici unquam, in has sententias offendissent, nisi prius, Animam et Corpus, velut res in commercio positas, ita sibi cogitassent, ut inter eas, nullum reale possit sumi commercium. Quomodo enim in Ens immateriale, inextensum, immobileque, Ens materiale extensum, mobileque, agere possit, et vice versa?

Secundum tertiam Hypothesim, reale Animae Corporisque commercium, duntaxat simpliciter ponitur, sed non explicatur, et si, hoc in argumento, secundum Dualismum metaphysicum, eadem sumtio, ut in reliquis Hypothesibus, pro fundamento substernitur: ne Possibilitas quidem huius generis Commercii, potest repraesentari. Contra, cum Dualismus anthropologicus, Corpus et Animam, ut Phaenomena tantum considerat, amboque, haec, in tantum homogenea sunt: nihil impedit, quo minus, inter *ro* externum, internumque hominis, reciproca, quaedam determinabilitas, cogitari queat; licet, propiori nexus huius caussalis explicationi, renunciare oporteat (§. 158.).

Obs. 2. Praeter tres illas Hypotheses, sunt adhuc aliae, sed eae, parvi momenti, et pro meris earum modificationibus habendae. Sic v. c. Cartesius Systema Caussarum occasionalium, falso ei adscriptum, et a

Malebranchio demum inventum, nunquam sumsit, sed Systema Assistentiae, vi cuius Anima, nonnisi directionem motus corporei ducere potest, in reliquo autem, auxilio divino indiget: quae Hypothesis, propter Inconsequentiam, reiicienda omnino erat, et postmodum, in Systema caussarum occasionalium, magis consequens, permutanda.

Systema Harmoniae praestabilitae Leibnitianum, velut Monadologiae suae sequelam (§. 85. Obs. 3.) nonnulli v. c. P. Tournemin, nonnisi ex parte dimidia sumserunt, nimirum, intuitu Animae, quae quidem Corpus determinet, ab hoc tamen ipsa haud determinetur, verum internae determinationes, mutationibus corporeis correspondentes, in ipsa Anima, vi praestabilitae cum Corpore Harmoniae, evolvantur: qua dimidiatione autem, Hypothesis, inconsequens effecta est.

Denique, aliqui tertii Systematis asseclae: subtiliorem quandam Materiam, confinxere, quae Animam, velut invisibile quodpiam integumentum, proxime circumdat (quod tamen in morte semet subducit), quove Influxus Corporis, et Animae mutuus, durante vita, quemadmodum post mortem, Commercium Animarum inter se, aut etiam cum viventibus, efficitur, ut eae quidem, haud immediate, mediate tamen reciproce semet determinent. Verum praeterquam quod hoc, in mera fictione inest: Influxus physicus, hac Hypothesi, ne hilum quidem cogitabilior redditur; cum Materia, quantumcunque subtilis ea sit, semper Materia est. Num ergo Anima, pro immateriali cogitata, cum subtiliori, an cum crassiori quadam Materia, immediate coniungatur perinde est.

Obs. 3. Quaestio de Sede Animae, affinis cum illa, de Commercio, esse putanda est. Ea, ut Quaestio metaphysica, nullum omnino sensum habet. Nam si Anima, pro re immateriali adoptatur: tum vero illa, nullam Sedem, s. nullum in Spatio locum habere potest, quantumcunque parva cogitetur. Eandem, ut punctum mathematicum cogitare, foret absurdum, cum hoc, nihil aliud est, quam terminus lineae. Si autem Anima, ut merum Sensus interni Phaenomenon cogitatur: tum vicissim Quaestio, de Sede eius, locum habere nequit, cum expressio isthaec, semper spatiosum quidpiam, seu Obiectum sensus interni innuit. Contra, si Quaestio posita, physice debeat intelligi, ut Sedes Animae, nihil amplius significet, quam organicam Sensibilitatis conditionem: tum solutio Quaestionis huius, ad Physiologiam corporis humani pertinebit, ubi cerebrum, tanquam proximum Animae organum, considerare, sensuque figurato Sedem Animae dicere licebit. (Log. §. 139.) Verum, hoc quoque posito, danda erit opera, ut a Quaestionibus absurdis, nosmet contineamus, qualis v. c. isthaec: Num, si Anima hominis, in cerebrum Tauri, huiusque vicissim Anima, in cerebrum hominis, locaretur, ille rationalis, hic irrationalis efficeretur, aut suum uterque characterem internum permutaturi essent? Nam hac ratione, ex territorio empiricae investigationis, in regionem somniorum transcendentium temet ipse transponeres.

§. 163. Immortalitas Animi, sensu speculativo.

Si Quaestio de Duratione seu Immortalitate Animae, mero speculativo intuitu proponitur, sensum habet sequentem: An Subiectum cogitans, posteaquam praesens eius Exsistentiae sensualis

ratio, cessabit, hac eadem ipsa ratione, sed sub diversis circumstantiis, aut diversa prorsus ratione, aut etiam non amplius omnino exstabit? Enimvero, cum Anima, quâ sensus interni Phaenomenon, in morte, id ipsum esse, quod fuit, cessabit; cumque de ea, nullam nobis, qualicunque demum respectu, cognitionem habere liceat: intelligitur, de Immortalitate Animae, theoretice quidem, nullum Iudicium omnimode valens ferri posse.

Obs. Ex Immaterialitate quidem Animae, Indestructibilitatem eiusdem, postmodum hinc Immortalitatem elicere visum est Metaphysicis (§. 154.). Sed infeliciter prorsus. Nam, primum quidem, sumta Animae Immortalitas, ut supra evictum est, demonstrari non potest (§. 155. et 156.): deinde autem, iusto plus hinc elicitum est. Scilicet, indubitatum est Experientiae factum, Conscientiam nostram, actuositatemque Animi, cum ea coniunctam, varios admittere gradus, statusque dari, in quibus utraeque illae cessare in nobis videantur. Etiamsi autem Anima, ut Substantia simplex, partitione dissolvi, destruique nequeat: attamen possibilitas continuae attenuationis Conscientiae, remissionisque omnium Animae virium, semper adhuc supererit, quo facto, simplex illa Substantia, post separationem a corpore organico, ut externa activitatis eius in hac vita conditione, adeo elanguescere posset, ut qualitativa haec eius exstinctio, nihil a totali eiusdem destructione differret. Quare demonstrandum adhuc foret, Animam, post separationem eius a corpore, plenam Conscientiam, indebilitatamque suam efficaciam retinere, aut potius, postquam, e pristinis suis vinculis emancipata est, utramque novâ virium accessione augeri, ad quod tamen probandum, nullum suppetit Principium validum. Cum enim dicitur, non esse probabile, id genus Elanguescentiam locum habere, aut eam a Deo permitti: id vero nihil aliud est, quam incertum, per aeque incertum probare (Log. §. 133. Obs.).

§. 164. Immortalitas Animi sensu practico.

Contra, si Quaestio de Immortalitate, practico respectu proponitur: ea hanc habet vim: Estne hoc Rationi congruum, exsistentiam, actuositatemque hominis, quâ Entis moralis, eamque nullis temporis limitibus adstrictam, credere, non obstante physica eiusdem dissolutione, in Mundo sensibili, quae morte fit? Quaestionem hanc affirmandam esse, iam supra in Archologia docuimus (Fund. §. 84.). Tum vero Quaestio, non amplius in speculativo, sed in practico versabitur Problemate, nimirum perpetuo, certa cum illa fiducia agendum esse, quod infinitus in Bonitate morali progressus possibilis quoque sit, cum ipsa Ratio eum, ut necessarium postulet, proinde, etiam infinitam Subiecti agentis durationem, sperare iubeat, unde sponte sua emergit officium, suum cuique cor (Animus practicus) nullo non tempore, ad *το* Suprasensibile elevandum esse, consequenter, ita hic semper vivere oportere, ut Immortalitate dignum te ipse efficias, depositisque corporis exuviis, Mundi idealis particeps, civisque evadas, ubi nulla ortus, et interitus vicissitudo dominabitur amplius.

Obs. Quam primum autem Immortalitas, practico hoc intuitu

considerata est: omnes quoque Quaestiones, de statu Animae post mortem motas, ut inutilia curiositatis puerilis producta, Responsionesque quaslibet, ad eas datas, velut indemonstrabiles Hypotheses, et aniles nenias, aut potius inania somnia, simul et semel prosterni necesse est, quales sunt v. c. sequentes: Num Anima post mortem statim, plenam sui conscientiam habitura, eamque conservatura est, aut quasi somno sopiatur, et quamdiu status hic eius duraturus est? — An Anima incorporea mansura est, aut speciem aliquam corporis, velut Quasicorpus illud Epicureum, quod is, Diis suis impertiit, secum avehat, aut novum quoddam Corpus mox obtineat post mortem? — Ubi Anima, post fata Corporis commoratura est? — Num res huius vitae amplius Animo a Corpore distracto curae fuerint? Num Anima, pristinas suas coniunctiones, continuabit, commilitones suos recognoscet, familiaritatem amicorum suorum porro quoque fovebit? etc.

§. 165. Psychologia, quâ Pneumatologia considerata.

Quod denique Permutationem, aut elevationem Psychologiae metaphysicae in Pneumatologiam attinet, nimirum, ut secundum meram Analogiam, arbitrariasque varii generis sumtiones, Proprietatem, actuositatis rationem, relationesque Entium spiritualium universè indagare ac constituere liceat: profecto, hinc vana duntaxat exsistunt phantasmata, somniis febricitantium potissimum simillima, quae saepissime Fanatismo, frandulentiaeque ansam iam praebuerunt, praebentque hodiedum.

Obs. Omnes itaque Quaestiones: Danturne puri, seu, incorporei Spiritus? possuntne ii Corpus pro lubitu assumere? quomodo cogitationes invicem communicant? possuntne in Animam humanam agere? aut viventibus apparere hominibus? etc. ex territorio Philosophiae prorsus eliminandae videntur. Quodsi quis hic, res facti allegaret, adeoque via historica ad transcendentes cognitiones eluctari vellet: tum vero id genus res facti, is, sufficienter probare deberet, deinde ostendere, legitime hac ratione concludi: Ego, et alii, eventus supranaturales vidimus, audivimus, somniavimus etc. Ergo. Quamdiu itaque duplici huic Rationis Postulato, non satis fit: tamdiu, quaelibet Narrationes de Apparitionibus Spirituum, ut fabulae aniles, repudiandae omnino sunt. Nihil enim minus Philosophiae convenit, quam somniare.

CAPUT II. Cosmologia metaphysica.

§. 166. Differentia Cosmologiae metaphysicae, ab empirica.

Cosmologia metaphysica, seu Doctrina Mundi rationalis, ab empirica, quae partem Physicae efficit, per hoc distinguitur, quod illa Mundum, non quemadmodum haec, ut Obiectum sensus externi, h. e. Mundum sensibilem vel phaenomenon, sed ut merum Rationis Obiectum, seu Mundum intelligibilem, seu noumenon considerat; ita tamen, ut nomine huius Mundi, non complexum rerum suprasensualium, sed absolutum rerum in Spatio et Tempore exstantium, proinde sensualium Complexum intelligat. Nam quam-

quam res hae, ex parte appareant: attamen in Cosmologia metaphysica, eae, non in hac Qualitate, ut Mundus sensibilis, sed in inconditionata earumdem Qualitate, proinde, ut Mundus Rationis, ponderantur. Atque hoc ipsum est, quo etiam a Philosophia Naturae, velut Metaphysica Naturae sensualis, distinguitur (§. 94.).

§. 167. Repugnantia, in quam Ratio, in Metaphysica cosmologica, secum implicatur.

Cum Ratio hoc intuitu de Mundo speculatur: Ideam Cosmologicam (§. 91.) in Obiectum, ad Cognitionem datum, permutat, et το Inconditionatum, seu Absolutum, in variis Phaenomnorum Mundi seriebus quaerit, in quibus Subordinatio conditionum locum habet, si quidem illa, Totalitatem harum serierum, ut ad cognitionem datam, considerat. Sed per hoc ipsum Ratio, in Repugnantiam secum ipsa implicatur. Nam, το Absolutum, seu, Inconditionatum, in Relativo, seu conditionato quaerere, copiam rerum apparentium, in cogitationibus, in Totum quoddam non apparens permutare, et tum ad hoc Totum, secundum illas Leges reflectere, quae duntaxat pro rebus apparentibus validae sunt: in Repugnantia inest, ipsa cuius evolutio, vicissim ad meras Repugnantias ducat, necesse est.

Obs. Rationem secum ipsa in Repugnantias involvi, Experientiâ teste discimus: quod idem doctissimis quoque capitibus, interdum obrepere, negari nequit. Nihil ergo mirandum, si in Cosmologia metaphysica, ad Repugnantiam Rationis secum ipsa offendimus, et in sequentibus, plures quoque huius generis Repugnantias, quae ex illa exsistunt, detegemus. Neque tamen Repugnantiam hanc, cum Kantio, Antinomiam Rationis purae vocabimus; nam, si re vera, pugna est inter Leges seu Principia Rationis purae: quomodo Repugnantia haec tolletur, cum id duntaxat ope Rationis effici debeat? quomodo arma Sceptico eripiemus, quae nos ipsi ei contra nos porrigimus? — Profecto, in Ratione pura, nulla est pugna Legum, seu Antinomia, sed in usu tantum Rationis sub certis conditionibus restringentibus, quibus Ratio humana, in omnibus Subiectis, per Naturam Sensualitatis subiecta est. Quare, permultum Rationis sua interest, propria sua energia, seu philosophando Restrictiones illas cognoscere, Illusionemque illam, unde Repugnantia isthaec exsistit, si non penitus tollere, saltem in tantum solvere, ne amplius iis, ad erroneas, indemonstrabilesque assertiones, pelliciatur.

§. 168. Series conditionum cosmologicarum.

Quatuor sunt conditionum cosmologicarum Series, in quibus Speculatio, Totalitatem quaerere potest: si quidem Mundum, in sua Inconditionalitate, ut Obiectum cognoscibile, secundum quatuor Categoriarum Intellectus Classes cardinales, considerat. (§. 37—41.) Scilicet, Ratio speculativa, intuitu Quantitatis, ad compositionem omnium Phaenomenorum, in Spatio et Tempore, in quantum ea Totum quoddam universè constituunt, respicit; — intuitu Qualitatis ad το Materiale in Spatio et Tempore apparens,

in quantum id Totum quoddam divisibile efficit; — intuitu Relationis ad ortum Phaenomenorum, in Spatio et Tempore, in quantum ea, ut effectus a certis caussis dependent; — denique, intuitu Modalitatis, ad exsistentiam Phaenomenorum Mundi universe, in quantum ea, necessaria, aut fortuita seu contingens esse potest. Quamobrem, quatuor hinc emergunt, conditionum cosmologicarum Series, nimirum, Series conditionum in compositione omnium Mundi Phaenomenorum ad Totum quodpiam constituendum, — in divisione Totius cuiusdam in Phaenomeno dati, — in deductione singulorum Phaenomenorum, a suis caussis, — et in Exsistentia Phaenomenorum Mundi universe.

§. 169. Ideae cosmologicae, seu, rationales Mundi Conceptus.

Cum Idea cosmologica universalis, de absoluta, seu inconditionata, rerum in Spatio et Tempore exstantium Totalitate, ad quatuor has conditionum series refertur: quatuor inde peculiares Ideae Cosmologicae emergunt, quae etiam, cum quaelibet Idea in Conceptu Rationis inest, rationales Mundi Conceptus nominari, sequentibusque verbis designari possunt: Absoluta compositionis omnium Phaenomenorum Plenitudo, ad Totum quodpiam universe construendum, — absoluta partium Totius cuiusdam in Phaenomeno, Plenitudo, — absoluta Deductionis Phaenomenorum a se invicem, Plenitudo, — absoluta Complexus Phaenomenorum, intuitu exsistentiae eorumdem universè, Plenitudo.

§. 170. Problemata cosmologica. Antithetica cosmologica.

Conceptus cosmologici, simulac iis Mundus, ut Obiectum cognoscibile, determinandus est: continuo in totidem Quaestiones sponte resolvuntur, quae Problemata cosmologica nuncupari possunt, nimirum:

1. Habetne Mundus initium in Tempore, et limites in Spatio? An utroque hoc in respectu infinitus ille est?

2. Utrum Substantiae materiales in Mundo, ex infinita partium simplicium multitudine constant? an ex infinite multis partibus eae sunt compositae, quarum quaeque, composita vicissim est?

3. Exstantne in Mundo, etiam inconditionatae, seu liberae caussae, an omnes Mundi caussae sunt conditionatae, seu, non liberae?

4. Exstatne in Relatione ad Mundum, exsistentia quaedam absolute necessaria: an omnis exsistentia fortuita duntaxat est, seu, contingens?

Obs. Quaelibet conditionum series, principio quidem, regressive, et progressive potest in cogitationibus institui. Ascensio autem, seu, Regressus, multo magis Speculationis sua interest, quam Descensio, seu, Progressus: eo quod, Ratio, in quolibet membro dato, praecedentia, ut conditiones Possibilitatis dati membri sumere debet; cum contra sequentia membra ad Possibilitatem eiusdem membri, ne hilum quidem

requiruntur, quid? quod cogitando prorsus dimitti queunt. Quare, Rationi, nisi peculiares quidam respectus exigant, perinde est, num et quam longe a dato membro, progressive descendere queas: contra, num et quam longe regressive ascendere possis, id vero vehementer sua Rationis interest, simulac haec Possibilitatem dati membri intelligere, et comprehendere vult.

Deinde, quaelibet series regressive, aut ut finita, aut ut infinita potest repraesentari. In serie finita, primum duntaxat membrum, ut absolutum, seu inconditionatum cogitatur, in infinita autem, tota series absoluta, seu, inconditionata esse putanda est. Nam, cum extra Totum, nulla alia conditio, cui illa adstringi posset, cogitari amplius potest, si quidem haec ipsa ad seriem pertineret: Totum ipsum, ut absolutum, seu, inconditionatum habeatur, necesse est. Hoc, si nunc ad Series cosmologicas accommodamus: ad sequentia Resultata offendemus:

1. Intuitu Compositionis Phaenomenorum, in Tempore et Spatio, ad unum Totum, in Tempore et Spatio, constituendum, quodlibet Tempus datum in Serie eventorum Mundi (v. c. tempus in quo degimus) possumus ut per praecedentia tempora conditionatum (quae defluxisse prius oportebat, quam datum illud instaret) considerare, et tum quaerere, num in Serie eventorum Mundi, primum quoddam membrum, seu, determinatum quoddam Mundi initium sit, an non, proinde Series ipsa, finitane, an infinita cogitetur? Pariter corpora Mundi, secundum omnes Universi Regiones, ita spectari possunt, tamquam quae seriem conditionum formant, si quidem, quodlibet Spatium datum, v. c. Systematis nostri solaris, per proximum limitatur, et in tantum conditioni etiam adstringitur. Id quidem, intuitu simultaneitatis omnium spatiorum perinde est, utrum percursionem horum spatiorum, in cogitationibus, regressive, an progressive spectes. Interea, si tibi repraesentaris, temet, a dato aliquo Mundi corpore, v. c. sole nostro, ad aliud transire, adeoque Universum, cogitando quasi peragrare: pariter hoc, ut Regressum, considerare potes, et continuo quaerere: utrum in Serie Corporum Mundi primum membrum, h. e. determinatus Mundi finis sit, an non? proinde, series, finitane sit, an infinita?

2. Intuitu Divisibilitatis Totius cuiusdam, in Tempore et Spatio datis, pariter series quaedam conditionum, locum habet. Nam Totum in divisione, ut conditionatum spectatur, cuius conditiones, partes suae sunt: adeo quidem, ut quaelibet pars data, vicissim, ut conditionatum quidpiam apparet, cuius altiores, remotioresque conditiones, ope divisionis debent inveniri. In hoc ergo Regressu ad conditiones Totius, quaestio exsistit: Num in omnibus possibilibus seriebus, partium rerum materialium in Mundo, prima membra, h. e. partes simplices exstent, an non, proinde Series, finitaene sint, an infinitae?

3. Intuitu ortus Phaenomenorum, in Spatio et Tempore, Caussae, et Effectus indubitatam conditionum seriem efficiunt, quae si ab Effectibus ad Caussas ascendas, regressive procedit. In hoc ergo Regressu, vicissim quaeri potest: Num in seriebus Effectuum et Caussarum in Mundo, prima membra, quae seriem simpliciter inchoant, caussae libere agentes sint, an non? proinde, Series, finitaene sint, an infinitae?

4. Intuitu Existentiae Phaenomenorum Mundi universè, in quantum ea, ut contingentia, quorum exsistentia, et non-exsistentia, peraeque possibilis est, percipiuntur: res quaeque apparentes, in unicam rerum contingentium seriem comprehendi possunt, et quaerere licebit: Num intuitu huius Seriei, primum quoddam membrum, quod non amplius contingens foret, h. e. quodpiam inconditionate necessarium sit, an non? proinde series finitane sit, an infinita.

Enimvero, facile intelligitur, ad omnes has quaestiones, duas saltim Responsiones esse possibiles, quae ita reciproce inter se sunt, quemadmodum Thesis et Antithesis. Quare, nunc indagandum erit, num et quidnam intuitu Problematum horum cosmologicorum, pro et contra, a speculativa Ratione responderi queat? Huius exhibitio Antithetica cosmologica nuncupari potest.

§. 171. Primum Problema: Initium et limites Mundi.

Primum Problema Cosmologicum (§. 170.), in cuius solutione Speculatio, in Repugnantias intricatur, sive ea initium, terminosque Mundi, sive Mundum initii et limitum expertem, h. e. infinitum sumat: ita decidendum videtur, quod Mundus, qua Totum quoddam absolutum, a nobis penitus cognosci nequeat; idem vero Mundus, ut Phaenomenon, in indefinitam amplitudinem protendatur, extendaturque.

Obs. 1. Mundum, quoad Tempus et Spatium, finitum esse, inde perspicuum fit, quod Mundus initio carens, decursum aeternitatis, h. e. infinitam statuum rerum, sibi mutuo succedentium, seriem elapsam sumat. Cum autem Infinitas Seriei, in eo ipso inest, ut ea, per successivas Syntheses, nunquam consummari queat: patet, sumtionem Mundi, initio destituti, in repugnantia versari. Mundus vero, terminis carens, esset datum quodpiam Totum infinitum, rerum simultanearum. Sed cum id genus Totum, Intuitione comprehendi nequeat, si quidem id non intra certos limites datum est, haud aliter cogitari posset, quam per successivas partium suarum Syntheses, h. e. in quantum res coëxsistentes, cogitando dinumeraremus. Ad successivam autem partium Mundi, terminis destituti, Synthesim, infinito tempore opus foret, eo quod, multitudo rerum coëxsistentium, infinitum numerum efficeret. Sed cum contradictorium est cogitare, quod in dinumeratione omnium rerum coëxsistentium, infinitum Tempus, sensim sensim effluxisset, quod tamen cogitari deberet, si Mundum, quoad Spatium, infinitum, in sua Totalitate repraesentare velis: patet sumtione quoque Mundi, nullis limitibus circumscripti, ad Repugnantiam deduci.

Obs. 2. Esse autem Mundum, quoad Tempus et Spatium, infinitum, inde videtur evinci posse, quod initium Mundi, Tempus vacuum, h. e. id genus Tempus, in quo Mundus non exstabat, sumit. Sed cum Mundus in nulla vacui Temporis particula exsistere poterat, si quidem nulla ratio aderat, cur in hac potius, et non in alia, sive priori, sive posteriori Temporis particula, exsistere inciperet; nulla autem vacui Temporis particula, ullam distinctivam Exsistentiae conditionem prae alia habere potest: relinquitur, initium Mundi in Tempore, Repugnantiam prae se ferre. Et, si Mundus, limites in Spatio habere deberet: tum vero ultra hos limites, spatium adesse oporteret, quod

nihil in se contineat, h. e. is in vacuo exstaret spatio, quod ipsum haud limitatum foret, proinde in Relatione ad vacuum spatium positus esset. Enimvero, cum contradictorium sit, rem, extra quam nihil est, nimirum Mundum, omnia in se complectentem, in ulla ad Spatium vacuum relatione cogitare; cum Spatium in se et per se sumtum, nihil est, et quâ vacuum cogitatum, nihil in se contineat, proinde Relatio illa, sine correlato foret: patet sumtionem limitum Mundi, in Repugnantia versari.

Obs. 3. Repugnantia isthaec, inde unice exsistit, quod Mundus, ut Totum quoddam absolutum, consideratur, et postmodum quaeritur: Totum hoc, finitumne sit an infinitum? Sed cum hac ratione Mundus, non amplius, ut Obiectum perceptibile, sed ut res per se cogitatur: tum vero, neque Praedicatum finitatis, neque illud infinitatis, ad eum referri potest. Nam haec Praedicata, nostra Repraesentatione de Spatio et Tempore, proinde nostrâ, data Obiecta intuendi ratione nituntur. Ubi autem conditio cadit, sub qua unice licet nobis, duorum oppositorum Praedicatorum alterum, ad Obiectum cogitationis referre: ibi, ipsam quoque Relationem, proinde etiam Controversiam de hac Relatione, cadere necesse est. Simulac autem Mundum, quemadmodum is, in sensibili Perceptione datus est, proinde, ut Phaenomenon consideramus: tum is, haud quaquam in sua Totalitate, sed tantum per partes datur. Quare, Quantitas Mundi in Spatio et Tempore, quoad nos, prorsus indeterminabilis est, adeoque intuitu illius, Regressus in infinitum (§. 77. Obs. 2.) locum habet, h. e. quantumvis in indagatione antiquissimorum Mundi eventuum, inque remotissimorum Mundi corporum pervestigatione, longe procedamus: nunquam tamen primum eventum, quo Mundus hic ortus est, neque etiam primum Corpus, quo Mundus incepit, assequemur: sed in perpetuum, nova Obiecta, in Tempore et Spatio nobis detegenda restabunt. Quid? quod, etiam, si aliquando, omnes de eventibus relationes cessarent, omnesque de corporibus Perceptiones exstinguerentur: neque tamen, sine violento argumentandi saltu, ullum Mundi initium, ullique eiusdem limites evinci possent.

§. 172. Secundum Problema: Divisibilitas Materiae Mundi.

Secundum Problema cosmologicum, (§. 170.) in cuius solutione Ratio speculativa, in Repugnantiam secum implicata est, sive ea, finitam partium Corporis simplicium multitudinem in Mundo, sive infinitam partium, quae semper compositae fuerint, multitudinem sumat: perpetuo ita decidendum videtur, ut res materialis in Mundo, intuitu partium suarum, nunquam a nobis, ut Totum absolutum, cognosci possit; eadem autem, quâ Phaenomenon, in infinitum divisibilis sit, quin ea tamen, infinitam partium copiam, suppeditet.

Obs. 1. Substantias materiales in Mundo, ex finita partium simplicium copia constare, ex eo videtur inferendum, quod compositio, in mera rerum Relatione contingenti, et mutabili posita sit, quam, saltim cogitatione tollere liceat: Quare, si nihil, quod simplex est, exstat, sola compositionis rerum sublatione, res quoque ipsas simul

tolli necesse foret, h. e. nihil amplius relinqueretur, quod Compositione, ad Relationem reciprocam devenire posset. Atqui, res compositae, tamen in Mundo exstant, et Mundus, ut Perceptio docet, ex talibus omnino rebus constat. Ergo, in Repugnantia foret, res compositas sumere, et simplices negare.

Obs. 2. Substantias materiales in Mundo, ex infinita partium, quae simplices sunt, multitudine constare, inde videtur concludendum, quod quaelibet res composita, Spatium occupat, proinde, ex totidem partibus constare debeat, quot partibus Spatium ipsum, quod occupat, constat. Sed cum Spatium, non ex partibus simplicibus, verum ex perpetuo minoribus constat Spatiis; Punctum autem mathematicum, non determinatam Spatii partem occupat, sed tantum limitem eius designat: tum vero, sumtione particularum simplicium, rerum materialium in Spatio, adoptandum quoque esset, particulas has, pariter Spatium quoddam occupare, h. e. eas varium quodpiam, extra, et iuxta se invicem, seu partes vicissim alias continere, quod in Repugnantia versari nemo non videt.

Obs. 3. Repugnantia haec, simpliciter inde oriunda videtur, quod, quaelibet res materialis, seu, composita in Mundo, quâ Totum absolutum consideratur, et postmodum queritur: Num Totum hoc, ex finita partium, quarum quaelibet per se sumta, simplex est, an ex infinita partium, quarum quaelibet per se considerata, vicissim composita est, multitudine constat? Sed haec Praedicata, ad rem singularem in Mundo, per se consideratam, tam parum referri possunt, quam ad ipsum Universum, propter rationes, quas supra (§. 171. Obs. 3.) laudavimus. Quare, Controversia quoque, de hac Relatione, simpliciter concidit. Contra, si, rem materialem, aut compositam in Mundo, ut Phaenomenon consideramus: tum eam quidem, quâ rem singularem, ut Totum intueri licet, sed haec Intuitio, ad partes eius simul non refertur, cum hae ante divisionem, nondum in sua Individualitate percipiuntur, sed post divisionem. Quare, in divisione Totius cuiusdam materialis, Regressus in infinitum locum habet (§. 77. Obs. 2.), h. e. quantumcunque diu rem compositam, in suas partes, easque subtillissimas diviserimus: quaelibet tamen pars, res erit composita, etiamsi organa nostra, ad eas percipiendas, non amplius sufficere videantur. Neque tamen idcirco, Totum illud, ex partibus infinite multis constabit, quoniam divisione instituta, quam longe libet ea continuetur, semper tamen determinatus duntaxat partium numerus exsistet. (§. 115.).

§. 173. Tertium Problema: Determinismus, et Indeterminismus.

Tertium Problema cosmologicum (§. 170.), in cuius solutione Speculatio, sive ea Caussalitatem liberam, sive solam Caussam naturalem in Mundo sumat, ad Repugnantiam deducitur: ita decidendum est, ut omne id, quod in Mundo evenit, in quantum id apparet, a Caussis naturalibus dependeat; actiones autem Entium moralium, in quantum ea, charactere intelligibili pollent, simul, ut libera sumi possint, si sumtio isthaec, practice necessaria esse videbitur

Obs. 1. Praeter Caussas naturales in Mundo, etiam Caussam per Libertatem dari debere, inde videtur eliciendum, quod in sumtione solarum Caussarum naturalium, in variis caussarum et effectuum Mundi seriebus, nusquam primum membrum daretur, si quidem, quaelibet Caussa efficiens, vicissim ad aliam, quae praecessit, Caussam reiiceret, qua ad actum fuit determinata, quin se ipsa ad eam determinare potuisset. Si quis autem, plenam Caussarum, et Effectuum Seriem, cogitare voluerit: tum in hac Serie sufficientem aliquam caussam dari oportet, cum secus, nullus Effectus secutus fuisset, proinde nihil quoque in Mundo evenisset. Atqui nullae Caussae naturales sunt, in se, et per se consideratae, Caussae sufficientes, si quidem eae, ad sufficientiam earumdem, continuo aliam eiusdem speciei Caussam sumunt. Ergo, contradictorium foret, ullam quampiam sufficientem Caussarum seriem in Mundo sumere, neque tamen liberam aliquam caussam, quae cum absoluta spontaneitate semet ad agendum determinaret, permittere velle.

Obs. 2. Quod autem nullae liberae, sed merae Caussae naturales in Mundo dari possunt, inde videtur concludendum, quod, quaelibet actio inchoari debet, quaelibet autem agendi inchoatio, in certum Temporis momentum cadit, proinde aliud Temporis momentum sumit, in quo Subiectum agens, in tali conditione positum est, qua id nondum egit. Si itaque Subiectum agens, nulla re in praecedenti Temporis momento, ad agendum determinaretur: tum vero id, ex Statu A, quo nondum egit, in Statum oppositum B, quo egit, sine omni Caussa transiret, proinde Saltus eveniret, qui Unitatem Experientiae, seu Continuitatem omnium Phaenomenorum prorsus tolleret, consequenter, Experientiam ipsam, quae haud interruptam coniunctionem rerum caussalem, quippe conditionem Possibilitatis eius sumit, impossibilem redderet. Quare, Contradictorium foret, actionem quampiam, ut Obiectum Experientiae considerare, neque tamen aliud quoddam Phaenomenon, ad quod illa necessario sequeretur, permittere velle.

Obs. 3. Repugnantia haec inde exsistit, quod omnia Subiecta in Mundo agentia, sine discrimine, eodem prorsus modo considerantur, nimirum, ut mera Naturae entia. Sed cum inter illa, Subiecta quoque dantur, quae duplici charactere pollent, puta, physico, quo illa ad Mundum sensibilem, et morali, quo ad altiorem, mereque intelligibilem rerum ordinem pertinent: utraeque assertiones, nonnisi diverso respectu permitti possunt. Scilicet, omnia Subiecta, in quantum ea, ad Mundum sensibilem pertinent, legibus quoque eiusdem subiecta esse debent, ut eorum actiones, secundum Principia Caussalitatis, intuitu Mundi illius, perpetuo valida, per Caussas praecedentes conditionatae, proinde necessario determinatae sint. Quando autem, et in quantum certa Subiecta agentia, non ad Mundum sensibilem pertineant: id, tum, et in tantum, ut possibile cogitari potest, si ea legibus illis non subiecta sint, verum Leges sibi suarum actionum, praescribunt, seque secundum eas, vi propriae Auctoritatis, determinant. Atque hoc respectu illa, ut Entia libera possunt considerari. Quod autem rationem illam attinet, quâ Persuasio hominis nititur, se id genus Ens esse, in quo Necessitas Naturae, et Libertas, incomprehensibili prorsus ratione unitae sunt: id in Archologia (Fund. §. 82.) expositum est. Proinde, hic loci, nonnisi Repugnantia exponenda et tollenda erat, in quam se

Ratio, speculatione cosmologica, intuitu applicationis Principii Caussalitatis ad Phaenomena intricavit.

Ex his simul perspicitur, tam Determinismum, qui actiones hominum, ut liberas repraesentatas, quolibet intuitu, per Caussas praecedentes naturales determinatas statuit, proinde libertatem Necessitatis, ita dictam, sumit: quam etiam Indeterminismum, seu, Aequilibrismum irritum esse, qui nonnisi actiones hominum, quolibet respectu, a rationibus determinantibus independentes, pro liberis declarat, adeoque Libertatem Aequilibrii tuetur, in qua nimirum, tam perfectum rationum determinantium Aequilibrium obtinet, ut se, quemadmodum in celebrato illo Buridani Asino, tolli, et nihil ad determinandum relinqui patiantur. Quare, si in nostris actionibus, a Voluntate profectis, Libertas locum habere debeat: id genus actio, utut apparet, et in tantum a Caussis naturalibus pendet: tamen ut intelligibilis simul, et in tantum a Caussis naturalibus independens actio, cogitari debet, adeo quidem, ut Subiectum agens, ad eius Executionem, secundum Leges morales, semet ipsum determinet. Num autem Libertas Contradictionis, et Contrarietatis locum habeat: id vero, intuitu Quaestionis de Libertate universe, perinde est. Nam Lex moralis, tam ad casus contradictorios, quam ad contrarios peraeque referri potest.

Caeterum, Inquisitio isthaec cosmologica, dici quoque posset Aetiologia metaphysico-cosmologica, ut ab Aetiologia empirico-cosmologica discernatur, quae duntaxat, cum caussis naturalibus in Mundo agentibus, occupata est (§. 64. Obs.). Ambae sunt peculiares Aetiologiae.

§. 174. Quartum Problema: Necessitas, et Contingentia Exsistentiae.

Quartum Problema cosmologicum (§. 170.), in cuius solutione, Ratio speculativa, in Repugnantias semet involvit, sive ea, exsistentiam quamdam absolute necessariam sumat, sive omnem Exsistentiam pro contingenti habeat: ita decidendum esse videtur, quod, quamquam omnis sensualis exsistentia contingens sit: attamen Ens quoddam absolute necessarium, in quantum id, ut intelligibile cogitatur, sumi queat, si sumtio isthaec practice necessaria esse videbitur.

Obs. 1. Quod ad Mundum, Ens quodpiam, absolute necessarium pertineat, ex eo videtur evincendum, quod omnis exsistentia, contingens et mutabilis, qualis rebus, in Mundo perceptibilibus propria est, conditionata, proinde minus plena sit exsistentia; si quidem illa, aliam adhuc exsistentiam, ut sui conditionem, arguit et sumit. Quodsi haec exsistentia, vicissim conditionata foret, et si cuique possibili eius conditioni, continuo, nonnisi talis exsistentia competeret: tum vero universe, nulla plena exstaret exsistentia. Sed *ro* conditionatum, plenam exsistentiae suae conditionem requirit, cum secus exstare plane non posset. Ergo, contradictorium foret, res in Mundo contingentes, mutabilesque sumere, et tamen, nullum absolute necessarium, immutabileque Ens, admittere velle; si quidem, plena omnis exsistentiae ratio, nonnisi in tali Ente potest esse posita.

Obs. 2. Quod autem ad Mundum, nullum Ens absolute necessa-

rium pertineat, inde videtur eliciendum, quod illud, aut in Mundo, aut extra illum exstare deberet. In Mundo, ut pars eius, exstare non potest, cum in Mundo, vi Principii Caussalitatis, omne quod est, conditionatum est, proinde, duntaxat sumta alia Exsistentiae eius conditione, consequenter, contingenter exstat. Res quaedam ergo in Mundo, et res in eodem absolute necessaria, sunt Conceptus repugnantes: quae etiam caussa est, cur res omnes in Mundo simul sumtae, seu, Mundus ipse, absolute necessaria esse non possunt, si quidem Ens absolute necessarium, ex rebus mere contingentibus compositum esse nequit. Ens autem extra Mundum, ut Caussa huius cogitatum, in quantum id, quemadmodum quaelibet Caussa, in Tempore agere inciperet, deberet esse res in Tempore, adeoque intuitu suae actuositatis, sensuali conditioni alligata foret, proinde id genus Ens foret, quod sine Repugnantia, non posset simul, pro absolute necessario haberi.

Obs. 3. Repugnantia haec, pariter inde exsistit, quod *το* contingens, et *το* absolute necessarium, sine discrimine, ex uno, eodemque puncto visus, quod vocant consideratum est, nimirum, tamquam Obiectum, ad cognitionem datum. Omnibus rebus in Mundo, in quantum eae, talia Obiecta, seu Phaenomena sunt, profecto, nonnisi contingens Exsistentia propria est; si quidem eae, in sua exsistentia omnino conditionatae, mutabilesque sunt. Per hoc autem, *το* absolute necessarium, non tollitur, simulac id diverso modo consideratur. Nam si id plenam omnis exsistentiae contingentis rationem, in se continere debeat: tum illud, in nulla Experientia datum esse potest, proinde idem, neque quoad Exsistentiam suam, neque quoad proprium agendi modum, potest cognosci. Consequenter illud, nec ut Ens intramundanum, nec ut extramundanum, potest, in ullam Phaenomenorum seriem cadere. Est ergo, Ens illud absolute necessarium, Ens pure intelligibile, cuius Sumtio non speculativa, sed mere practica Ratione nititur, quemadmodum in Archologia demonstratum est (Fund. §. 84.).

§. 175. Mundus, quâ Complexus Phaenomenorum cognoscibilium.

Quare, si Mundum, ut Obiectum cognoscibile consideramus, tractareque volumus: est is merus Phaenomenorum Complexus, ubi in nulla omnium serierum possibilium Plenitudo data est, cum nos in omnibus nostris Perceptionibus, ad Conditiones Spatii et Temporis alligati sumus. *To* Absolutum itaque, seu inconditionatum, in sola ignoti cuiusdam Entis Idea inest, quod, ut Ratio quaereret, propositum ei est, tanquam id genus Problema, quod nunquam perfecte solvi potest, ne ea, in ullo suorum conatuum, sive theoretico, sive practico subsisteret.

Obs. 1. Simulac Mundus, sicut supra delineavimus, consideratur: omnes quoque reliquae Quaestiones transcendentes, quae intuitu Mundi motae sunt, momento concidant, necesse est, v. c. Num plures Mundi dantur? (Pluralismus cosmologicus). Num hic Mundus optimus sit? (Optimismus cosmologicus). Quod priorem attinet Quaestionem: in primis ea hunc fere sensum habere potest: Num extra Tellurem nostram, quae etiam vulgo Mundi nomine audit, alia quoque similia Mundi Corpora, et praeter Systema nostrum solare, ad quod Terra na-

stra proxime pertinet, praeterque illud viae lacteae, quo Sol ipse spectat, alia quoque non dissimilia Systemata dantur: ad quam tamen Astronomia physica respondebit, idque adfirmando. Sed Sensus prioris Quaestionis, hic quoque esse potest: Num in infinito illo Spatio, quod nobis repraesentamus, plura Corporum Mundi Systemata dantur, quae in nulla Coniunctione reciproca inter se posita sunt, verum quodque eorum, plene isolatum, Totum quodpiam Phaenomenorum constituat per se, quae proinde per Spatium vacuum invicem separata esse deberent? Enimvero, cum in hac Questione, limitatio Mundi sensibilis, per Spatium vacuum sumitur, haec autem Sumtio, ut supra (Fund. §. 71. Obs.) docuimus, admitti nequit: Quaestio simpliciter neganda videtur, et potius sumendum, omnia etiam remotissima quaeque Mundi corpora, et Systemata, cum nostro in Coniunctione posita esse, cumque hoc unum Totum efficere, cuius Totalitatem tamen assequi non licet.

Quod secundam attinet Quaestionem, dubitari nequit, quod unicum est, esse quoque id optimum, quamdiu cum alio, eoque meliori non fuerit comparatum. Si quis autem asserere vellet, extra hunc Mundum, quemadmodum is, in praesentiarum comparatus est, plures adhuc alios possibiles fuisse, Deitatem autem hunc prae reliquis, velut optimum, elegisse: tum is id assereret, quod probare non posset, si quidem hoc, ultra cognitionis nostrae Sphaeram positum sit; et si is, assertionem hanc suam ad defensionem, vindiciasque Deitatis, intuitu malorum physicorum, et moralium, quae in Mundo locum habent, convertere satageret: negotium aggrederetur, cuius nec Deitas, nec sincerus eius cultor indigent.

Obs. 2. Mundus, ut Complexus Obiectorum possibilis experientiae, in legali coniunctione vocatur Natura, sensu materiali. Quod non ad Obiecta illa pertinet: extra vel supra Naturam esse putandum est. Quod Legibus Naturae convenienter evenit, Eventus naturalis, sequela talium eventuum Cursus Naturae, et congruentia harum sequelarum, Ordo Naturae dicitur. Quod ab hoc Ordine discedit: extraordinarium vocatur; et si id legibus Naturae repugnare videtur, haud naturale, vel contranaturale nuncupatur. Caeterum, observandum est, vocem hanc, contranaturale, quandoque in significatione sumi, quae alio respectu, tale quid denotat, quod prorsus naturale est. Sic aegritudo, est Status contranaturalis, quia inest in declinatione, ab Relatione illa normali, Factorum Vitae, quibus Organismus, in sua perfectione continetur, consequenter, inest illa, in abnormitate, qua, Naturae Organismi, repugnat, eumque destruere allaborat (§. 138. Obs. 1.), licet, ipsa haec abnormitas, sequela Causarum naturalium, proinde, Phaenomenon naturale sit Quid? quod iure possit asseri, Statum illum contranaturalem, in corpore nostro, crebrius locum habere, eatenusque, magis naturalem esse, quam est Status Sanitatis, eo quod haec, in sua ideali perfectione (ut perfectum Factorum Vitae aequilibrium) cogitata, nunquam perdurans esse possit, cum in qualibet, individuali organisatione, certae, et insensibiles, neque tamen incolumitatem perturbantes, occurrant abnormitates.

Quod ab ordine Naturae discedit, legibusque Naturae repugnare

videtur, Praeter- vel Supranaturale appellatur; praecipue, si id a Caussalitate Supra Naturam elata dependere cogitatur. Eventus Supranaturalis, appellatur quoque Miraculum rigorosum: nam sensu latiori, quilibet quoque extraordinarius eventus, ita vocitatur. Possibilitatem Miraculorum negare, non minoris esset arrogantiae, quam eorum exsistentiam adstruere. Ad hoc enim duo requirerentur, primum, plena historica rei in facto positae demonstratio, secundum singulares circumstantias instruenda; deinde, demonstratio philosophica, id genus Phaenomenon, nullis Naturae viribus, sive cognitis, sive incognitis, secundum leges Naturae, effici potuisse. Quare Norma est Rationis, in quantum ea, ad cognitionem grassatur, omnia Naturae congruenter explicare, ut tamen non, quidquid explicare nequeat, hac ratione, id repudiare ei liceat (§. 84. Obs. 3.).

CAPUT III. Theologia metaphysica.

§. 176. Differentia Theologiae metaphysicae, a statutaria, s. positiva.

Theologia metaphysica, est Doctrina de Deo rationalis, sensu speculativo, h. e. Scientia, quae id negotii molitur, ut Exsistentiam, Proprietates, Operaque Dei, ex principiis theoreticis, cognoscere possit. Ea itaque, ut, rationalis, de Deo doctrina universe, Theologiae positivae s. statutariae opponitur, quae Deum, ex aliqua Revelatione cognoscere allaborat: quâ autem rationalis de Deo doctrina, in significatione speculativa, Theologiae moralis s. Ethicotheologiae opponitur, quae rationalis quaedam Theologia est, sed sensu practico, estque simul Eusebiologia, s. doctrina Religionis ad Philosophiam practicam spectans (Fund. §. 130.).

Obs. Doctrina de Deo metaphysica, Theologia quoque naturalis dicta est. Sed expressio isthaec, ambigua esse videtur. Nam ea, non tantum, ut Oppositum Theologiae positivae, quemadmodum Ius Naturae, Iusque positivum, invicem discernimus: sed etiam ut Oppositum Theologiae moralis, quemadmodum Leges Naturae, et Morum distinguimus, intelligi potest. Imo expressio illa, ad solam quoque Theologiae metaphysicae partem, ad Physicotheologiam, sic dictam, referri potest: cum haec, quâ Tentamen cognitionis Dei, ex mera Naturae consideratione, obtinendae, sensu proprio Theologia Naturalis vocari debet. Quare, ob multiplicem denominationis huius significationem, merito illa antiquanda videtur.

§. 177. Coniunctio Necessitatis inconditionatae, cum summa Perfectione.

Simulac Ratio speculativa, in cosmologicis suis Investigationibus, ad Ideam inconditionatae Necessitatis deducta est (§. 174.): continuo cum ea, idque Naturae congruenter, Ideam summae Perfectionis coniungit, si quidem Inconditionalitatem illam, cum nulla omnino Limitatione defectum arguente, cogitare simul potest. At-

que hinc exsistit Idea: Complexus absolute necessarii omnium Perfectionum s. realitatum.

§. 178. Ideale Rationis: Deus.

Quamprimum Idea itaque haec ad Obiectivitatem, et Individualitatem evecta est, h. e. ea, ut Obiectum cognitionis consideratur: illico in Ideale, s. Ens Ideae adaequatum, transmutatur, quod, ut Intelligentia, s. Ens rationale liberumque cogitatum, et continuo, ut prima conditio, in Principium omnium conditionatorum constitutum, in Auctorem Mundi, ab eo divisi, extollitur. Itaque hac ratione effingitur cogitatio, de Ente originario, Ente Entium, Ente summo, Enteque perfectissimo, s. realissimo, quod una voce Deum nominamus.

§. 179. Problemata metaphysico-theologica.

Intuitu Entis huius perfectissimi, Ratio speculativa, tres cardinales condidit Quaestiones, quae Problemata metaphysico-theologica appellari possunt, puta: Exstatne id genus Ens perfectissimum? — Quibus Proprietatibus id praeditum est? — Quae sunt, quae illud, vi Proprietatum suarum effecit, hodiedumque efficit? — Atque tribus his Problematibus, nititur Distributio Theologiae metaphysicae, in Doctrinam de Exsistentia divina, de Attributis, et de Operibus divinis.

Obs. Quaestio quarta: Quomodo Ens perfectissimum colendum sit, haud quaquam huc loci spectat. Ea enim proprie id innuit: Quid est, quod, intuitu Entis illius, nobis agendum videatur: proinde simpliciter practica est, et ad Doctrinam Religionis referenda.

§. 180. Supernaturalismus, et Naturalismus.

Quod ad tres illas Quaestiones attinet: duo sunt Theologiae metaphysicae systemata cardinalia, nimirum, Supernaturalismus, et Naturalismus. Scilicet Theologus Supernaturalista (voce hac, non in sensu Facultatum, sed philosophice sumta), asserit, quod cum Deus sit Ens suprasensuale, de quo Ratio humana, sibi soli relicta, ne quidem, aut saltim, in determinatam quandam Ideam informare possit, homo, via naturali, ad nullam de Exsistentia, Proprietatibus, Operibusque Dei, cognitionem pervenire queat, verum, Deum ipsum, omnia haec eidem revelasse oportebat, atque etiam revelavit. Contra Theologus Naturalista, Possibilitatem, et Actualitatem cognitionis de Exsistentia, Proprietatibus et Operibus Dei asserit, et eam quidem via naturali s. per solam rationem consequendam.

Obs. Supernaturalismus vicissim, triplicis generis esse potest. Is scilicet, aut originariam quandam, et postmodum per Traditionem propagatam adoptat Revelationem, quae Supernaturalismus traditionalis; — aut Revelationem serius factam, verbis, scriptoque consignatam, et velut documentis firmatam, quae Supernaturalismus historicus s. diplomaticus; — aut Revelationem continuatam, hodiedum, ope luminis intestini, cum singulis hominibus communicandam, et participandam, quae Supernaturalismus mysti-

cus appellari potest. Fit quoque saepe ut una Species alteri semet adiungat. — Naturalismus autem, aut purus est, si nullam omnino Revelationem admittat: aut mixtus, si is eam, universe quidem, permittit, neque tamen eandem, ut proximum s. unicum cognitionis fontem, intuitu rerum divinarum, considerat. Naturalismus purus, simpliciter, Naturalismus quoque vocari solet. — Id vero: facile iam perspicitur, Supernaturalismum proprie, in circulo revolvi: nam is semet, intuitu Persuasionis de Exsistentia, Proprietatibus, et Operibus Dei, ad Revelationem provocat, cum tamen ipsa, sumtionis Revelationis possibilitas, Persvasione illa nitatur. Praeterea, nullum ille sufficiens, immediatarum Dei in Animo humano operationum criterium distinctivum, ab aliis operationibus extrinsecus in Animum illapsis, aut a propriis actionibus eius internis, praecipue in certis statibus exaltatis, indicare potest. Denique autem etiam si concedi debeat, cognitionem Dei sensu proprio et stricto, pro nobis, secundum connata Naturae nostrae initia, impossibilem esse: hinc tamen Supernaturalista iusto plus elicit, proinde saltum in argumentando committit. Nam ex his Praemissis, id tantum sequitur, hominem intuitu rerum divinarum, Scientiae renunciare debere, eique in Fide rationali adquiescendum esse, cum qua etiam Fides revelata, dextre intellecta, coniungi potest, ut in Doctrina Religionis exponetur. Contra si Naturalismus Scientiae suae rerum divinarum renunciare recusat: omnino audiendus est, quomodo eam defendere valeat.

§. 181. Argumenta Naturalismi, pro Exsistentia Dei.

Ut ad cognitionem Exsistentiae Dei pervenire liceat, quadruplicem viam Naturalismus ingressus est. Scilicet: quatuor Argumenta pro Exsistentia Dei demonstranda proposuit; et quidem 1) Ontologicum, in quo ex meris Conceptibus a priori, Exsistentia Entis realissimi elicita est; — 2) cosmologicum, ubi eadem, ex Contingentia Mundi universe infertur; — 3) teleologicum, quo Exsistentia Entis realissimi, ex Finalitate Mundi, intuitu omnium eius partium, probatur; — 4) historicum, in quo ea, ex consensu omnium Populorum, ad Cultum summi Numinis, ostenditur. — Argumentum tertium, physicotheologicum quoque, et peculiaris eius exhibitio scientifica Physicotheologia (§. 176. Obs.) vocatur, cuius vicissim partes sunt: Astrotheologia, Ichthyotheologia, Brontotheologia, etc. in quantum certae quaedam partes, s. Phaenomena Naturae, puta: Sidera, Pisces, Tempestates etc. etiam separatim, theologico, et physicotheologico intuitu considerari possunt.

Obs. Cum Argumentum e consensu populorum petitum, ab antiquissimis inde temporibus, ad probandam Exsistentiam Dei adhibitum sit, atque recentioribus quoque temporibus, multis certum quoddam pondus ei inesse videatur: profecto illud, in plena Argumentorum Exsistentiae Dei Examinatione, haud transiliendum videbatur. Argumentum hocce ideo potest historicum vocari, quod consensus ille, species quaedam Testimonii universalis sit; quod validumne, an secus est, expendendum omnino videtur. Quae quatuor argumenta naturalistica,

sequenti Tabella exhiberi possunt. Scilicet: Exsistentia Dei ostenda erat:

I. Supernaturalistice, — per Revelationem.

II. Naturalistice, — independenter a Revelatione et quidem:

1) a priori ex meris Conceptibus s. Ontologice, v. rationaliter.

2) a posteriori, h. e. ex Experientia.

a) in Coniunctione cum Conceptibus illis, s. empirico-rationaliter.

α) provocatione ad Empiricam rerum exsistentiam universe, ut contingens quidpiam, consideratam h. e. cosmologice.

β) provocatione ad empiricam rerum determinatarum Exsistentiam, ut finale quidpiam, consideratam, s. teleologice, v. physicotheologice.

b) Sine coniunctione cum conceptibus illis, — v. ex mera Experientia s. historice. Caeterum, cum Fidei in Deum, s. religiosae, de Realitate summi Principii moralis Mundi ordinis, Persuasioni, sponte annuimus; si quidem illa, a dictis illis argumentis prorsus independenter, in Animo humano, et generatur et conservatur perpetuo: eo liberius illa explorationi subiici possunt. Nam ponas Argumenta illa iunctim sumta, ad theoreticam Persuasionem efficiendam nullam vim adferre sufficientem: neque tamen Persuasio nostra per hoc in minimum periculum vocaretur (Log. §. 186. Obs. 2. n. 4), quin potius illa, ob eam ipsam caussam, supra omnia argumenta illusoria, a Scepsi, malitiaque excogitata, extolletur. Quod enim universe, Speculationis Obiectum non est: neque etiam a Speculatione, iure addubitari, aut negari potest.

§. 182. Argumentum Ontologicum.

In Argumento Ontologico, sequenti ratione concluditur: Conceptus Dei, s. Idea Entis supremi perfectissimique, nullam continet repugnantiam: ergo id genus Ens est possibile. Atqui Exsistentia, ad Perfectiones illas pertinet, quae Deo, vi Conceptus illius, propriae sunt. Proinde in repugnantiam implicaremur, si Deo Exsistentiam, absque qua Conceptus ille plene cogitari nequiret, denegare vellemus. Consequenter, id genus Ens re vera exstat, quoniam est possibile, — h. e. est illud necessario.

Obs. In hoc Argumento, quod etiam Cartesianum vocatur, licet id Seculo iam XI. ab Anselmo Cantuariensi, proditum fuit, principio quidem ex mera Repugnantiae absentia, a Conceptu de Deo, Possibilitas eiusdem universe elicitur, quamvis inde, non nisi Possibilitas logica consequitur (Log. §. 15. Obs 2. et §. 22. Obs. 2.). Deinde, simpliciter falsa est assertio, Exsistentiam, ad Perfectiones pertinere, quae Deitati, vi Conceptus de eo propriae sunt. Nam Praedicatum Exsistentiae, s. Actualitatis, nullam proprietatem s. Perfectionem rei cuiuslibet significat, verum meram eius Relationem, cum omnibus suis Proprietatibus, s. Perfectionibus, ad Facultatem nostram cognoscitivam, h. e. id genus eiusdem Relationem, quae cognitionis nostrae Sphaeram subit (§. 41. Obs. 2.). Quare rem quampiam, de qua dicimus: Ea est, haud perfectione aliqua praeditam cogitamus, qua prius praedita non fuisset: sed tantum, in mera relatione ad nos ipsos, qua cogitantes, eandem repraesen-

tamus. Pariter, si de ea dicimus: Ea non est, nulla ipsam perfectione spoliamus, verum Relationem duntaxat sustulimus. Consequenter nulla quoque Repugnantia exsistit, si in quopiam iudicio, de Subiecto, Deus, Non-exsistentiam praedicamus, quia Oppositum huius Praedicati, non in mero Conceptu de Deo, sicut in nullo quoque alio, de re quapiam, Conceptu, contentum est. Repugnantia tum demum exsistit, si Subiectum pono, et Praedicatum ei necessario competens tollo, v. c. si dicerem: Corpus Geometricum non esse extensum; non autem si Subiectum, cum suis Praedicatis tollo, iuxta decretum: Sublata re; tollitur etiam qualitas rei, v. c. Corpus Geometricum non exstat. Ergo in Argumento Ontologico, id ipsum quod demonstrandum fuisset, non nisi emendicatum, s. obreptitium est, quod Petitionem Principii Logici vocant (Log. §. 133, n. 1. et Obs. 1.).

§. 183. Argumentum Cosmologicum.

In Argumento Cosmologico, sequenti ratione concluditur: Exsistentia rerum in Mundo, est mutabilis, proinde contingens. Nam Experientia, constantem vicissitudinem determinationum, perpetuumque ortum, et interitum, nobis in Mundo sensibili annunciat. Si quod itaque Ens contingens uspiam exstat: Ens quoque absolute necessarium exstet necesse est; quoniam, non omne quod exstat, contingens esse potest, verum exstare aliquid debet, quod plenam tam propriae suae, quam etiam omnis reliquae existentiae, rationem in se contineat, cum secus nulla uspiam sufficiens Existentiae ratio daretur. Sed Ens, absolute necessarium, ut Ens summis quibuslibet Perfectionibus praeditum, cogitari debet, cum secus comprehendi non posset, quomodo id, et suae propriae, et omnis reliquae exsistentiae rationem, in se continere queat. Ergo Ens summum s. Deitas necessario existit.

Obs. Demonstratio haec, quae etiam Argumentum a Contingentia Mundi petitum vocatur, proprie, occultata illa Ontologica esse putanda est. Nam Experientia in principio, idcirco tantum adhibetur, ut ad Conceptum Entis absolute necessarii, transire liceat, et tum quaeritur, quomodo id genus Ens cogitare amplius oporteat? Hoc fine sumitur itaque Ens illud, omnium perfectissimum esse debere. Quare ponitur in antecessum, omne Ens absolute necessarium, etiam omnium perfectissimum esse. Quae Enunciatio, si vera est, saltim deminuta Quantitate convertendo (Log. §. 98. Obs. 2.), in hanc Enunciationem transmutabitur. Quaedam Entia perfectissima, sunt Entia absolute necessaria. Cum vero Ens huius generis, alii Enti absoluta exsistendi necessitate praecellere non posset, cum secus hoc, minus perfectum foret: vi simplicis Conversionis, dicendum quoque esset: Quodlibet Ens perfectissimum, est etiam simul Ens absolute necessarium. Quare ex solo ipso id genus Entis Conceptu, ad eiusdem Exsistentiam concludendum esset, quemadmodum in Argumento Ontologico, licet falso factum esse vidimus. — Accedit, quod in Argumento Cosmologico, lex causalitatis Naturae, quae duntaxat, intuitu Obiectorum Experientiae valida est, in transcendentem usum convertitur, ut sic, Ens quoddam absolute necessarium, quod inter illa Obiecta omnino reperiri nequit, inveniatur.

— Denique, ipsa quoque Ratio se decipit, cum Totalitatem omnium serierum, rerum mutabilium, et contingentium, per hoc comprehendisse autumat, quod postremo conditionatum quodque tollit, et *eo* Inconditionatum cogitat. Nam Existentia absolute necessaria, simpliciter incomprehensibilis est: proinde nihil eo proprie comprehendimus, si Existentiam contingentem, ex illa volumus explicare.

§. 184. Argumentum physicotheologicum.

In Argumento teleologico, s. physicotheologico, sequenti ratione concluditur: Mundus perspicuissima, admirandae Finalitatis, vestigia, ubique in se continet, h. e. illius rerum ordinationis, et coniunctionis, vi cuius eae, ita ad se invicem reciproce referuntur, quemadmodum Instrumenta, et Fines. Finalitas haec, ut Contingens quidpiam debet, a nobis diiudicari, cum perspici nequeat, quomodo Natura, secundum coecam necessitatem agens, res diversas, tam multiplici ratione, adque fines tam varios, possit adunare. Eae, itaque, rationali aliquo Principio secundum Ideas, pro fundamento substratas, cum libertate productae esse debebant, h. e. ratio Exsistentiae Mundi, tantopere finalis, extra Mundum in una, aut pluribus Intelligentiis posita esse debet. Ut plures huius generis Intelligentiae adoptentur, nulla adest ratio: quin potius unitas, s. perfecta omnium mundi partium, nobis cognitarum, Harmonia, ut unicum tantum Ens, qua Auctorem eius sumamus, diligenter inculcat. Sed hoc Ens absolute necessarium esse debet, eo quod Mundus, intuitu Finalitatis suae, ut contingens apparet. Ens autem absolute necessarium, non nisi id esse potest, quod simul, Ens est omnium perfectissimum. Ergo Ens perfectissimum, quâ Mundi Auctor, s. Deus necessario existit.

Obs. Facile perspicitur, Demonstrationem hanc, quamvis ea, in primordio, ad solam determinatam Experientiam, puta: Cursus Siderum, Proprietatum, et Relationum Regni Animalis, vegetativique provocat: tamen postremo, ad Argumentum cosmologicum; atque Ontologicum recurrit, talique progressu demum Argumentationum, suam obtinet firmitatem, et consummationem, proinde intuitu speculativo, cum iis congruere. Accedit, quod analogica concludendi ratio, a similitudine Naturae, eiusque Productorum, cum artefactis humanis, ad similem, puta: rationalem et liberam illorum caussam, partim in se et per se, non nisi Probabilitatem suppeditat, (Log. §. 168 et 169.) partim nullam, hic habere potest accomodationem securam, eo quod, in artefactis humanis, res naturales, vi externa coactae, finibus obsecundant, qui iis alieni sunt v. c. Metallum in Horologio, in Natura autem, res, propriis suis viribus, modo finali agunt, proinde similitudo illa, nimium quantum remota est. Quamobrem, hac argumentandi ratione, id tantum effici posset, Architectum aliquem Mundi dari, non Auctorem sensu perfecto, vel quod idem est, Creatorem. Nam Finalitas rerum in Mundo, solam earum Formam attingit, non materiam, quae etiam cuique Artifici humano, qui finale quidpiam moliri meditatur, data esse debet. Quod autem Materia Mundi finalem hanc formam, haud recipere posset, quin ea ipsa, Entis rationalis, et liberi Productum

sit, hoc est, quod nunquam demonstrari potest. Denique conceptus quoque nostri, de finalitate rerum naturali, in Mundo, nimiopere limitati et indeterminati sunt, atque etiam, ut in infinita Naturae varietate, ac magnitudine, in perpetuum tales sint necesse est, adeo, ut ii, nunquam ad absolutam Perfectionum divinarum Totalitatem, adaequatumque de iis Conceptum, deducere nos valeant. Quare, secundum hanc concludendi rationem, proprie, non nisi valde potentem, valde Sapientem etc. Formae Mundi Auctorem, non autem absolute perfectum, Creatorem Mundi, sumere possemus, nisi, saltum in argumentando committere, aut plus in Conclusione inferre vellemus, quam, quantum Praemissae permittant. Unde sequitur Argumentum teleologicum in se, et per se, nullam probandi vim habere. Neque tamen hinc inferendum, Physicotheologiam, quasi omni fundamento careat, repudiandam esse, sed hoc tantum, eam aliis caussis evincentibus, altiorique sanctione opus habere, scilicet, simulac Fides in Deum in Animo religioso explicata est: illico ius quoque consequitur, universam Naturam, intuitu religioso considerandi, vestigiaque divinitatis ubique in Universo anquirendi. Hac re demum nanciscitur Fides illa, extrinsecus quoque alimentum, radicesque, tam profundas in Animo agit, ut prorsus inconcussa esse videatur. Physicotheologia itaque, locum suum in Metaphysica deserere, aliamque in Doctrina Religionis s. Ethicotheologia habitationem eligere, condereque debet, cum haec, plus omnino firmitatis illic habitura est, quam si semet Ontologiae, Cosmologiaeque adiunxerit. Intitu vero illo religioso, Physicotheologia non toleranda modo opinanda est, verum ut omni, quae fieri potest, virium contentione, commendetur ac perpoliatur, multum sua Philosophi moralis interest.

§. 185. Argumentum historicum.

Denique in Argumento historico, sequenti ratione concluditur: Inter omnes easque diversissimas Nationes, in quas genus humanum divisum est, ab antiquissimis inde temporibus, ut irrefragabilia Historiarum testimonia comprobant, certi Adparatus, certaque Instituta reperiebantur, quae ad Cultum Deitatis spectabant. Sed Cultus Deitatis, persuasionem de Exsistentia eiusdem sumit. Ergo hanc Rationis humanae Persuasionem, tam naturalem ac necessariam esse consequitur, ut irrationale, et propemodum brutale foret, nullam adoptare Deitatem. Undecunque igitur Persuasio illa, de Exsistentia Dei, in Animum humanum illapsa sit, et quantumvis, varia nomina, variaeque fuerint Formae, sub quibus Ens supremum ab omni retro inde aetate cultum sit: eius tamen Exsistentia, nulla ratione addubitanda, seu neganda videtur.

Obs. 1. Argumentum historicum, haud quaquam eo refutari potest, quod fuerint, sintque hodiedum, populi singulares, apud quos, nullum Cultus vestigium, imo ne Conceptus quidem Deitatis, habeat locum. Nam in contrarium negare, iure licebit, partim paucos hos populos, intuitu prolixae numerositatis reliquorum, in nullam venire posse considerationem: partim incultos prorsus eos esse populos, in quibus Ratio, nondum ad illum Perfectionis gradum, ematuruit, qui

necessarius omnino est, ut Conceptum sibi de Deo informare, colereque eum possint, partim denique, absolutum Conceptus illis, Cultusque defectum, in quo demum cumque populo, nondum sufficienter esse probatum, cum defectus determinatorum terminorum, ad summum Numen designandum, actuumque publicorum, ad Cultum contestandum directorum, absolutum illum defectum non evincat. — Neque etiam per hoc, vis Argumenti huius, elidi potest, quod tam multi antiquiores, recentioresque populi, non supremum quoddam s. perfectissimum Ens coluerint, colantque, sed certa tantum Entia sublimiora, tanquam Suprahumana, quae vix nomen Deitatis mereantur. Nam ad hoc vicissim, responderi potest, quod quamvis plurimae Nationes, plures Deos coluerint, maiori tamen ex parte, unum inter eos, ut summum sint veneratae; partim quod altior Rationis cultura, ad hoc necessaria est, ut ea, ad purum Deitatis ideale cogitandum, colendumque extollatur.

Obs. 2. Unica, quae infirmitatem Argumenti historici probat, ratio est, quod Exsistentia Dei universe, via historica, demonstrari nequeat, cum id genus demonstratio intuitu Obiecti, quod percipi non potest, in se, et per se vana, nullaque est, si quidem monente Cicerone, Philosophi non est testibus uti, sed argumentis cum, et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere. Quodsi in hac demonstratione sumeretur, Deitatem principio hominibus se revelasse, et post modum, Revelationem hanc de Populo, ad Populum, traditione fuisse propagatam: tum vero ad traditionalem deduceremur Supernaturalismum, quem supra (§. 180. Obs.) iam reiecimus. Interea tamen, ex Argumento illo historico, id elucet, quod cum Fides in Deum, inter homines, tam longe lateque semet extenderit, ut ea, re ipsa, pro omnimode valenti propemodum habenda videatur: rationem quampiam universalem eius, in Natura humana positam esse, oportet, quae Rationi philosophanti, investiganda est, quaeque non alia est, quam moralis hominis conditio, ut in Archologia (Fund. §. 84.) dictum est, cuius uberior Explanatio, ad Doctrinam Religionis philosophicam pertinet.

§. 186. Deismus s. Theismus. Atheismus. Pantheismus.

Quamquam vero, ex instituta hactenus, Argumentorum pro Exsistentia Dei, Examinatione, sequatur, eam speculative indemonstrabilem esse, proinde Conceptum Entis perfectissimi, intuitu theoretico, in mero Rationis Ideali versari: attamen hinc, id quoque simul perspicuum fit, Non-exsistentiam Dei, ex speculativa Ratione, multo minus esse demonstrabilem, et Atheismum, qui eam ostendere vellet; longe adhuc immodestiorem esse Rationis speculativae Arrogantiam. Nam quomodo, et qua re posset Atheus probare, Conceptui, qui per se nihil repugnantiae in se continet, neque etiam arbitrarie, ut res ficta, per imaginationem, sed, quâ, Idea, necessario per Rationem delineatus, ac constitutus est, nihil plane reale, s. nullam Obiectivitatem respondere?

Obs. Deistis, aut Theistis (nam nullum reale inter hos intercedit discrimen, licet Kantii Auctoritate statutum), quorum nomine, omnes ii universe intelligendi sunt, qui de Exsistentia Dei, quamcunque demum

ob caussam persuasi sunt: Atheistae opponuntur. Ii imprimis, distribuuntur, in theoreticos, qui ex mero errore, et practicos qui ex malitiosa indole Deum negant. Athei practici, in Deum credere recusant, atque etiam ita agunt, tanquam qui, nullum Deum credant. Quemadmodum interim fieri potest, ut quispiam falsa speculatione seductus, Deitatem theoretice neget, et tamen practice recognoscat: ad eundem modum, in practica eius negatione, theoretica eiusdem recognitio possibilis est. — Porro Atheistae dividuntur in negativos, qui nullum plane Conceptum de Deitate habent, et in positivos, qui Non-exsistentiam eius adstruunt. Sed cum Athei negativi, Deum haud negant, verum ignorant tantum: ii sensu tantum etymologico possunt Athei nominari, quippe qui, re vera, sine Deo sunt. Hoc sensu Atheus negativus, est Expressio pleonastica, illa autem Athei positivi contradictoria. Homo animalis, et prorsus incultus autem, qui ne Conceptum quidem de Deo habet, quales sunt v. c. incolae feri in California, Abiponi et alii, tam minime Athei dicendi sunt, quam infantes, quippe qui ad hoc Rationis Ideale, nondum ematuruere.

Caeterum Atheismus, saepe numero Personam sibi obduxit, vocem Deitatis in alia prorsus significatione usurpando, ut factum est in Pantheismo s. Spinozismo, qui Mundum, s. το Universum, pro Ente absolute necessario, s. perfectissimo venditavit (Fund. §. 64. Obs. 3.). Pariter in Casualismo Epicureo, secundum quem Mundus, ex fortuito Atomorum, ab omni aeternitate in motu constitutarum concursu, absque ulla altioris Principii ope, natus est, sermo de Diis interponebatur: verum Deitates hae, cum suo illo: Quasi-corpus, et Quasi-sanguis, procul dubio ad externam duntaxat speciem exornandam adductae sunt, et ut fercula supervacanea, Parergon effecere.

§. 187. Attributa Dei. Antropomorphismus. Idololatria.

Nomine Proprietatum Dei, s. Attributorum divinorum, ii intelliguntur Conceptus, qui ad Deitatem, in quantum ea, ut Ens actuale cogitandum est, qua criteria referenda sunt, proinde id genus Praedicata, quibus Forma exsistentiae eius propius debet determinari. Conceptus hi, in quantum ad ideale Rationis referuntur, in Ideis ipsi inesse debent, quorum ope Ideale illud, tanquam in singularibus lineamentis v. c. in Omnipotentia, Omniscientia etc. exhibetur.

Obs. 1. Id sine negotio hic in antecessum intelligitur, quod cum Deitas universe, quoad nos, Obiectum cognitionis esse, et fieri nequeat, et Speculatio, ne exsistentiam quidem eius sufficienter possit cognoscere: profecto neque Atributa divina, s. Forma exsistentiae Deitatis nobis, via Rationis speculativae potest esse cognoscibilis. Quare, Rationi, de imperceptibili illo ineffabilique Ente (αφαντον και αφατον) reverenter potius tacendum est, quam, ut, de Proprietatibus eiusdem, in iusto subtiliorem semet Indagationem, immittat, aut ad controversiam descendat. Interea unam eandemque Perfectionem divinam, (absolutam Deitatis Plenitudinem) non aliter nobis repraesentare possumus, quam si eam, in plures easque diversas Perfectiones diviserimus, hasque, ut Attributa summi Numinis, symbolice, i. e. certis signis indicaveri-

mus. Simulac itaque nobis, a falsa illa imaginatione, et Arrogantia temperabimus, quasi ope huius Distributionis, et Designationis, ipsum Ens Entium, s. Ens summum, in sua essentia comprehendissemus, planeque assecuti fuissemus: licebit humanam repraesentandi rationem etiam intuitu Divinitatis sequi.

Obs. 2. Ad Proprietates divinas determinandas, Scholastici iam, tres methodos, ut pote: Viam Caussalitatis, — Viam Negationis, — et Viam Eminentiae commendarunt. Secundum primam, inferendum videtur, Deum, quâ Auctorem Mundi, omnes illas Perfectiones possidere debere, quas rebus creatis, praecipue hominibus, quippe relative omnium earum perfectissimis, proinde ad suam imaginem procreatis, impertiit, — secundum alteram, Deum tamen simul, a defectibus, vitiositateque creaturarum suarum, liberum et immunem esse debere, — denique secundum tertiam, Deum potius Perfectionibus illis, in gradu supremo praeditum esse oportere.

Enimvero, perspicuum est, duas postremas vias, in solis cautelis versari, ne viâ primâ, in errores delabamur, proinde, unam proprie superesse viam, quae tamen, non obstantibus illis cautelis, anceps est, et solidam expostulat considerationem. Nam Argumentum a nobis ipsis, tanquam perfectissimis, quas cognoscimus creaturis, ad Deitatem, qua Creatorem ductum, non tantum in se, et per se, haud securum est, quippe mere analogicum; quo accedit etiam, quod hic Experientia, quae in omnibus Argumentationibus analogicis, pro fundamento posita esse debet, intuitu secundi Obiecti, prorsus deest; sed etiam eo ad Antropomorphismum, quo Deitas, ad nostram potius imaginem effingitur, necessario deducimur. Interea, licet haec agendi ratio, Postulatis Rationis intuitu sui Idealis, non plene satisfacit: ea tamen sola nobis superest, cum de Proprietatibus Dei sermo est. Praeterea Anthropomorphismus, etiam intuitu practico, non necessario noxius est, simulac, perpetua τοῦ Idealis repraesentatione, diligenter cavetur, ne is in varium simulacrorum genus degeneret, quod ipsum, pro Deitate semet nobis, ut Obiectum Cultus obtrudat. Tum enim Deitas, in Idolum et Cultus sanctissimi Entis, in Idololatriam convertitur; quo facto, Moralitas, in gravissimum periculum praecipitatur.

§. 188. Attributa Dei originaria, et derivata, — naturalia, et moralia, — interna et externa.

Attributa divina, trifariam distribuuntur. Primum quidem dividuntur illa in primaria, et secundaria. Attributa primaria non alia sunt, quam determinationes supra (§. 177 et 178.) exhibitae, quippe quae, immediate ad Ideale Deitatis constituendum, pertinent. Hic ergo, non nisi aliae Deitatis determinationes, quae ex illis emergunt, exponi debent, quaeve, in secundariis Attributis insunt. — Deinde dividuntur Attributa Dei in physica, et moralia. Attributa moralia, simpliciter ad Deum, qua Ens sanctissimum, eiusque cultum referuntur, proinde ea, ad Doctrinam Religionis spectant. Attributa autem physica, de quibus, solis, sermo hic loci esse potest, metaphysica potius appellari deberent, cum Deus sensu proprio, non ad Naturam pertineat, proinde nihil quoque ei, quod physicum est attribui possit. — Denique,

dividuntur Attributa divina, in immanentia et transeuntia. Attributa immanentia sunt, quae intuitu Mundi inefficacia sunt: transeuntia, quae efficacia esse videntur. Sed postrema haec discriminis ratio, nullius est significationis, quid? quod falsis quoque repraesentationibus, ansam ea praebere posset, quasi Deitas, quo demum cunque intuitu, inefficax esse posset.

Obs. Conatus, plenam, ac systematicam Attributorum Dei Classificationem proponendi, absurdissimus eorum est, quos unquam Metaphysica potuerit instituere, quasi Plenitudinem Deitatis, secundum Schema logicum emetiri liceat. Quare, hoc loco satis erit Praedicata illa, quae, Attributis Dei accensentur, proponere, strictimque illustrare.

1) Unitas. Vi huius Attributi Deus, ut unicus, et quidem, tam numerice, quâ Ens numero unum, quam specifice, quâ Ens in suo genere unicum, cogitatur, ita quidem, ut nec plures Dii, eiusdem Dignitatis, nec plures eorum species, ordinesque, seu Dii maiorum et minorum gentium sumendi sint. Videlicet, cum Sumtio unius Dei, seu Monotheismus, Rationi prorsus satisfacit: nulla rationabilis Caussa allegari potest, cur plures Dii (Polytheismus) adoptari possint, et simulac ulla Deitas, ita dicta, minus perfecta foret, quam alia, illa, Ens perfectissimum dici non posset, proinde, neque etiam Deus veri nominis.

2) Simplicitas, vi cuius Deitas, non ut Aggregatum plurium rerum, s. Ens compositum cogitatur: eo quod in Aggregato, partes se mutuo limitant, ex Conceptu autem Deitatis, quaelibet limitatio, longe removenda est.

3) Independentia absoluta s. Aseitas, vi cuius Deitas, per se ipsa est, quod est, cum quaelibet dependentiae species in limitatione inest.

4) Omnisufficientia παυταυταρκεια, vi cuius Deitas, ad efficientiam suam, nullo peregrino eget auxilio, cum sic, Ens foret limitibus adstrictum.

5) Omnipotentia, vi cuius Deitas, in sua efficientia, nulla re externa limitatur. Num Deus, contradictorium, malumque morale, facere possit, Quaestio non minus est absurda, quam illa, Professoris olim Ingolstadiensis: Num Deus l. possit, quemadmodum c.

6) Omniscientia, vi cuius Deus, intuitu eius, quod nos, Cognitionem nominamus, nullis limitibus subiectus est, unde sponte sequitur, quod in omni hac cognitione, quae immediata omnis cognoscibilis Intuitio dici posset, si modo το transcendens universe, sic exprimere liceat, de Praescientia (Futuri), et de Scientia του Possibilis, seu Scientia media, ne Verbum quidem pronunciari posse, cum Conceptus Futuritionis, et Possibilitatis, duntaxat ad originarias, propriae nostrae Cognitionis conditiones, referantur. Proinde, singularis quoque illa, et mira Quaestio: Num Praescientia Dei, libertatem futurarum nostrarum actionum tollat, concidat necesse est.

7) Omnipraesentia, vi cuius Exsistentia, et Efficientia Dei, a nullis spatiosis dependet, conditionibus: pariter

8) Aeternitas, vi cuius Exsistentia, Efficientiaque Dei, a nul-

lis temporalibus pendet conditionibus. Caeterum, sponte id intelligitur, quod cum Spatium et Tempus, duntaxat ad Formam Exsistentiae Efficientiaeque rerum, sensualiter rupraesentatarum pertinet, ea ad Deum applicare, impossibile esse. Quare, neque Omnipraesentia, ut Exsistentia, et Efficientia, in omnibus Spatiis, neque Aeternitas, ut Exsistentia, et Efficientia, in omnibus Temporibus, sumi debent.

9) Immutabilitas, vi cuius in Deo, nulla determinationum vicissitudo, locum habet. Denique

10) Infinitas, et Immensitas, vi quarum Deitas, numero et mensura determinari nequit.

Caeterum, id quoque facile hic perspicitur, dictas has Proprietates, proprie, nonnisi verbis inter se differre, Expositiones earum, meras esse verborum illustrationes, et praeterea, criteria esse mere negativa, cuius rei ratio, ex iis, quae supra (§. 187. Obs.) dicta sunt, sine negotio elucet.

§. 189. Opera Dei. Creatio. Conservatio. Gubernatio. Providentia.

Nomine Operum divinorum effectus illi intelliguntur, qui ad Deitatem, tamquam originariam, omnium rationem, referendi sunt. Quare nomine illius expressionis, Vis infinita originaria, tanquam ex se ipsa exire, et semet, in τῳ Finito exhibere, cogitatur, proinde Finitum, ut Productum Infiniti, universe repraesentatur. Finitum autem, quâ huius generis Productum, intuitu suae originis, durationis, mutabilitatisque suae, universe potest cogitari, unde Conceptus trium Operationum divinarum cardinalium emergunt, quae Creatio, Conservatio, et Gubernatio Mundi appellantur.

Obs. 1. Cum de Operibus Dei sermo est, nihil aliud eo nomine intelligitur, quam Relatio Mundi ad Deitatem, quam nos, pro nostra cogitandi ratione duntaxat, ut Relationem Dependentiae cogitare possumus. Id genus Relatio autem, nonnisi tunc a nobis potest cognosci re vera, si res in in Relatione cogitatae, utrinque Phaenomena sunt: cum vero id, hic non obtinet, Efficientia Dei, tam inperscrutabilis nobis videri debet, quam Exsistentia et Attributa eiusdem. Eo tamen non obstante, Relationem illam Metaphysici, propius determinare annisi sunt, Mundumque, ut dependentem a Deo, triplici intuitu cogitare instituerunt. Scilicet Mundus, ut quidpiam, quod ortum est, ad Deitatem, velut Ens, quod non est ortum, — tum ut caducum quidpiam ad Deum, quâ Ens perenne, — denique, ut mutabile quidpiam, ad Deum, quâ immutabilem, referri potest; proinde τὸ Infinitum, ut originariam omnium finitorum rationem triplici intuitu licet cogitare, puta, quâ Creatorem, Conservatorem, Rectoremque Mundi. Est haec illa repraesentandi ratio, quae manifeste, duntaxat a propria nostra agendi ratione mutuata est, et mutatis mutandis ad Deum translata.

Obs. 2. Itaque Creatio est id genus Efficientia Dei, vi cuius Mundus, intuitu originis suae, ut dependens ab eo cogitatur. In quantum dependentia isthaec, haud ad solam Formam, verum etiam ad Materiam Mundi refertur: Efficientia Dei dicitur, Productio, seu Creatio ex Nihilo (§. 73. Obs.), quo intuitu, Effectio Materiae,

ab elaboratione eiusdem ad Totum quoddam organicum, ut Creatio prima, et secunda, discernitur, ut tamen hac cogitandi ratione, nulla realis actionum successio indicetur. Universe autem modus, quo Finitum ex Infinito prodierit, determinari nequit; multo minus etiam, Expressio: Emanationis Mundi, ex Deo, approbanda, quippe puerilis, et Philosopho maiorem in modum indigna: quo sensu Mundus, non Productum Dei, sed Eductum ex Deo dici deberet.

Conservatio, est id genus Actuositas Dei, vi cuius Mundus, intuitu suae Durationis, ut dependens a Deitate cogitatur. Haec est ratio, cur illa Creatio etiam continuata esse videatur, si quidem actu Creationis, et Conservationis coniuncto, Deus, quâ originaria, omnis finitae Exsistentiae, Caussa, potest universe cogitari: adeo, ut hoc titulo, omnes in Mundo res, creaturae divinae vocari queant.

Denique, Rectio, seu Gubernatio, est ea Deitatis Efficientia, vi cuius Mundus, intuitu mutationum suarum, ut dependens a Deo cogitatur. Atque hoc Conceptu, successiva Mundi Phaenomena universe, ad Deitatem, ut rationem originariam referuntur, licet cuiusque peculiaris Phaenomeni ratio singularis, in catena Caussarum et Effectuum naturalium, reperiri et dari debeat. Gubernatio Dei, ut Cura eius in Creaturas suas impensa, Providentia vocatur, a Praevidentia discernenda. Num autem Providentia, ad res quoque singulares extendatur, an tantum ad Totum porrigatur, h. e. ut Scholae loquuntur: Num Providentia sit generalis tantum, an etiam specialis, et specialissima, Quaestio est, si sensu sumas literali, absurda, cum ea, unice sumtione certorum Scientiae, actionisque humanae limitum, nitatur. Neque tamen improbandum, si Doctrina Religionis popularis, dum ad captum plebis proponitur, Providentiam specialem, et specialissimam pertractet, — sed quod a loco Metaphysicae alienum esse debet.

AESTHETICA

seu

Geumatologia.

Conspectus.

Introductio.	§.	1 — 3
I. Pars. Aesthetica pura.	»	4 — 54
1. Sectio. Ideologia aesthetica. . . .	»	5 — 48
a. Caput. Calleologia.	»	6 — 23
b. Caput. Hypseologia.	»	24 — 30
c. Caput. Syngeneiologia. . . .	»	31 — 48
2. Sectio. Crimatologia aesthetica. . .	»	49 — 54
II. Pars. Aesthetica applicata.	»	55 — 97
1. Sectio. Calleotechnica universalis. . .	»	58 — 66
2. Sectio. Calleotechnica particularis. . .	»	67 — 72
a. Caput. Calleotechnica tonica. . .	»	73 — 80
b. Caput. Calleotechnica plastica. . .	»	81 — 88
c. Caput. Calleotechnica mimica. . .	»	89 — 97

Introductio.

§. 1. Conceptus Aestheticae, nomenque.

Aesthetica, est scientia de originaria Mentis humanae legalitate, intuitu illius actuositatis eiusdem, quâ Obiectum in sua ad Tactum voluptatis ac taedii relatione cognoscitur, proinde id, ut Obiectum Gustus diiudicatur (Fund. §. 129.), quae caussa est, quod illa, Geumatologia quoque, seu Doctrina Gustus appelletur. Aesthetica autem (αισθητικη scil. επιστημη) idcirco nuncupatur, quoniam, quod Gustum originariis mentis humanae legibus congruenter afficit: id intuendum ac sentiendum est; proinde, Obiectum quoque Repraesentationis sensibilis esse debet.

Obs. 1. Vox αισθησις, sensu latiori, partim Sensum ipsum, quâ sensitivam repraesentandi facultatem, partim Perceptionem sensibus obtentam denotat: sensu autem angustiori, illam ipsam Repraesentationem sensibilem, seu, Sensationem, quâ actum designat, in qua, quod percipitur, proxime ad Subiectivum refertur, atque ab Obiectiva Repraesentatione, quam Intuitionem dicimus, distinguitur. Quare, si Conceptus Aestheticae, etymologice duntaxat videretur determinandus: id genus Scientia illa foret, quae leges Facultatis sentiendi, atque sensationes originarias in se complecteretur. Enimvero, quia, et Intuitio, et Sensatio, ad cognitionem Obiectorum spectant: intelligitur, et percipiendi, et sentiendi doctrinam, partim ad Anthropologiam, partim ad Psychologiam empiricam pertinere, proinde Aestheticam, neutro sensu, peculiarem illam scientiam philosophicam fore, qualem hodie, nomine eiusdem intelligimus. Quare a temporibus inde Baumgartenii, qui annis 1750 — 1758 prima Aestheticae fundamenta posuit, angustissima illa voci, Aestheticae significatio assignata est, quam in §. nunc statim exposuimus. Certe, id genus Philosophiae theoreticae Systema, quod Obiecta Repraesentationum nostrarum, intuitu quoque Tactus voluptatis et taedii, seu velut universalis et necessariae complacentiae Obiecta, haud quaquam ponderaret, mancum foret, atque vitiosum. Quamobrem, non ipsa Perceptio atque Sensatio, velut elementa Cognitionis, sed obvia in Obiectis cognitionis Pulchri atque Sublimis Perceptio, Sensatioque, vi cuius ea Obiecta fiunt Gustus, Diiudicatioque eorum his innixa sunt, de quibus hoc loco commentandum est, quo sic viam quoque simul ad practicas Philosophiae institutiones emuniamus, eoque quidem id magis, quod Aesthetica, velut commune quoddam vinculum sit, quo theoretica et practica Philosophia inter se coniunguntur.

Quo posito, ad Quaestionem quoque simul iam licebit respondere: Ulla ne Pulchri Metaphysica detur? Sane eam dari affirmandum est. Cum enim Pulchrum, quemadmodum etiam, quidquid respecta

aesthetico nobis placet, in determinata quadam relatione, ad Facultatem Mentis cognoscendi positum esse debet: intelligitur Aestheticam, ut rationes Complacentiae aestheticae liceat invenire, Metaphysicae esse adiungendam, si quidem investigationes Metaphysicae, sine sumtione decretorum metaphysicorum, perfici nequeant. Neque tamen idcirco Aesthetica, aut Metaphysica, aut pars eius esse putanda est, quemadmodum Metaphysica quoque, neque Logica est, neque partem eius efficit, eo quod huius decreta praesupponat.

Obs. 2. Cum Aestheticam, Doctrinam Gustus (γευματολογια) appellamus: nomine Gustus, haud quaquam organicum, seu materialem sensum, quippe sensuum externorum quintum, intelligimus: verum intellectualem, seu spiritualem illum Gustum, qui in interna aesthetica diiudicandi facultate inest. Sunt qui in vicem Doctrinae Gustus, libentius, Aestheticam, Criticam Gustus putent appellandam, eo quod Gustus, minime queat doceri, sed tantum investigando examinari, corrigi et perpoliri. Enimvero, cum quemlibet scientificum, certorum decretorum et consectariorum complexum, Doctrinam, seu, Disciplinam appellemus: nihil obstat, quo minus Aestheticam quoque, Doctrinam Gustus liceat nuncupare, quemadmodum, Ethica quoque, Doctrina Virtutis, et Philosophia Religionis, Doctrina Religionis nominantur, quantumvis sensu proprio, non magis possunt Virtus, Religioque docendo communicari, quam Gustus.

Obs. 3. Est quoque Aesthetica non raro, pro Theoria Artium pulchrarum, et Scientiarum habita, hocque nomine vocitata. Enim vero, declarationem, denominationemque hanc irritam esse, vel ex eo liquet, quod nullae universe Scientiae pulchrae, sed Artes tantum dentur pulchrae. Ars videlicet, ut infra videbitur, nonnisi in tantum pulchra nuncupatur, in quantum ea unice, in eo est occupata, quomodo queat aesthetice complacens quidpiam progignere et exhibere, quo negotio Scientia nunquam districta est, eo solum intenta, ut Veritatem adinveniat, inventamque propinare aliis valeat. Quare, ne Aesthetica quidem, ut ut illa de Pulchro, deque Arte pulchra, investigationes instituit, Scientia pulchra potest appellari, cum ei quoque hic, solius Veritatis Caussa laborandum est, quanto minus alia quaepiam Scientia. Quas prius Galli, postea Germani, Scientias vocarunt pulchras: nae eae, nihil aliud sunt, quam artes pulchrae loquentes, puta, Ars oratoria et poëtica.

Porro, Aesthetica, nonnisi certo respectu (i. e. quoad partem eius applicatam) potest, pro Theoria Artium pulchrarum haberi: nam in se sumta, inest illa, in Theoria Pulchri et Sublimis universe, de quibus ei, non solum in tantum sunt quaestiones instituendae, in quantum utrumque Artis beneficio exhibetur, sed etiam in quantum id, in ipsa Natura, quippe huius Productum, reperitur. Ut enim Pulchrum, quemadmodum etiam Sublime, in Solo Artium territorio, non autem in ipso quoque Naturae theatro locum habeat, ut quidam recenter opinati sunt: nae haec sententia stare nequit. Unde, id quoque videtur eliciendum, Aestheticam, non simpliciter Philosophiam Artium esse dicendam. Nam si, quod nemo dubitat, non solum arte facta, sed et ipsa Naturae Producta, aestheticam in nobis excitant complacentiam: sane Aestheticae, non minus de Pulchro philosophandum, quod in Natura contemplantibus nobis obvium est, quam de eo, quod ingenio Artium exhibetur.

§. 2. Scopus et Pretium Aestheticae, modusque eam pertractandi.

Cum rationes, de caussis complacentiae aestheticae, in quantum eae cognosci queunt, ex ipsa Mentis humanae Natura, et hauriendae, et reddendae sunt (§. 1.): profecto Aesthetica, neque Gustum, velut facultatem diiudicandi aestheticam, neque etiam Ingenium artisticum, velut facultatem aestheticam productivam potest progignere; verum, utrasque has facultates, ut datas sumere debet, unde, ad earum evolutionem, ac perpolitionem procurandam, ea, nonnisi ut instrumentum subsidiarium remotum, potest considerari.

Obs. 1. Accidit hoc, idque frequenter satis, ut ab Aesthetica, iusto plus postularetur; cumque votis postulantium respondere non posset, tanta cum iniquitate fuerit diiudicata, ut, et pretii, quo pollebat, et exsistimationis, qua valebat, iacturam faceret gravissimam. Certe Aesthetica, tanquam Disciplina philosophica, neque cum diiudicandis, neque cum producendis Artefactis pulchris, negotium habet, proinde in tantum, neque Iudici Artium, neque ipsi Artifici, dum suo quisque labore distinentur, institutionem potest praestare, atque ductum. Suae hic Naturae partes sunt agendae, idque pro virili, cuius est hominem ita instruere (organisare), ut aesthetice complacens quidpiam, aut effingat ipse, aut saltem vere possit diiudicare. Ad prius Ingenium: ad posterius Gustus requiritur. Quae duo Naturae initia, proxime quidem, Pulchri et Sublimis, ut ea in Natura, Artiumque territorio offenderis, crebra contemplatione; tum diligenti Artefactorum studio, quod merae contemplationi anteponendum; denique exercitio sui cuiusque, ad optimorum exemplarium normam conformato evolvuntur, ac perficiuntur, quam felicissime. Quae omnia autem eveniunt, quin in possessione Scientiae, quam Aestheticam vocant, positus sis, cum Scientia isthaec, re ipsa, haud quaquam Artifici, Iudicique Artis, sed Philosopho propria esse putanda est; qui se ipse intelligere, proinde, de aesthetica quoque complacentia, quam is, ut rem in facto positam, in ipsa conscientia reperit, rationalem sibi reddere rationem allaborat. Potest quoque hoc historice probari, nulla prorsus, ad eum finem, Aesthetica opus esse, ut pulchrum quodpiam Artefactum effingas, aut effictum cum complacentia contempleris, cumque Gustu illud diiudices. Artifices, Iudices, Amatoresque Artis fuerunt prius, quam ulla fuisset Aesthetica, atque Artes, tam antiquiores, quam recentiores, dudum iam defloruerunt, cum Scientia isthaec excoli inciperet, licet elementa eius in variis iam tum diffusa iacerent Scientiis. Quamobrem, Aesthetica Artificibus, Iudicibus, Amatoribusque Artis, nonnisi in tantum fructuosa esse potest, in quantum ii, negotiis suis, spiritu philosophico vacarint, conditionesque aestheticae actuositatis Mentis humanae, profunde in hac radicatas, studiose investigarint. Certe, hac cognitione imbuto, facilius erit semet, in animos hominum, cum voluptate insinuare, longeque aptius licebit eidem iudicare, quid sit, quod animos hominum illiciat, et teneat, si in antecessum non ignorat, quam ob rem, quibusque sub conditionibus animus hominum, ex rebus pulchris, sublimibusque voluptatem capiat, quidque proprie sit, quod animum humanum, vi quasi magica demulceat, irretiat, et totum quantum occupet, opprimatque propemodum,

Obs. 2. Ex quibus iam non difficile fuerit elicere, quomodo Aestheticam pertractare oporteat; non aliter scil. quam, quamlibet aliam Disciplinam Philosophicam. Postulatum enim temporum recentiorum, ut Aestheticus, poëtico quasi furore percitus, nihil non spiritu poëtico exhibeat, probari prorsus nequit. Id universe iam intelligitur, eos, qui talia postulant, raro spiritu vere poëtico agitari, verum aut Artifices esse clumbes, aut tumidos, affectatoresque Prosaistas. Quaeri etiam ex iis posset, quid caussae sit, cur Aestheticum, poëtico tantum spiritu, non autem simul musicali, plastico, et mimico quoque oporteat esse animatum? nisi forte opineris, eum, qui uno spiritu polleat, reliquos quoque spiritus peraeque possidere debere? Qua in re ipsa experientia nobis repugnaret, cum liquido constet, magnos saepe Poëtas, atque Pictores exstitisse, qui nullas omnino dotes haberent, quae ad Musices peritiam, saltandique promtitudinem requirerentur: contra magnos Musicos, egregiosque Saltatores fuisse, qui nullo Poëseos, Picturaeque sensu viderentur imbuti. Ad functionem philosophandi, quidquid demum eius Obiectum fuerit, summa, quae fieri potest, animi attentio considerantiaque necessaria est, quae, moderatum quidem calorem recipit, cumque eo bene constat: sed vehementiam ignis, quâ, et Poëta et Artifex pulcher, in suis Productionibus universe animantur, tolerare nequit. Opus aestheticum, atque Opus philosophicum, de Aesthetica conscriptum, diversa inter se sunt. Caeterum, ut is, qui de Artibus philosophatur, notitiam Artium, cognitionemque arte factorum habeat, sumi debet: quod etiam, si modo pulchris Artefactis abundamus, non difficile fuerit consequi quin, tamen Aestheticum, in omnibus Artium practicarum mysteriis, familiariter versatum esse oporteat. Quare, nihil aequius est, quam ut illud, iis demum relinquatur, qui Artium videntur esse intelligentes, hoc autem solis Artificibus, quos Professionistas vocant, debeat esse proprium, quemadmodum prisca sententia habet: Non omnia possumus omnes.

§. 3. Aesthetica pura et applicata.

Munus Aestheticae, in primis in eo positum esse debet, ut transscendentales complacentiae aestheticae, et quae ab ea pedent, iudiciorum aestheticorum, in se et per se consideratorum conditiones investigare annitatur, postmodum autem, ad empiricas quoque rerum Species et Obiecta reflectat, quomodo scil. quibusque in Obiectis, *το* complacens exhiberi, aut produci quidpiam possit, quod in Percipiente sensum excitet voluptatis. Respectu priori, Aesthetica vocatur pura, posteriori vero applicata. Quare, Aestheticae applicatae erit quidem, Artes pulchras systematice, quantumvis summatim duntaxat proponere, cum peculiaris cuiuslibet Artis pulchrae Theoriae, territorio Aestheticae omnino videatur esse secludenda.

Obs. Inquisitio *του* aesthetice complacentis, secundum diversas eius species instituenda, caussarumque complacentiae aestheticae pervestigatio, in quantum ea in originariarum animi determinationum Resultato inest (Fund. §. 70.), Aestheticae purae munus est. Sed quia in experientia, diversa sunt instrumenta, quibus aesthetice complacens quidpiam producere liceat, v. c. Toni, colores, gesticulationes etc. intelli-

gitur haec omnia, in Doctrina Gustus applicata, tantopere esse pervestiganda, atque constituenda, ut eo, totum Artium pulchrarum Territorium, quasi plene emensum esse videatur, aut diversae Artium pulchrarum partes, in earundem Totalitate, nexuque organico cognoscantur. Quare Aestheticae applicatae, de Artibus pulchris, in omni earum ambitu agendum est, quae etiam caussa est, cur illa, pro universali Artium pulchrarum Theoria, seu, Philosophia Artis (§. 1. Obs. 3.) haberi debeat. Atque, ob eam ipsam rationem, quod Aesthetica, nonnisi in universali Theoria inest, minime debet ea, particularem, singularum Artium pulchrarum Theoriam, attingere: cuius erroris, ii Aestheticorum arguendi videntur, qui in Aesthetica, de Poësi et Eloquentia prolixe agunt, de reliquis autem Artibus pulchris, duntaxat summatim commentantur. Theoria Artium pulchrarum, singillatim sumtarum, suum cuiusque studium proprium exposcit; et quia hoc, ab Aesthetico, cuius speculatio philosophica, nonnisi ad Universale directa est, postulari nequit: necesse est, ut hic hanc merendi spartam, iis concedat, qui se ad huius, aut illius Artis studium, pro ratione naturalis eorundem instinctus, sensusque peculiaris, quo in hanc aut illam prae caeteris Artem ducuntur, consecrarunt.

PARS I. Aesthetica Pura.

§. 4. Distributio Aestheticae purae, in Ideologiam aestheticam, et Crimatologiam.

Doctrina Gustus pura, transcendentales complacentiae aestheticae, Iudiciorumque Gustus, quae ab iis pendent, conditiones, non aliter potest pervestigare (§. 3.), quam si ea, illas rerum proprietates considerat ac perpendit, quae, testante conscientia, aestheticam progignunt complacentiam, quaeritque, cur eae, talem in animo faciant impressionem. Id genus Repraesentationes, quae ad illas proprietates referuntur, Ideae aestheticae vocantur, eo quod Ratio, ut Facultas Idearum (Fund. §. 81.), in Repraesentatione aesthetice complacentis, modo singulari, et soli sibi proprio actuosa est, ut hoc, ex disquisitionibus, quae mox sequentur, sponte patescet, — quemadmodum Iudicia, quae ad illas proprietates referuntur, quibusve, hae ipsae Ideae, pro fundamento positae sunt, Iudicia aesthetica possunt appellari. Quamobrem Doctrina Gustus pura, per naturam, in Ideologiam aestheticam, Crimatologiamque aestheticam videtur esse distribuenda.

Obs. Expressio Idearum aestheticarum, interdum ad Repraesentationes eius generis designandas adhibetur, quas phantasia eo consilio delineat, ut ad normam earundem, aliud quidpiam, quod aesthetice complacens fuerit, liceat producere. Sed, cum Ideae hae, nonnisi in tantum aestheticae sunt, interventuque harum, Producta, complacentiam aestheticam in tantum conciliant, in quantum eae ad Ideas superiores referuntur, et quasi aesthetici earundem characteris redduntur participes: iure fit, ut inter Ideas aestheticas originarias, et derivatas, discrimen instituamus, utque in Aesthetica nonnisi originarias illas Ideas

in peculiare disquisitionum philosophicarum obiectum statuamus. Expositio autem Idearum aestheticarum derivatarum, minime ad Territorium Philosophiae pertinet, verum ad Empiricam, seu historicam Artis Doctrinam spectat, cuius partem peculiarem, Archaeologia artistica efficit, ubi in primis ostendendum, quomodo Artifices, in suis quique operibus, originarias Ideas aestheticas, varia ratione explicarunt, perpolierunt, expresserunt, atque proposuerunt: unde Idealia quoque Graecorum, quae vocant, in solis Ideis aestheticis derivatis, inesse putanda sunt. Nos autem, in Ideologia aesthetica, originarium duntaxat illud Ideale investigabimus, ad quod videtur, quodlibet aliud Ideale, postremo esse referendum.

SECTIO I. Ideologia aesthetica.

§. 5. Tres Ideologiae aestheticae partes.

Conscii nobis ipsi sumus, nos in certis quibusdam Obiectis, peculiarem quampiam complacentiae speciem invenire, quam Voluptatem Gustus appellamus. Complacentia isthaec, aut ad Qualitatem, aut ad Quantitatem Obiectorum potest referri. In casu priori, Pulchritudo, in posteriori autem, Sublimitas eorum est, quae Tactum, seu, sensum voluptatis in nobis excitat. Quare, Ideologia aesthetica, in primis ambos hos aestheticos, fundamentalesque rerum Characteres debet considerare, ut postmodum, illas quoque rerum proprietates contempletur, quae partim Pulchritudini, partim Sublimitati videntur esse adfines, atque ob hanc ipsam affinitatem, cient quoque eae, aestheticam in Mente humana voluptatem, proinde Ideologia in tria Capita dispescitur.

Obs. Complacentia aesthetica, est universalis res facti Conscientiae, seu id genus animi determinatio, quae sub certis conditionibus, in conscientia cuiusque hominis apparet, quae proinde, etiam a quolibet, qui de voluptate Gustus philosophari vult, pro re in facto posita agnosci debet. Nam, quamquam non omnibus idem placeat, cum conditiones subiectivae et empiricae, a quibus complacentia illa ex parte pendet, in diversis Individuis diversae esse, et in certis circumstantiis prorsus abesse quoque possunt, v. c. in coecis, surdis, stupidis, planeque incultis hominibus: intelligitur, unumquemque hominem, bene a Natura informatum, adque certam facultatis suae spiritualis evolutionem iam adultum, certa Obiecta, interna quadam complacentia percipere, quin ab iis corporaliter fuerit stimulatus. Sed hic voluptatis Tactus, ut palam est, alius esse debet, si qualitate rei cuiuspiam per se gignitur, quasique amore contemplantem complet, quam si, magnitudo eiusdem illum afficit, ac veluti vi adhibita in admirationem secum rapit. Qui v. c. serenantem quampiam, viridibusque campis, ac pratis vestitam, rivulis argenteis mille modis semet sinuantibus persecatam, gregumque pascentium multitudine contectam vallem, ante se videret expansam: nae is, longe aliter se sentiret esse affectum, quam si in regione portentose inculta versaretur, in qua aggeratae sibi invicem rupes horridae, glabrorum suorum fastigiorum tenus, in nubes porrigerentur, parietibusque pendentibus proximam ruinam minarentur. Ibi certe is: quam pulchre hic rident omnia! — hic au-

tem: quam sublimia omnia! exclamaret, si modo verba queat invenire, neque tali rerum naturalium tactu, in mutum convertatur stuporem. Sed praeter pulchritudinem et sublimitatem, magna est proprietatum rerum copia, quae iam cum pulchritudine, iam cum sublimitate, in propriori, aut remotiori positae sunt relatione, quales sunt v. c. quae suaves, ornatae, nativae, comicae, solennes, magnificae, tragicaeque etc. nominantur, quaeve in plena caussarum complacentiae aestheticae Theoria, silentio praeteriri nequeunt. Proinde, Ideologia aesthetica, in Calleologiam, seu Doctrinam Pulchri, — in Hypseologiam, seu Doctrinam Sublimis, — et in Syngeneiologiam, seu Doctrinam Affinitatum aestheticam dispescitur.

CAPUT I. Calleologia.

§. 6. Complacentia, velut universale Pulchri Criterium.

Quod Pulchrum est, placet. Sed iucundum quoque, et utile, quemadmodum etiam verum et bonum, dum percipiuntur, cum certa complacentia sunt coniuncta. Quodsi ergo ipsum illud, quod Pulchrum est, ab aliis rerum oblectantium generibus diversum est: profecto, complacentiam quoque Pulchri, a complacentia aliarum rerum, diversam esse oportet. Quare hoc illud discrimen est, quod in primis investigandum esse videtur.

Obs. 1. Quandoquidem inter Aestheticos, nulla adhuc perfecta consensio, de Conceptu Pulchri obtinet, eiusque determinatio, non levibus obnoxia est difficultatibus: maxima hic cautione opus est. Primum et maxime universale Pulchritudinis Criterium, quod omnes omnino largiuntur, est quod illud placet. Nam, quamquam non unicuique placet, quod alii pro pulchro habent: tamen unicuique placet, quod is ipse pro tali habet, et idcirco quidem pro pulchro id habet, quod id ei placet, ut complacentia Obiecti, Iudicio de eiusdem Pulchritudine lato, tanquam conditio, sine qua non, antecedat. Verum, tanta est rerum complacentium multitudo, ut datum illud criterium, haud videatur nobis sufficere. Quare Pulchrum, cum aliis rebus complacentibus comparandum est, ut ad discriminis, quod inter diversas complacentis, ipsiusque complacentiae Species locum habet, conscientiam perveniamus. Nam, si quaelibet rei complacentis species, proprio suo Charactere gaudet: profecto ipsa quoque eius complacentia, pro ratione caussarum, fontiumque eiusdem, diversa esse debet. Has complacentiae caussas dum investigamus: viam quoque nobis, ad propiorem Pulchri notitiam aperiemus.

Obs. 2, Sed proxime ad Pulchrum, Iucundum quoque et Utile, Verum atque Bonum, peraeque placet. Has expressiones, respectu Conceptuum, qui his pro fundamentis positi sunt, pro identicis, seu synonimis declarare, ipse linguae usus, haud quaquam permittit, quamquam vulgaris loquendi ratio, interdum adeo ambigua est, ut unam pro alia usurpet vocem: quod Aesthetico minime tolerandum videtur, cuius nempe est, functione philosophandi, abusui vocum culpando occurrere, confusionique Conceptuum, quae inde emergit, obstruere. Id enim,

maiorem in modum sua Scientiae interest, ad claram, perspicuamque evehere conscientiam, quod in communi loquendi usu, ut obscurus, confususque Tactus, annuntiatur. Quoties itaque populariter dies serenus, vinum boni saporis ac generosum, tonna auri, demonstratio solida, actioque iusta ac honesta, res pulchrae dicuntur; toties Pulchrum cum iucundo, utili, vero, et bono confunditur, neque tamen hac ratione, essentiale harum complacentiae specierum discrimen, tollitur.

§. 7. Discrimen Pulchri, a Iucundo et Utili, tanquam complacentiae Obiectis.

Iucundum est, quod instinctus, inclinationesque nostras saturat: utile autem, quod, ut instrumentum Iucundi, consideratur. Quare Obiectum quodpiam adsit, necesse est, quod sensualitatem nostram practicam, immediate aut mediate, in motum concitet, atque eatenus cupiditatem possessionis, fruitionisque eius in nobis cieat, si modo illud iucundum, atque in relatione quapiam cum Iucundo positum esse debet, si modo id Utile nominandum esse videatur (Fund. §. 78. cum Obs, et §. 80. Obs. 2.). Consequenter, complacentia Iucundi et Utilis, a conditione cupiditatum sensualium pendet, a quibus tamen complacentia Pulchri, quâ talis, independens est.

Obs. 1. Homo, quâ Ens sensibile, magna stimulorum, seu instinctuum, et inclinationum copia praeditus est, quae eius affectiones, partim naturales, seu connatae, partim adquisitae sunt, omnesque, ad tres originarios stimulos, puta, ad stimulum sui conservandi, — ad stimulum genus suum propagandi, — adque stimulum Socialitatis reduci possunt. Primus horum stimulorum, est prorsus egoisticus, seu solipsisticus, eo quod, homo vi eius impulsus, se solum considerat atque curat; ultimus eorum, sympatheticus est, eo, quod homo, in familiari cum aliis conversatione, laetitiae, dolorisque eorundem necessario particeps redditur; secundus autem, partim egoisticus, partim sympatheticus est, eo, quod hic stimulus, simulac evigilat, vique Naturae incitatus saturandus videtur, hominem necessario ad commercium Personarum alterius sexus, adque participationem Tactuum eius sollicitat. Omnes ac singuli hi stimuli, saturari volunt, eorumque saturatio voluptatem excitat, quemadmodum non-saturatio, taedium doloremque post se trahit. Quod itaque saturationem istam praestat, aut saltem praestare videtur, iucundum est, atque appetitur: contrarium eius, iniucundum est, adeoque aversationis nostrae Obiectum. Ambae hae hominis adfectiones, Appetitio videlicet, et Aversatio, insunt in nisu Subiecti, ad id directo, ut iucundum secum coniungat, iniucundum a se removeat. Complacentia itaque iucundi, conditioni appetendi est adstricta, cum, si Subiectum percipiens, nulla Appetitione sollicitatur: profecto, intuitu talium Obiectorum, erit prorsus indifferens. In Infinita autem modificationum varietate, quas stimuli nostri, inclinationesque, in, cum, et per experientiam adoptare possunt, ipsa quoque relatio Obiectorum ad hos stimulos, atque inclinationes, infinite varia est, adeo quidem, ut quod uni iucundum est, alteri admodum iniucundum esse potest, proinde de eo, quod iucundum, aut iniucundum est: nullum prorsus Iudicium universale, seu, omnimode valens

ferri possit. Quilibet potius, in diiudicandis rebus, respectu iucunditatis, et iniucunditatis earundem, ad proprias semet sensationes accommodat. Hinc est, quod facile concertationi, quae hinc emergere posset, renuntiamus, quemadmodum populari illa sententia cavetur: De Gustu (scil. organico §. 1. Obs. 2.), aut, quia plures aeque boni, hoc loco, gustus locum habere possunt, — de gustibus non est disputandum.

Obs. 2. Utile a Iucundo, nonnisi reflexione discernitur. Iucundum, ipse instinctus brutus animadvertit: sed Utile, duntaxat Intellectus dignoscit, qui scil. ad caussas et effectus, seu nexum rerum caussalem reflectit. Experientia nempe docemur, multas esse res, quibus, quantumvis eae non modo non iucundae in se, sed iniucundae quoque esse possint, uti tamen nobis licebit, ut earum subsidio, ad possessionem, fruitionemque iucundi perveniamus. Atque, ob eam ipsam caussam res tales utiles vocantur, et in casum contrarium, si sequelae earundem iniucundae fuerint, damnosae nuncupantur v. c. Pecunia, Medicina, Venenum: aut, bonae quoque illae, et malae res, sensu relativo dicuntur, eo, quod, non in se, et per se (absolute), verum, in relatione ad illas sequelas, bonae aut malae esse videntur; — et eae quandoque, in prima, secunda, tertiaque potentia tales. Quare, in diiudicando Utili et Damnoso, totum quidquid est, ad fines illos, quos quis habet, et ad usum illum redit, quem ad assequendos suos fines, ex iis, aut vult, aut saltem, pro ratione datarum circumstantiarum, potest capere. Quamobrem Iudicium de Utili, tam minime universale, seu, omnimode valens esse potest, quam illud, de Iucundo latum; unde etiam, pro ratione diversorum Subiectorum, finiumque eorundem, diversum prorsus Iudicium, et identidem contrarium ferri debet; atque, quandoquidem pretium quoque Iucundi et Utilis, ab hoc ipso Iudicio pendet: facile intelligitur, cur pretium quoque omnium illarum rerum, quae ob iucunditatem, et utilitatem, ab hominibus appetuntur, tali aestimatione determinatum, pro varietate temporum et locorum, tantopere mutabile sit.

Obs. 3. Potest quidem, et Pulchrum, et Iucundum, et Utile simul esse, v. c. picta quaedam Imago pulchra, Spectatori libidinoso, ob fruitionem sensualem, iucunda videri poterit: ut venusta facies venusto, cum literarum instar commendatitiarum fuerit, ad benevolentiam aliorum conciliandam, utilis esse huic censenda est. Pari quoque ratione, potest quisquam possessionem Pulchrorum artefactorum anhelare, ut, aut laudem non ignari Artium, ab aliis consequatur, aut fortunas suas eat hac ratione auctum. Enimvero, quidquid hoc est, intuitu Pulchritudinis, mere fortuitum esse putandum est. Genuinus enim ac sincerus Pulchri Amator, Pulchrum, animo, ab omni cupiditate sensuali libero, intuetur, et seposita omni utilitatis, ac lucri consideratione, intimam in eo complacentiam reperit; quid? quod idem, aliis quoque, verum Pulchritudinis sensum, nonnisi in tantum putabit tribuendum, in quantum ii, pari modo secum videbuntur animati; atque Negotiator ipse artium, qui res pulchras, ut venalitius ille virginum Circassiarum Negotiator, velut venales tractat merces, spem lucri, in suis speculationibus, a sensu illo pulchri metitur, quamvis non ignoret, studio Pulchritudinis, quandoque, alia plane motiva adhaeresscere. Quare,

complacentia Pulchri, qua talis, a complacentia Iucundi, atque Utilis longe diversa sit, necesse est, cum ea, in conscientia humana, etiam absque relatione ad cupiditates sensuales, locum habere possit, imo, relatio isthaec, velut profana Pulchritudinis deminutio, improbetur.

§. 8. Discrimen Pulchri, a Vero et Bono, tanquam complacentiae Obiectis.

Verum est, quod intuitu Repraesentationum nostrarum, cognitionumque ab iis pendentium, et Bonum, sensu proprio ac simpliciter (absolute) illud est, quod respectu nisuum nostrorum, et quae inde pendent actionum, omnimode valens, prorsusque harmonicum cum iis est. Videlicet, cum, quamlibet nos cognitionem singularem, ad Ideam Systematis omnium cognitionum, et quamlibet actionem singularem, ad Ideam Systematis omnium actionum universe referimus: profecto, id solum nobis, ut Verum, atque Bonum considerandum est, de quo, intime persuasi sumus, id, cum hoc Systemate congruere, ob eamque ipsam caussam, ab omnibus subiectis, si modo cum Ratione et cogitant, et volunt, approbandum videri (Fund. §. 81. Obs. 2. Log. §. 5. cum Obs.). Complacentia itaque Veri et Boni; a convictione, de theoretico, seu speculativo, et practico, seu morali eius valore, quod pro Vero atque Bono habemus, velut conditione pendet, cum contra complacentia Pulchri, etiam a persuasione illa independenter, locum habere possit.

Obs. 1. Cum quidpiam a quoquam, pro vero declaratur: is eo, procul dubio, tantundem dicere vult, sententiam suam, quam asserit, a quolibet Subiecto, Rationi congruenter iudicante, approbandam fore. Ille ergo, cum veritatem cognitionis suae, iure quodam videtur propugnare, absolutam quandam, omnium cognitionum harmoniam, praesupponit, h. e. cognitionem suam, ad illud cognitionum Systema universe refert, cum quo sententia sua convenit. Quamobrem, si quam assertionem, intuitu veritatis, aut falsitatis eiusdem, diiudicare volumus: profecto eam nos, partim in propria Meditatione, cum Repraesentationibus et cognitionibus, quas habemus, partim in communicatione earundem cum aliis, cum peregrinis repraesentationibus et cognitionibus comparamus, atque, si qua ex tali comparatione repugnantia emergeret, nos hanc, velut latentis cuiusdam erroris indicium consideramus, quam idcirco a cognitione nostra removendam putamus, ut ad Harmoniam omnium cognitionum perveniamus. Alioquin, quaelibet Deductio, et Demonstratio quoque, nihil aliud est, quam cognitionum comparatio reciproca, eo consilio instituta, ut congruentiae earundem cum ipso Systemate liceat nobis esse conscii. Nemo quidem, si modo ingenue fatendum est, in reali, perfecti omnium cognitionum Systematis possessione collocatus est, ut absolutae earundem Harmoniae Notitiam posset consequi: quod ipsum in caussa est, cur homo erroribus succumbat. Intelligentia duntaxat infinita, in illa omnium cognitionum possessione posita debet cogitari, quae quâ omniscia, proinde etiam infallibilis, nullis erroribus est obnoxia. Enimvero, Idea id genus Systematis, seu Ideale Scientiae absolutae, in omni nostra investigatione ac meditatione,

cunquam non nobis obversatur, inestque in fine (sane infinito, proinde tali, quem assequi non liceat), omnium nostrorum conatuum scientificorum. Cum ergo Iudicio cuipiam, tanquam vero, assensum nostrum impertimur: profecto assensus hic, recognitionis valoris Iudicii sequela, proinde propria quaedam complacentiae species esse putanda est, complacentia videlicet Veri, quâ talis, quae a conditione Persuasionis de theoretico seu speculativo eiusdem valore pendet (Fund. §. 88).

Obs. 2. Par ratio est complacentiae quoque Boni, praeterquam quod hic, complacentia, a conditione Rationis practicae, legumque eius moralium pendet. Nam, si quidpiam (aliquam agendi indolem, aut ipsam actionem) pro (absolute aut moraliter) Bono declaramus, id hac re dictum volumus, quodlibet Ens rationale, eo plane animo affectum esse, et agere debere, atque ob eam ipsam caussam reprehendendum putamus illum, qui in suis conatibus, actionibusque, id genus voluntatem prodiderit, quae cum voluntate omnium reliquorum Entium rationalium constare nequeat. Nos itaque in Iudiciis nostris moralibus ab hac Idea progredimur. Omnes omnino conatus, actionesque Entium rationalium, consentire secum oportere, aut, quodlibet demun Phaenomenon nos in Mundo morali, ad Systema rationalium conatuum et actionum universe, in quod inseri quasi debeant, referimus, et nonnisi hac sub conditione possunt ea approbari, si cum hoc Systemate congruant, moralemque suum valorem eatenus probent. Complacentia itaque Boni, a Persuasione de practico seu morali illius valore, tanquam conditione dependet, quod Obiectum id genus complacentiae fieri debeat.

Obs. 3. Pulchrum, Verum, et Bonum quoque simul esse potest. Ponas v. c. Poëma quoddam pulchrum, aut Orationem pulchram, quoad argumentum eius, cum legibus Veritatis, atque Bonitatis, quam optime consonare: neque tamen concentus hic, ad aestheticam complacentiam efficiendam prorsus necessarius esse videtur. Imo haec absque illo consensu locum habere potest. Quis v. c. eorum, qui Homeri Poëmata intima cum voluptate lectitant, quaesierit, num eventus, qui in iis describuntur, re ipsa evenerint, an non? Ponas posse demonstrari, Achillem, aut Ulyssem, nunquam vixisse, ponas nullum unquam Troianum bellum fuisse, neque Heroëm quendam Graecum, eversa Troia, in orbe oberrasse: pretiumne suum Poëmata illa ammitterent? an Persuasio de theoretica eorum falsitate, quae poëtice exposita sunt, complacentiam poëticae Exhibitionis tolleret? — Nemo profecto amplius est, qui exsistentiae Deorum illorum, de quibus Mythologia Graeca tot fabularum plaustra recitat, fidem putet adhibendam; quid? quod intuitu morali-religioso, magnam narrationum illarum partem, cultumque, qui iis nititur, ethicum improbamus: attamen, eo non obstante, plastica Iovis aut Appollinis, Iunonis aut Veneris, quemadmodum etiam poëtica inbecillitatum, passionumque (perturbationum) eorundem, ut et immoralis, quâ affecti fuerunt, indolis, atque actionum, quas commisserunt, Descriptio placere potest. Quamobrem Complacentia aesthetica (Pulchri), a Logica et morali complacentia (Veri et Boni), essentialiter diversa esse debet; cum illa, a convictione de theoretico, seu, practico illius valore, quod pulchra sub forma exhibetur, tanquam conditione, nulla ratione dependet.

§. 9. Complacentia Invitamento subiecta, eoque libera.

Quandoquidem, omnia et singula humanae complacentiae Obiecta, ob hanc ipsam complacentiam, cum certo quopiam Invitamento coniuncta esse debent: profecto ipsa quoque complacentia, ad quid demum cunque referatur, Invitamento erit subiecta. Quia vero complacentia rei pulchrae, a complacentia rei Iucundae et Utilis, quemadmodum etiam ab illa Veri et Boni essentialiter diversa est (§. 7. et 8.): sane Invitamentum quoque cum Pulchro, velut Complacentiae nostrae Obiecto coniunctum, ab Invitamento, quod ad reliqua Complacentiae Obiecta refertur, essentialiter diversum esse debet. Quare Complecentia rei pulchrae, quamquam significatione vocis universali, Invitamento subiecta est: certo tamen respectu eadem, libera quoque esse potest Invitamento.

Obs. Kant, in Critica Facultatis Iudicandi, pag. 5. et 16. Edit. 2. dicit: Pulchrum est, quod absque omni Invitamento placet, ad quod Herderus in Calligone pag. 37. in haec verba regessit: Nihil est quod sine Invitamento placere possit, et Pulchritudo ipsa est, quae quoad sentientem, summo pollet invitamento. Ex illo tempore, fervent lites, super quaestione: Utrum Complacentia Pulchri Invitamento subiecta sit, nec ne? ut in hodiernum diem ea, inter Aestheticos pendere videatur. Interim, fieri facile potest, ut tota quanta haec controversia, in mera Logomachia insit, inde profecta, quod varia sint Invitamenti genera, proinde, vox Invitamenti, iam in universali, iam in particulari significatione sumatur. Critica quidem dicit: Complacentiam Pulchri omni Invitamento esse destitutam. Id, si hoc tantum significaret, omnem Invitamenti speciem a Pulchro abesse: nae id, falsum esse videretur. Enim vero, fieri potest, vocem Invitamenti, a Critica, sensu strictiori sumtam esse, deque certo Invitamenti genere verum esse, quod universaliter asserebat. Quare, ut ad liquidam liceat veritatem, hac in disputatione nobis eluctari: pernecessarium esse videtur, ut Invitamentum, quod cum rebus complacentibus coniunctum esse potest, et universaliter, et particulariter putemus considerandum.

§. 10. Invitamentum sensibile, et intellectuale seu rationale.

Invitamentum universe, inest in relatione Obiecti cuiuspiam ad nos ipsos, in quantum id eatenus, certam animi nostri participationem incitat. Atqui Iucundum et Utile ad nos, tanquam Entia sensitiva; Verum autem et Bonum ad nos, tanquam Entia rationalia, seu Intelligentias (§. 7 et 8.) refertur. Ergo Invitamentum Iucundi et Utilis, est sensuale: Invitamentum autem Veri et Boni, intellectuale, seu, rationale est. Invitamentum sensuale, vocatur etiam simpliciter, seu in sensu stricto Invitamentum.

Obs. Quodlibet Obiectum, quod in tali nobiscum relatione positum est, ut quoad animum nostrum, certam in eo excitet participationem, interest aliquid nostri, seu nostra. Nam certa quaedam pecuniae summa, nonnisi in tantum sua Creditoris interest, in quantum ea Foe-

mus ei promittit. Quare Iucundum et Utile, duntaxat in tantum pollent Invitamento, in quantum inclinationibus, et instinctibus sumus obnoxii, ex quibus cupiditates sensitivae exsistunt, quae saturari volunt, atque ita quidem, ut Utile mediata, Iucundum autem immediata consequatur saturatio. Proinde, Obiectis his complacentiae humanae, duntaxat Invitamentum sensitivum adhaeret, quod etiam in incultis, seu, immoralibus hominibus, maxime dominatur; si quidem hi, instinctui, inclinationique inconditionate fere obsequuntur, adeoque, sensu quisque horum suo, nonnisi in id propendent, quod eis, aut immediate, aut mediate sensibilem praestat fruitionem.

Et Verum, et Bonum, Invitamento quodam nos capiunt, in quantum scil. Intellectu et Ratione praediti sumus, quibus Universalitatem, quà omnimode valens quidpiam, in cognitionibus, actionibusque nostris perspicere, aestimareque possumus, proinde, operam quoque damus, ut id proprium nobis efficiamus. His itaque complacentiae humanae Obiectis, intellectuale quoddam, seu rationale Invitamentum adhaerescit, quippe quod, in excultis, moralibusque hominibus, momentum videtur esse gravissimum, quos scil. cognitio Veritatis, Bonique moralis effectio, longe maiori adficit laetitia, quam quaelibet sensuum fruitiones. Quemadmodum tamen, rudis ipse et immoralis homo, nisi forte in summo gradu degener atque depravatus esse videatur, Falsum et Malum, non in se, sed ut instrumentum tantum Iucundi atque Utilis, amat, proinde, ex Vero et Bono, certum nihilominus, quantumvis subordinatum, capiat Invitamentum: ad eundem modum Iucundum quoque et Utile, ex cultiori moralique homine, certam quandam participationem extorquent, eo quod exsistentia eius sensualis, constare absque his nequeat. Interim, cum indolem quampiam, actionemque hominis cuiuspiam, aut etiam hominem ipsum Invitamento subiectum (interessatum) nominamus: profecto, nonnisi Invitamentum sensitivum in animo nostro versamus, in quantum scil. hoc in homine praedominans est; hoc est, id genus superpondium habet, quo Invitamentum rationale superatur, consequenter, Invitamentum Moralitati repugnans, aut cogitandi et agendi ratio immoralis. Quamobrem homo Invitamento subiectus, quem Interessatum vulgo dicimus, nihil aliud est, quam homo propriae tantum voluptatis, et utilitatis studiosus, qui id solum spectat, quod fruitionem sensuum ei, atque lucrum addicit. Adeoque, hoc quoque in loco vox Invitamenti, sensu strictiori in vicem Invitamenti sensibilis sumitur, atque in hac significatione, complacentia quoque Veri et Boni, Invitamento libera debet videri, simulac quispiam Verum et Bonum, sui ipsius tantum caussa, (sine respectu fruitionis atque utilitatis sensibilis) amat, et aestimat.

§. 11. Invitamentum aestheticum.

Cum complacentia Pulchri, quà talis, neque a cupiditate sensibili (§. 7. Obs. 3.), neque etiam a Persuasione, de speculativo eius, aut morali pretio (§. 8. Obs. 3.), velut conditione pendeat: intelligitur, intuitu Pulchri, quà talis, Invitamentum, neque sensibile, neque etiam intellectuale habere locum (§. 10.). Attamen, quandoquidem complacentia Pulchri, certo cum Invitamento nihilominus coniuncta est (§. 9.): patet, tertium quoddam Invitamenti ge-

nus, dari adhuc debere, quod proprie ad Pulchrum refertur, quodque aestheticum possit nuncupari Invitamentum.

Obs. Complacentiam Pulchri, in quantum ea, non cum aliis complacentiae speciebus, fortuito permixta est, sed in se, adeoque singillatim sumta (isolata), secundum naturam suam consideratur, puram Pulchri complacentiam appellamus. Hanc itaque complacentiam, sensu vocis Invitamenti stricto (§. 10.), Invitamento immunem esse ex dictis sine dubio perspicitur. Pari ratione progredi adhuc nobis licebit, atque dicere, complacentiam illam, Invitamento quoque intellectuali liberam prorsus esse. Nam, complacentia Veri et Boni, plane diversum quidpiam est, quam pura Pulchri complacentia. Quodsi tamen complacentiae huic, certum quoddam Invitamentum adiunctum est, si scil. cum Pulchrum quidpiam intima cum complacentia contemplamur, summo quodam Invitamento demulceri capique possumus: ut aliud quoque quoddam Invitamenti genus exstet, necesse est, quod quam commodissime Invitamentum aestheticum licebit denominare. In significatione etymologica, sensibile quoque Invitamentum dici quidem posset aestheticum: verum constituta iam, sensu philosophico, vocis Aestheticae significatione (§. 1. Obs. 1.), Invitamentum respectu Pulchri, sensuque eminenti, iure videtur aestheticum esse nominandum. Quare, ad Quaestionem, supra propositam: Utrum complacentia Pulchri subiecta Invitamento sit, an non? primum quidem respondendum est: Esse eam respectu sensibili et intellectuali Invitamento liberam, respectu autem aesthetico Invitamento subiectam. Enimvero, nova vicissim hinc Quaestio emergit, haec puta: Quid est, quo Invitamentum aestheticum proprie, a sensuali et intellectuali distingvitur? — Nam, si nullum aliud discrimen potest allegari, quam hoc, quod illud, intuitu Pulchri, hoc, intuitu Iucundi et Utilis, Veri et Boni locum habeat: quaestio supra posita, haud quaquam videretur modo determinato resoluta. Quamobrem, discrimen illud, ita anquirendum est, ut id, quod propriam complacentiae caussam Obiectorum diversorum constituit, e propiori loco, accurateque investigare contendamus.

§. 12. Invitamentum materiale et formale. Invitamentum aestheticum est formale.

Quandoquidem in omnibus complacentiae nostrae Obiectis, Materiam et Formam licet invicem discernere: profecto, ipsa quoque complacentia, Invitamentumque cum ea coniunctum, in materiale et formale videtur distinguendum. Quamobrem, quod nobis in Iucundo, Utili, Vero et Bono placet, proinde Invitamento nosmet capit: id, Materia eius esse putanda est. Quod contra, nobis, in Pulchro placet, Invitamentoque ad se trahit: nae id, in Forma eius inesse censendum est. Consequenter Invitamentum sensibile et intellectuale, materiale: Invitamentum autem aestheticum, formale sit, necesse est.

Obs. 1. In Iucundo, v. c. in cibo boni saporis, in flore suaviter olenti, Materiam, quae organa Subiecti sensoria, modo eis accommodato stimulat, aut in motum concitat, proprie id esse, ad quod complacentia Obiecti refertur, nulla prolixiori opus est demonstratione. Certe

absque materiali illo effectu, Obiectum, nullam prorsus appetitionem, aut nisum fruitionis obtinendae, in Subiecto posset commovere. Si autem contingeret, ut Iucundum, ob Formam suam placeret, quod in flore, fructu, opereque quodam pistorio posset evenire: nae hoc, longe aliud quoddam complacentiae genus foret, quod sine omni quoque sensuum fruitione, atque vel in Obiecto, quo frui non liceret (v. c. in flore, aut fructu, arte humana facto), locum habere posset, Obiectumque, ob hanc ipsam formalem complacentiam Pulchrum appellaretur. Intuitu Utilis, idem casus obtinet. Numus scil. est res utilis, atque in hac qualitate, ob materiale sum pretium, Invitamento nos capit: adeoque, quo melior eius est materia (pondus ac conditio), eo pluris videtur esse aestimandus. Utilitas quidem eius, a Forma quoque ex parte pendet, quia, si is v. c. quadrangularis foret, multo minus commodus iudicaretur. Tamen, cum quaelibet Materia, quae usui cuipiam inservire debet, ut determinata quoque Forma praedita sit, necesse est: sane ea necessario eligitur, quae usui illi, quam maxime videbitur respondere. Atque ipsa haec Finalitas est, quae nos, in re utili Invitamento demulcet, ac capit, sive alioquin illa soli Materiae, sive etiam simul Formae adhaerescat. Nam Finalitas rei cuiuspiam utilis, nunquam merae Formae inititur, verum, Forma quoque in Materia, fini rei accommodata locum habere debet. Quare nemini profecto domicilium et horologium papiraceum, aut securis chartacea, res viderentur finales: verum, quaelibet harum rerum, ex tali materia debet constare, quae simul fini suo respondeat, si quidem illa, per hoc solum, vere utilis esse iudicabitur. Contra, si et in quantum in re quapiam sola Forma placet, nosque ea Invitamento capit: tum, et in tantum, res illa, non utilis, sed pulchra vocabitur. Quamobrem moneta quaepiam, aut aedificium, aliudque artis mehanicae Productum, non minus Obiectum pulchrum appellatur, quam, picta quaedam effigies, aut statua, vel quodlibet aliud Artis pulchrae effectum: simulac mera eiusdem Forma Gustum saturare, aut aestheticam in animo Spectatoris complacentiam valeat progignere.

Obs. 2. Si porro Dogma quodpiam, aut narratio descriptioque ulla, veritatis suae caussa placet, Invitamentoque divincit: profecto simpliciter Materia est, ad quam hic animus reflectit. Potest autem Verum, ope exhibitionis, seu ornatus, tali forma indui, ut id, propter ipsam formam placeat, invitamentoque trahat. Tum autem Verum, tanquam Pulchrum apparet. Quod vero narratio quaepiam, vera esse queat, quin pulchra sit, aut potest esse pulchra, quin vera sit; id tam certum est, quam illam, utramque simul esse posse. In casu priori Invitamentum, quo narrationem quampiam audimus, mere materiale, — in secundo formale, — in tertio materiale et formale simul esse debet. Ita nobiscum quoque comparatum est, cum actionem quampiam, velut bonam approbamus, ut, sola moralis eius materia sit, ad quam in approbando reflectimus. Quodsi Bonum, velut Pulchrum quoque simul apparere debeat: ea ratione id fieri oportet, ut forma agendi sensibilis, cum complacentia ab animo queat apprehendi. Bonum, quasi Gratiis comitatum esse debet. Quod autem Virtus, saepenumero absque pulchro hoc vestitu apparet: nae id, tam certum est, quam quod Gratia moralis, non raro cum ipsa Virtute permutetur. Quare Invitamentum formale in Bono, ab Invitamento materiali distinguendum, atque illud

nihil aliud est, quam aestheticum, hoc autem intellectuale, aut rationale Invitamentum.

Obs. 3. Sed Invitamentum materiale et formale, sequenti quoque adhuc ratione videtur esse discernendum. Illud scil. complacentiae antecedit, aut cum ea velut ratio coniungitur: hoc autem complacentiam sequitur, seu ei ut sequela adiungitur. Nam, si quidpiam ob suam iucunditatem, utilitatem, veritatem, et bonitatem placet, idcirco id placere putandum est, quod aut Sensualitatis, aut Rationis sua interest. Sin autem aliquid est, quod propter suam Pulchritudinem placet: nae id simpliciter ob suam formam placet, ipsaque complacentia est, quae ante omnia Invitamento capit. Quare Pulchrum Invitamentum gignit, quoniam placet: contra Iucundum, Utile, Verum et Bonum ideo placet, quoniam Invitamentum progignit. Consequenter omne Pulchrum quidem Invitamentum parit (interessans est), neque tamen omne quod Invitamentum parit (interessat), pulchrum est: unde complacentia Pulchri, in tantum quoque Invitamento libera dici posset, in quantum id, ex nullo Invitamento exsistit, sed Invitamentum potius progignit. Est autem illud, nunquam non cum certo Invitamento coniunctum, proinde simpliciter quoque Invitamento destitutum dici nunquam potest. Atque, conservatio Pulchri, in quantum ei duratio quaedam in tempore competit, proinde Exsistentia eius, ob eam ipsam causam, nostra multum interest.

§. 13. Prima Pulchri et Pulchritudinis declaratio.

Ex quibus omnibus, praevia Pulchri, et Pulchritudinis declaratio, his videtur esse comprehendenda: Pulchrum est, quod propter solam suam Formam placet, — aut: Pulchritudo, est illa rei cuiuspiam proprietas, vi cuius ea, in Percipiente, Voluptatem Tactus sola sua forma excitat.

Obs. Declaratio isthaec, idcirco dicebatur praevia, quod ea Conceptum Pulchritudinis, nondum plene et suffienter determinet, sed viam tantum ad accuratam Declarationem obtinendam aperiat. Sed Quaestio superius (§. 9. Obs.) intuitu Complacentiae Pulchri proposita, secundum hanc declarationem, perfecte iam solvi potest, hunc in modum: Complacentia Pulchri respectu materiali (tam sensibili, quam intellectuali), Invitamento libera est: respectu autem formali, Invitamento subiecta. Quare Definitio isthaec Kantiana: Pulchrum est, quod absque omni Invitamento placet, tali ratione videbitur rectius informanda: Pulchrum est, quod absque omni Invitamento materiali placet, — quamquam Conceptus Pulchritudinis, tali quoque modo, nonnisi negative determinaretur. Neque tamen hac re negatur, cum complacentia Pulchri, praeter Invitamentum formale, quo purum Gustus iudicium unice determinatur, varia etiam adhuc Invitamenta alia posse coniungi. Sed hoc in heterogeneo, respectuque Pulchritudinis, in mero fortuito Invitamento inest, atque Iudicium Gustus purum, in mixtum, hoc est, in id genus Iudicium convertit, in quo, reliquae quoque Obiecti pulchri partes, cum Invitamento coniunctae considerantur. Ad hunc modum placet sibi homo ipse, in possessione Pulchri (tam propriae Pulchritudinis, quam talium Obiectorum, quae in propiori cum eo posita sunt relatione, ut sunt v. c. vestes pul-

chrae, supellectilia pulchra, domus pulchrae, horti pulchri, imagines pulchrae, viri pulchri, feminae et proles pulchrae) constitutus, catenusque, aliis etiam placere semet exsistimat; aut, ita ille Pulchrum considerat, in ususque suos vertit, tanquam instrumentum, in sociali cum aliis conversatione, voluptatem socialem, communicatione voluptatis Gustus, promovendi. Invitamentum illud est Vanitatis, vi cuius Pulchrum, praecipue in oculis sexus feminei, et eorum sexus masculini, qui favores muliebres aucupantur: hoc autem est Invitamentum Socialitatis, vi cuius Pulchrum, intuitu familiaris hominum commercii, reciprocaeque occupationis, peculiare pretium obtinet, — ad quas artes sociales pertinet imprimis, Musica, et Ars Saltandi. Utraque illa Invitamenta, in manifesta relatione ad egoisticas, et sympatheticas inclinationes, quae Pulchrum ipsum, in instrumentum saturationis sui convertunt, proinde proprie id, nonnisi ut iucundum quidpiam considerant (§. 7.), posita sunt. Longe alius, et altioris generis est illud Invitamentum, quod nos praecipue, ideo ex pulchris naturae Obiectis capimus, quoniam Natura, cum oculos auresque nostras, tam varia ratione oblectat, homini, tanquam perfectissimo suo Producto organico favere, eumque ad altiorem culturae gradum evehere videtur (Met. §. 148 et 149), — aut etiam ex pulchris Artefactis, quoniam homo in iis, sua imaginandi et exhibendi vi, ut Productrix quaedam, et se ipse excolens, ut veneranda et admiranda Potestas apparet. Quare, vel hoc intuitu, Exsistentia et Conservatio eorundem, tanquam dignitatis nostrae documenta, culturamquae nostram promovendi instrumenta, permultum nostra intersunt. Ambo ergo et prima illa fortuiti, Pulchri, Invitamenti genera, sensibili; duo posteriora autem intellectuali Invitamento sunt affinia. Caeterum, facile hinc magna illa vis, qua Pulchritudo animum nostrum ad se trahit, comprehendi potest, quandoquidem illa hunc, quasi ex omni ambitus puncto contingit. Interim, id quoqun iure videtur adfirmandum, purum Pulchri amorem in paucissimis eius amatoribus reperiri. Maxima certe hominum multitudo Pulchritudini, ex iisdem Egoismi sordidi Principiis nuncupat Sacramentum, ex quibus solet idem, Virtuti quoque nuncupare.

§. 14. Pulchritudo libera, seu substantialis, et inhaerens, s. fortuita.

Quodsi Pulchrum, nonnisi propter Formam suam placet (§. 12. et 13.): intelligitur in eadem, quoad Subiectum percipiens, certam quandam Finalitatem positam esse. Cum autem non necessarium sit, determinatum quendam sibi in perceptione Obiecti Pulchri finem repraesentare, cuius caussa Obiectum ipsum productum videatur, atque, id quoque ita, quemadmodum est, ideo informatum esse debuisse, ut in eo Complacentiam inveniamus: nihil dubitandum, nonnisi Finalitatem, per Formam apparentem esse universe, quae in Pulchro placeat. Si, et in quantum autem in obiecto quopiam, cuius Forma, iam per finem suum necessario determinata est, Pulchritudo nonnisi fortuito reperitur, ut obiectum, non in se et per se, tanquam res pulchra, sed tantum ut ornata quaedam sit consideranda: tum, et in tantum, etiam Complacentia Pulchri, a Repraesentatione determinati cuiusdam Finis, depen-

dens est. Quamobrem Pulchritudo, partim ut libera, seu substantialis; partim ut inhaerens, seu fortuita esse putanda est; ipsumque Pulchrum, partim ut absolute, partim ut relative Pulchrum sit, necesse est.

Obs. 1. Quod, tanquam minime finale, apparet: nunquam ut Pulchrum placere potest. Corpus hominis v. c. aut animalis monstruosum, aedificium oblique, et ita positum, ut in singula momenta ruinam minari videatur, quantumvis in se solidum sit, ut lusus Naturae, aut Artis, haud quaquam Naturae curiosum, Architectumque, quemadmodum illum, qui libenter, quae singularia sunt, et admiranda videre gestit, Invitamento capiet, cum res huius generis, sphaeram cognitionis amplificent, curiositatemque irritent: sed complacentiam aestheticam, seu formalem, minime queunt excitare, eo quod ipsa earum forma, ut minime finalis appareat. Quare, ut, quod Pulchrum est, saltem speciem Finalitatis prae se ferat, necesse est. Enimvero, potest quidpiam, ut Pulchrum, placere, quin de fine eiusdem movere quaestionem oporteat. Regiones, flores, fructus, animaliaque (homine, qua animali, non excepto) possunt, ut res pulchrae placere, absque omni finis determinati repraesentatione, a quo scil. Forma rerum harum pendeat, sive eae in Natura reperiantur, sive beneficio Artis exhibeantur. Nam hae, in hac ipsa exhibitione, sine illa repraesentatione placent. Res huius generis, in se et per se sunt pulchrae, eae, intuitu aesthetico, sui ipsius caussa exstant, pretio aesthetico absoluto pollent, Pulchritudo earum, quippe ab omni heterogeneorum, et ab aesthetica complacentia alienorum finium admixtione libera, in, cum, et per se subsistens, seu substantialis est. Enimvero Pulchritudo, in Obiecto quoque reperiri potest, cuius Forma, per finem eiusdem iam determinata est, tales tamen modificationes patitur, ut pari modo complacentiam excitet aestheticam. Domus quaedem v. c. aut supellex domestica, et Numus, aliaeque res, determinato quopiam fine gaudent, cuius caussa determinatam Formam recipiunt: haec autem Artis aut Decorationis beneficio, id genus culturae capax fieri potest, ut res tales, ob suam Pulchritudinem placere queant. Obiecta huius generis, adscita Pulchritudine, intuitu aesthetico, minime substantialia esse pulanda sunt, alius quippe finis caussa producta, cui, quoad formam subordinari debeant; proinde Pulchritudo eis nonnisi fortuito adhaeret, pretiumque eorum aestheticum mere relativum est. Nam in diiudicanda horum Obiectorum Pulchritudine, proprius exsistentiae eorundem Finis, determinataque eatenus forma, in consilium simul adhiberi debent, adeoque, a repraesentatione determinati cuiuspiam finis progrediendum est, ut perspicere liceat, ea, non tantum forma finali generatim esse praedita, sed etiam fini illi respondere, cuius caussa illa proprie exstant, cum per finem illum, Forma eorundem, iam in antecessum determinata est, proinde ea huic fini primum respondere debent, si modo ius ad Finalitatem vindicare sibi volunt.

Obs. 2. Pulchritudo, inquit Kant in Critica Facultatis Iudicandi §. 17. cernitur in Forma Finalitatis Obiecti eu-

iuspiam, in quantum ea sine repraesentatione finis in ea percipitur. Quae Criticae declaratio, immerito fuit condemnata, quasi vero adserere illa voluisset, fieri posse, ut res quaepiam finalis sit, quin certo cuidam fini respondeat. Enimvero, aliud est finalitas sine fine, et Forma Finalitatis sine repraesentatione finis. Fieri potest, ut res quaepiam finalis appareat, quin necesse sit, determinatum quempiam finem in ea repraesentare, etiamsi re ipsa tali fini videatur esse accommodata. Quare, vitium declarationis Criticae, proprie, in duobus his momentis positum est, puta, in ea, complacentiam formae, ne commemorari quidem, eamque declarationem, nonnisi ad Pulchritudinem absolutam, non autem relativam, posse applicari. Proinde declaratio illa, intuitu priori, iusto latior, posteriori autem, iusto angustior esse videtur (Log. §. 123. Obs. 1.). Rectius ergo, declaratio illa, sic videtur esse constituenda: Pulchritudo cernitur in Forma Finalitatis Obiecti cuiuspiam, in quantum ea, cum complacentia in eo percipitur; atque Pulchritudo isthaec libera, per se subsistens seu absoluta est, in quantum ea, in Iudicio aesthetico, a repraesentione determinati cuiuspiam finis, independens est: contra adhaerens, fortuita, seu relativu in tantum est, in quantum ea ab illa pendet. Enimvero, Critica, de Pulchritudine libera (quam illa vagam quoque dicit) atque adhaerente, non videtur rectum habere Conceptum. Namque, de floribus, de plurimis avibus, de delineationibus, phantasiis musicis, aliisque Naturae et Artis productis asserit, haec omnia ad Pulchritudinem liberam pertinere: contra Pulchritudinem hominis, equi, et aedificii, adhaerentem tantum esse. Id quidem de aedifficiis permitti potest: nequaquam tamen de hominibus, et animalibus, quorum Pulchritudo, minime a determinato quodam Conceptu pendet, secundum quem sit Finalitas eorundem diiudicanda. Sed, neque id videtur esse admittendum, quod in Critica Pulchritudo libera, vaga quoque nuncupetur: quandoquidem vago, fixum opponitur, Pulchritudo autem libera, non minus fixa esse potest, quam vaga.

§. 15. Pulchrum, pro Obiecto sensibili consideratum.

Quod ob Formam suam, Obiectum Complacentiae aestheticae esse debet: nae id, ut simul (intuendo, aut sentiendo) perceptibile, proinde sensibus, aliqua demum ratione datum sit, necesse est. (Fund. §. 77.). Atqui Sensus generatim, partim externus, partim internus est. (ibid. Obs. 3.). Ergo quodlibet Pulchrum, aut externi, aut interni sensus Obiectum esse debet.

Obs. Res non sensibiles, aut suprasensibiles, nunquam immediata, Conscientiae aestheticae Obiecta esse possunt, verum, sensificari prius debent, ut sub certa Forma appareant, quam eae, ut Obiecta pulchra, placere queant. Quare, si Ars Obiecta religiosa, quae non ad meram Religionis historiam pertinent; verum Naturae sunt suprasensibilis (§. 84.) exhibere laborat: sane ea, pari ratione, legi illi subordinari debent. Sed ea, si, sensificatio isthaec, nobili quadam ratione perficienda videtur, non aliter, quam modo humano possunt exhiberi. Proinde Anthropomorphismus in Religione, quoad Artem, minime supervacaneus esse censendus est; cumque hic in Mythologia graeca, summa cum plenitudine explicatus, ac perpolitus est: facile perspici-

tur, quantopere Mythologia illa Arti faverit, contra, quantopere Anthropomorphismus religiosus, beneficio Artis sit adiutus. Quid autem sit intuitu morali-religioso de sensificatione illa sentiendum: nae hoc in Quaestione versatur, quae non Aestheticam, sed Doctrinam Religionis spectat.

§. 16. Pulchrum, pro Obiecto sensus externi, consideratum.

Inter Obiecta Sensus externi, sensu proprio, Praedicatum Pulchritudinis, nonnisi illis potest competere, quae sensum videndi et audiendi attingunt. Nam quod reliquis, sensus externi organis percipitur, duntaxat, ob materialem impressionem placet. Contra Obiecta, quae videri, et audiri possunt: propter meram quoque Formam placere possunt. Quod autem in his non ad solam Formam pertinet, verum materialis tantum impressionis gratia placet: nae id pari modo non complacentiae aestheticae, aut puri Iudicii Gustus, Obiectum esse putandum est.

Obs. Distributio quinque Sensuum organicorum, puta, Visionis, Auditionis, Olfactus, Gustus, et Tactus, in superiores, seu nobiliores, et inferiores, seu ignobiliores, aestheticis nititur rationibus. Nam sensus Visionis, et Auditionis, prae caeteris, ea re distinguuntur, quod Praedicatum Pulchritudinis, exclusive ad eorum Obiecta refertur, cum aestheticam complacentiam, sola haec in animo ciere queunt. Quod propter gratam Olfactus, et Gustus affectionem placet: id nervos horum sensuum, nonnisi per materiam afficit, in quantum partes eius, aut iam in athmosphaera solutae, dissipataeque sunt, aut in ore solvuntur, spargunturque. Quare proprie, sola materialis impressio, quasi sensibilis organorum titillatio est, quod in his Obiectis placet. Sed Forma harum rerum, nonnisi oculis percipi, complacentiaque considerari potest. Ad eundem modum, quod sensui Tactus blanditur: duntaxat ob impressionem materialem placet, quandoquidem nervos Tactus, voluptate demulcet. Contra Visione, omnium eorum Obiectorum, quae sub hunc cadere possunt sensum, Forma, maxima cum facilitate, claritate, plenitudineque, et apprehendi, et considerari potest, atque, non in quiete solum, verum etiam in motu eorundem. Proinde, hic demum, omni, materialis impressionis admixtione libera complacentia aesthetica, possibilis est, ut etiam Iudicium Gustus puri, quod huic innititur, hic unice possibile est, quamquam, non quid quid oculis percipitur, ad solam rerum Formam pertinere putandum est. Nam color Obiecti visibilis, proprie, nonnisi, ut stimulus materialis, agere in oculum potest, cum is, duntaxat in illius materiae modificatione inest, quae organo Visus, stimuli loco inservit, puta lucis. Quare color, non in se, sed in tantum duntaxat potest esse complacentiae formalis Obiectum, in quantum is, ad Formam rei cuiuspiam delineandam, et quasi animandam spectare videbitur. Quamobrem color, in hac sola relatione, ius ad Pulchritudinem vindicare sibi potest: quod vel ex eo apparet, quod Producta Artis scalptoriae, et statuariae, sine colore quoque summopere possint placere. Quod denique sensum Audiendi attinet, solus quidem, et in se sumtus, nonnisi ut stimulus materialis, in aures agere putandus est: verum per coniunctionem sonorum simultaneorum, et successivorum, eam determinatam formam

potest sonus qui auditur consequi, ut is eatenus, formalis, atque aestheticae complacentiae Obiectum fiat. Quare soni, singillatim sumti, duntaxat iucundi sunt, coniuncti autem, si ob Formam Compositionis, Tactum voluptatis in animo eliciunt, pulchri esse putandi sunt.

§. 17. Pulchrum, pro Obiecto Sensus interni consideratum.

Obiecta Sensus interni, partim Repraesentationes sunt, partim certae, quae ex iis emergunt, animi conditiones, in quantum scil. eae, interne percipi possunt. Forma illarum, in modo coniunctionis earundem, exhibitioneque per certa signa consistit, quibus eae, sensui quoque externo, ut sensus internus, denuo in motum concitetur, proponi possunt. In quantum ergo hic, complacentia aesthetica in animo exsistit: Obiectis quoque illis, Praedicatum Pulchritudinis competat, necesse est.

Obs. Repraesentationes quaelibet, quarum nos (abstrahendo a Perceptione externa) maiori, aut minori cum claritate, conscii sumus, aut Sensus interni, aut altiorum animi Facultatum Producta sunt. Ad has deinde, quemadmodum ad Obiecta Sensus externi, possunt, certae quaedam animi conditiones referri, ut sunt v. c. sympathetici motus, affectus et passiones, amor, odium, timor, determinationesque voluntatis. Quidquid horum fuerit, ita id, quemadmodum paulatim in anime explicatur, apparet quoque in sensu interno, partim oportunitate Obiectorum externorum, partim propria animi actuositate. Quodsi itaque Obiecta haec Sensus interni, singillatim considerantur: nae ea, solâ materia placere possunt, Invitamentoque suo, tanquam Iucundum et Bonum quodpiam, capiunt. Ut autem complacentiam aestheticam, Invitamentumque Gustus in nobis cieant: ea ratione componenda illa, et exponenda sunt, ut haec Compositionis, Expositionisque Forma, cum Tactu voluptatis proprio, queat percipi. Compositio interni, vicissim interni quidpiam est; Expositio contra, externum quid est: cum haec signis visibilibus, et iis, quae audiri possunt, utpote habitu oris, et Gesticulatione corporis, tonis articulatis, et inarticulatis, quorum perceptione per sensum externum facta, Internum vicissim in motum concitatur. in quorum compositione, tanquam signo Interni, novus complacentiae aestheticae fons potest iacere. Nam Forma Compositionis externae, in se iam placere potest, etiamsi Interum, cuius signum externum est, apprehendere non liceat, — quantumvis complacentia aesthetica, nonnisi coniunctione Interni cum Externo, et mutua utriusque relatione, supremum potest adsequi gradum.

§. 18. Externe, seu corporaliter Pulchrum, et interne, seu spiritualiter Pulchrum.

Est itaque, quod externe, et quod interne Pulchrum esse videatur. Illud ad Obiecta sensus externi, partim in se, et per se, partim ut signum Interni consideratum; hoc autem ad Obiecta solum seusus interni refertur. (§. 16 et 17.). Praedicatum Pulchritudinis, in tantum utrisque competit, in quantum ea aestheticam, seu formalem in animo Percipientis efficere possunt complacentiam (§. 11 et 12.).

Obs. Quanquam, secundum hactenus dicta, discrimen externe, et interne Pulchri, in ipsa facultatis cognoscendi natura fundatum est; attamen observandum simul, Obiecta sensus externi pulchra, proprie, nonnisi ideo altiorem quamdam complacentiam progignere, quod ea in animo Percipientis, simul internum quidpiam in motum cient, atque Conscientiam traducunt, proinde tanquam signa Interni, multum significantia, animum ipsum compellant, et ad actuositatem sollicitant. Certe, statua quaedam, imago picta, symphonia, saltatio, atque regio, sive naturalis illa sit, sive artificialis (hortus), absque illa significatione, nullam peculiarem in nobis excitarent complacentiam. Quamobrem, proprium externe Pulchri fundamentum, in interne Pulchro positum est, quamquam proximam, ad Gustum formandum, oportunitatem, illud suppeditet, si quidem id animo, ad altiorem Gustus voluptatem, receptivitatem conciliat, sensumque ad interne Pulchrum percipiendum, quasi reserat et aperit. Ii autem, qui sensu interne Pulchri destituti, nonnisi in externe Pulchris voluptatem capiunt: ut plurimum haec, ut rem iucundam amant, eo quod iis sensus suos, quasi titillari gestiunt. — Externe Pulchrum, potest quoque corporaliter Pulchrum appellari, cum id, ad visibiles, auribusque perceptibiles, Obiectorum corporeorum proprietates, referatur: quemadmodum interne Pulchrum, spiritualiter Pulchrum dici potest, cum id, ad internam animi actuositatem spectet. — Sed animus quoque, seu spiritus, nuncupari potest pulcher, in quantum is, actuositatem suam, partim productione rerum pulcharum, partim accurata earundem diiudicatione monstrat, ubi tamen, discrimen corporaliter, et spiritualiter Pulchri, non amplius attenditur. — A Spiritu pulchro, Anima pulchra distinguitur, quae scil. sensatione molli ac tenera, seu Receptivitate passiva magis, quam Iudicio subtili, Productioneque activa semet annuntiat.

§. 19. Affinitas Complacentiae aestheticae, cum sensibili, et intellectuali, atque Invitamenti utriusque.

Complacentia aesthetica, Invitamentumque aestheticum, partim cum sensibili, partim cum intellectuali, habent suam affinitatem, et quasi inter utrumque positum membrum medium est, quod ambas partes coniungat. Nam in quantum, nonnisi Obiecta externi, et interni sensus, ut pulchra possunt diiudicari (§. 15.): est illa complacentia, cum sensibili cognata, quod ea etiam ad talia Obiecta referatur (§. 10.); in quantum autem id genus Obiecta, duntaxat ob suam formam, ut pulchra diiudicantur (§. 12.), et interne, seu spiritualiter Pulchrum, externe, seu corporaliter Pulchri fundamentum constituat (§. 18.): continuo complacentia aesthetica, adeoque, et Invitamentum aestheticum, super illa semet extollunt, intellectualique appropinquant, quod ad Ideas Veri et Boni, seu ad Ideale refertur. (§. 10.) Quamobrem Pulchrum pro sensibili quoque Veri et Boni Typo potest haberi ac considerari.

Obs. Veritas et Bonitas, sunt Ideae Rationis, et Invitamentum Veri et Boni, est Invitamentum Rationis, ex τῷ Absoluto in cognoscendo et agendo, seu ex Ideali captum (Fund. §. 81. Obs. 1 et 2.) quamobrem id, supra (§. 10.), Invitamentum quoque rationale dictum

est. Sed Ideae illae, quoad nos, tanquam Entia sensibilia, sensificatione opus habent, ut nos, vivide satis, in suas partes trahant, animumque intime occupent. Quare Pulchritudo, tanquam Forma perfectissima, sub qua potest sensibile universe apparere, quoad nos, tanquam Entia sensibilia, το Absolutum, seu Ideale ipsum, quod, qua tale, nunquam proprie apparere potest, repraesentat. Proinde Pulchrum, inter mere sensibile, et inter pure rationale, in medio pendet; in eo videtur το Rationale, quasi corpore indutum, aut in Schemate delineatum, ac exhibitum esse. Haec caussa est, cur a Pulchro tam potenter in suas trahamur partes, efficiamurque proclives, ut Pulchritudinem hominis cuiuspiam, non solum, quasi criterium Bonitatis moralis, innocentiae, veracitatis, ipsiusque adeo sapientiae consideremus, sed etiam, ut eidem, prae aliis, qui non tam pulchra Forma a Natura dotati sunt, faveamus. Ars quoque ipsa, si modo Veritatem et Bonitatem, Rationemque ipsam, ex qua ambae procedunt, exhibere vult, ad Pulchritudinem confugit, hancque, ut Typum, seu Simulacrum, aut Repraesentantem sensibilem proponit. Quae Pulchri, cum mere sensibili, ex una parte, ex alia autem, cum pure rationali, affinitas, est quoque caussa, cur tam crebro Pulchrum, cum Iucundo, et Utili, aut cum Vero, et Bono, idque tam in Theoria, quam in Praxi confundatur. Quamquam autem Permixtio isthaec, intuitu practico, nunquam videatur cessatura, eo quod Artifices, et Amatores, non libenter soleant abstrahere: attamen Criticis, et Aestheticis, merito reputandum foret, iis, ut theoreticis, functionem abstrahendi, et distinguendi, in officio esse, cum ad bene docendum, το bene quoque distinguere, iure videatur requirendum.

§. 20. Secunda Pulchri, et Pulchritudinis declaratio.

Cum Perceptio Pulchri, ob suam ad Ideale relationem, (§. 19.) animum supra Mundum sensibilem, in quo, nihil non finitum est, ad Mundum Idearum, quem Ratio, ut infinitum omnium eorum complexum repraesentat, ad quae Ideae referuntur, extollit: potest quoque Pulchrum, pro eo declarari, quod interventu Formae suae, Infinitum in Finito praesagire iubet, eatenusque placet; — proinde Pulchritudo quoque, illa rei cuiuspiam proprietas esse debet, quatenus ea, in animo Percipientis, per Formam suam, praesagitionem Infiniti in Finito, et per hoc ipsum, Tactum voluptatis ciet (§. 13.).

Obs. Quandoquidem in Mundo sensibili, omne quidquid est, Spatii et Temporis carceribus subiectum est: profecto, quidquid etiam in eo perceptibile fuerit, limitibus circumscriptum, seu finitum est; proinde, ipsum quoque Pulchrum, in quantum id sensibiliter percipitur, tale esse oportet. Sed cum, quod Sensibile est, in Forma, quam modo adoptare possit, perfectissima, in habitu scil. Pulchritudinis apparet, id nos simul, in conditionem animi idealem transponit, cogitationemque Mundi idealis, tanquam infinitum omnis Idealis complexum, in nobis in motum ciet, adeoque, in finito illo, quod percipimus, Infinitum ipsum, quod nunquam licet percipere, iubet praesagire, cum perceptibile quodque, certis limitibus clausum esse oportet, ut per sensus queat comprehendi. Quare, minime realis quaedam Infiniti Intuitio est, quae per Pulchrum

nobis datur, sed mere praesagitio tantum, h. e. obscura duntaxat altioris cuiusdam illius repraesentatio, quod pone finitam Formam occultatum iacet, sed quod nos, neque in determinatos Conceptus redigere, neque verbis eloqui, ac describere valemus. Quae Animi, in conditionem idealem, per Pulchrum effecta translocatio, Ecstasis, seu, Raptus vocatur. Nam Pulchrum, quasi animum a corpore abstrahit, nosque adeo a sede Mundi sensibilis dimovet, adque Mundum Idearum adducit. Qui Animi Raptus, ut plurimum tranquilus, et elinguis est, quoniam, quod in, cum, et per perceptionem Pulchri sentimus, ac cogitamus, infandum quidpiam est. Nonnisi, singillatim fractae exclamationes eae sunt, quibus animus, in Intuitionem Pulchri mersus, quasi laxamento facto, viam sibi aperire laborat. Quare in Pulchro, est aliquid mysteriosum, seu, secreti plenum, quod quasi velo obvolutum est, per quod το Infinitum, vulut Imaginem quandam ambiguam, in obscura distantia conspicamur, quin ad illud penetrare, determinataque delineatione complecti id liceat. Quare pone id, quod percipimus, longe amplius, et altius quidpiam latatire suspicamur, quod ipsum est, quod praesagitione Infiniti in Finito innuimus.

§. 21. Relatio Pulchri, ad originarias Animi vires, harumque in Pulchro contemplando occupatio.

Pulchrum, in tali ad originarias animi vires, relatione positum est, ut id, per Perceptionem Formae suae, imaginationem, et intellectum, modo facili, et regulis convenienti, continet in occupatione, quae occupatio, liber quidem, sed cum intellectu consentiens Phantasiae lusus possit appellari, — proinde, per hoc placet, quod id, in animo Percipientis, conscientiam liberae et harmonicae virium illarum actuositatis excitat, atque ea ratione tactum vitalem exaltat, et auget. Quare Complacentia Pulchri, nihil aliud est, quam Perceptione Formae finalis Obiecti cuiuspiam, evectus, seu promotus Tactus vitalis, atque ob id ipsum, inest illa, in puro h. e. nullo taedio permixto voluptatis Tactu.

Obs. 1. In cognitione Obiecti cuiuspiam, Sensus et Intellectus, communiter sunt occupati, et ille quidem, ut Facultas Intuitionum et Sensationum, hic autem tamquam Facultas Conceptuum. (Fund. §. 77. et 79.). Ad illum, tamquam Sensum internum, pertinet etiam vis Imaginandi, seu Phantasia (Fund. §. 77. Obs. 3.), cuius ope Obiectum, sub Formis Sensualitatis, interne exhibetur, seu imago de eo, tanquam re spatiosa et temporali, delineatur. (Met. §. 16, 22 et 43.). Quamobrem vis imaginandi, non solum in Fictione, tanquam libita, seu fortuita, sed etiam in cognitione, tanquam necessaria procreatione, et coniunctione Repraesentationum est occupata. In mera cognitione, vis imaginandi per Intellectum, intra limites adeo determinatos continetur, ut actuositas eius, tamquam legibus intellectus ligata appareat (Met. §. 44—47.). Actuositas ergo intellectus, Facultatisque imaginandi, in cognitione datorum Obiectorum, harmonica quidem est, quoniam convenientia virium cognoscendi, quibus activitas unius, activitati alterius accomodata est, in originaria, seu, a priori determinata conditione inest, possibilitatis cognitionis cuiuspiam universe, si quidem, repugnantibus cognoscendi viribus, nulla vera cognitio posset constitui:

sed harmonia illa, per Leges Naturae, quibus Intellectus, et se, et vim imaginandi subiicit, quasi vi est extorta, ne ea in functione formandi fingat, aut pro lubitu producat, et combinet. Enimvero in cognitione Obiecti cuiuspiam Pulchri, ex una parte, apprehensione Formae finalis Intellectui satis fit (§. 14.); ex altera autem parte, vis imaginandi, per incitatam idealem animi conditionem, praesagitionemque Infiniti in Finito, a coactione illa, cui in mera cognitione adstringitur, immunis redditur (§. 20.), idque adeo, ut ea in Pulchro, Productum propriae suae actuositatis, — Obiectum quippe, ut ab ea ipsa procreatum, — sibi videatur intueri. Perceptioni itaque Pulchri, ambae illae vires, adeo in earum actuositate reciproce adiuvantur, ut eae, facili quidem, regulis tamen congrua ratione, sint occupatae, proinde actuositas earundem, ut harmonica, attamen simul, ut libera apparet. Hinc, minime mirandum est, si animus in consideratione Obiecti pulchri, intima cum complacentia moratur, si id amore tenerrimo complectitur, sique in conscientia harmonicae, et tamen liberae actuositatis virium suarum, dulcissimam sibi reperisse exsistimat fruitionem.

Obs. 2. Homo, nonnisi in tantum, Tactum vitae suae habere censendus est, in quantum is, suae actuositatis conscius est. Quodsi conscientia isthaec interrumpitur, quod in somno profundo, in deliquio animi, et in morte opinata fit: Tactus quoque vitalis tollitur. Sumus autem nobis, actuositatis nostrae conscii, si, quacumque demum ratione occupati sumus, h. e. si vires nostrae, tamquam fontes actuositatis nostrae, stimulis (sive externis, sive internis) ad id determinantur, ut in actuositatem transeant, seque exserant. Unice ergo actuositate virium nostrarum conscii reddimur: sed conscientia isthaec, nonnisi mediata, illa immediata est. Omnis occupatio autem, aut in lusu, aut in labore inest: illud, si ea, ut libera actuositas apparet, cum certa quapiam facilitate efficitur, et semet in continuo nisu conservat; hoc autem, si ea, ut actuositas ligata apparet, et certis cum difficultatibus coniuncta est, quarum superatio, contentione virium constat, proinde, coactionem quamdam exposcit, quae Occupatio, aut per alios, aut per se ipsum, ut certum quempiam finem liceat assequi, imponitur. Quod inter certa rerum adiuncta, lusus in laborem transire queat, aut contra labor in lusum vertatur, dubio caret: neque tamen hac re, discrimen amborum tollitur. Labor, qua talis, aut re ipsa cum taedio coniungitur, si difficultates ei adhaerentes contentionem virium postulant, quae vitam molestia afficit, eo quod, Tactum vitalem, cum consumtione virium intendit: aut animum relinquit indifferentem, si Tactum illum, ad altiorem intensitatem haud quàquam auget. Voluptas cum labore nonnisi tunc demum coniungi potest, si, aut fortunatus laboris progressus, proinde adeptio finis, superatis iam maiori ex parte difficultatibus, prospici, eatenusque voluptas, quae cum assequendo Fine coniuncta est, anticipari potest: aut, si determinatus quidam laboris modus, quoad certum quoddam Subiectum, quasi in lusum convertitur. Nam lusus, qua talis, nunquam non cum voluptate coniungitur, eo quod ex facilitate, qua is procedit, consensionem facultatum in actuositatem positarum sentire licet, proinde sensus vitae evehitur, aut

promovetur, quae caussa est, cur lusus consilio recreationis, seu restaurationis animi quaeratur.

Quamobrem, occupatio animi in mera cognitione, iure pro labore haberi potest, quippe quae saepenumero, maiori cum contentione coniuncta est, animumque delassat. Contra in consideratione Obiecti Pulchri, non ut id tanquam Obiectum cognoscamus, verum, ut nosmet ipsi, impressionibus eiusdem ad Subiectum, tradamus, occupatio animi, ut lusus apparet, licet; ut serius, et animo dignus (res severa est verum gaudium), qui animum incitat, Tactumque vitalem evehit, eo quod is nobis, conscientiam liberae, et harmonicae actuositatis virium nostrarum porrigit, atque in hac conscientia, altiorem quandam, quam quae mere sensualis est, vitam (in Mundo Idearum) iubet praesagire. Sed conscientia isthaec, haud quaquam opus habet, ut cum clara, et perspicua virium illarum, actuositatisque earundem repraesentatione, coniuncta sit; huius generis repraesentatio vero, primum quoque, argumentando de complacentia aesthetica, exsistit; Functio autem argumentandi, per hoc ipsum, quod ea ad claras, et perspicuas repraesentationes consequendas grassatur, tactum debilitat. Ipsa obscurarum, et minime perspicuarum repraesentationum regio est, in qua Tactus dominatur. Quo fortior itaque Tactus fuerit: Repraesentationes nostrae, respectu perfectionis logicae, eo plus amittere censendae sunt, eo-, quod in considerationem Obiecti ipsius, quod Tactum in nobis ciet, toti quanti immersi sumus.

§. 22. Tertia Pulchri, et Pulchritudinis declaratio.

Ex quibus omnibus, sponte consequitur ultima isthaec declaratio: Pulchrum est, quod sua forma, vim imaginandi seu Phantasiam, et Intelligentiam Percipientis, modo facili, et regulis congruo, proinde cum complacentia occupat, — aut: Pulchritudo, est illa rei cuiuspiam proprietas, vi cuius ea per suam formam, Phantasiam, in liberum, sed cum Intelligentia consentientem lusum, transponit, Tactumque vitalem eatenus, in animo Percipientis exaltat (§. 13 et 20.).

Obs. Quandoquidem Declaratio isthaec, in mero Resultato inest, omnis illius Analyseos rerum conscientiae, in facto positarum, quae ad Perceptionem Pulchri, adque complacentiam cum eo coniunctam referuntur: nae ea nullius illustrationis, et defensionis amplius opus habet. Indirecte tamen, ad eam illustrandam, nonnihil confa. ent declarationes aliorum hac in materia editae, v. c.

Baumgarten, Mendelsohn, aliique Aesthetici dixerunt: Pulchritudinem, nihil aliud esse, quam intuibilem, seu sensibiliter cognitam rei cuiuspiam perfectionem. Neque etiam negare licet, esse quidpiam, quod in hac declaratione verum esse videatur. Nam, ut aliquid Pulchrum sit, necesse est, ut, ex una parte, finale quidpiam in sua forma habeat (§. 14.), ex alia autem parte requiritur, ut id, cum sensu externo, aut interno, in certa relatione positum esse debeat. Enimvero, non quaelibet intuibilis, aut sensibiliter cognita, rei cuiuspiam perfectio, progignit in nobis eius generis complacentiam, ob quam illa pulchra posset censeri.

Hutcheson, Home, aliique Aesthetici contenderunt, Pulchritudinem, nihil aliud esse, quam unitatem in varietate obviam. Declaratio quoque isthaec, aliquid tale commemorat, quod in Obiectis pulchris deprehenditur, ut ut haud quaquam exclusive. Nam, in quolibet numero, in triangulo, in machina, in mergite aristarum, in fasce virgarum, aliisque rebus similibus, non deest unitas in varietate, neque tamen eas pulchras idcirco essse affirmamus. Idea itaque Pulchritudinis, unitate illa, quae in varietate obtinet, tam minime determinata est sufficienter, qua perfectione intuibili.

Batteux, aliique Aesthetici existimarunt, Pulchritudinem non aliud esse, quam convenientiam rei cuiuspiam, cum Natura ipsa. Enimvero, sententia isthaec, minus adhuc probabilis esse videtur, quam declarationes proxime recensitae. Nam, si vel taceamus, Conceptum hunc, nonnisi in Pulchritudines arte factas quadrare, si quidem in ipsa Natura, id quoque, quod minime pulchrum esse videtur, cum Natura conspirat, consequenter, proprietas isthaec, criterium Pulchritudinis naturalis esse nequit: nihil impedit, quin tale quidpiam in Arte reperiatur, quod cum Natura conveniat, neque tamen pulchrum sit, quemadmodum fieri potest, ut quidpiam cum Natura haud quaquam conveniat, et tamen pulchrum dici mereatur.

Ex Declarationibus Pulchri, a Kantio propositis (nam is, secundum quatuor Categoriarum classes, quatuor instituit declarationes), duas iam nos, quae Qualitatem et Relationem attingunt, supra (§. 9, 13, 15.) exposuimus, et diiudicavimus. Quae duae adhuc reliquae sunt, eae proprie, minime Conceptum, aut Ideam Pulchritudinis explicant, verum Complacentiam duntaxat aestheticam, Iudiciumque aestheticum ei superstructum, velut Universale quidpiam, et necessarium describunt: quamobrem, eo magis licebit illas hoc loco praetermittere, quod haec Iudiciorum aestheticorum dignitas, infra in Crimatologia aesthetica, videtur esse ponderanda.

§. 23. Ideale Pulchritudinis.

Maximum illud Pulchritudinis, quod a Ratione ipsa cogitatur, nonnisi per hoc potest (interne et externe) intuibile reddi, si Phantasia, imaginem quandam rei cuiuspiam singularis, quae Ideae illi accomodata est, ob eamque caussam Ideale Pulchritudinis appellatur, delineat, visque exhibendi, imaginem hanc, in materia quapiam externa, re ipsa proponit (realisat). Quare Pulchritudo, in quantum illa, ut idealis repraesentatur, ut in Obiecto quopiam Formae determinatae, deprehendatur, necesse est. Vis ergo imaginandi, το Ideale, nonnisi intuitu earum rerum potest delineare, quarum varietas in Individuo, ad unicam Formam fundamentalem, tanquam normalem Generis intuitionem reduci potest. Sed inter omnes Obiectorum experientiae formas, sola hominis, tanquam Producti naturalis perfectissimi Forma, animo se humano, qua talem offert, quae ad Ideale Pulchritudinis effingendum, atque exhibendum, quam aptissima potest videri. Enimvero, ipsa haec informatio, et exhibitio, res solius Artis esse putanda est.

Obs. 1. Ratio, quâ Facultas Absoluti, Idearumque, quae ad id referuntur (Fund. §. 81. Met. §. 88.), ipsam Pulchritudinem quoque, tanquam το Absolutum, seu summum, et absolutam Pulchritudinem repraesentat. Sed Repraesentatio isthaec, quâ mera Rationis Idea, nihil intuibile in se continet, proinde intuitu materiae suae, prorsus indeterminata est, h. e. ea, nullum determinatum Obiectum habet, ad quod referri queat, verum hoc ei prius dandum est. Obiectum autem hoc, minime immediate, et extrinsecus dari ei potest, eo quod animus mensura normali prius opus habet, quam secundum eam determinare possit, num Obiectum quodpiam externum, Ideae suae de Pulchritudine absoluta constitutae, respondeat. Animus itaque, progignere sibi quidpiam debet, quod Ideae illi, quantum modo fieri potest, accomodatum esse videatur. Proinde is, ut in primis sensificatione Ideae, Imaginem quandam, de tali Obiecto intra se delineet, ac constituat, necesse est, antequam ad exhibitionem eius, extra se, seu, ad realisandam externe suam Ideam progredi queat. Vis imaginandi est itaque, quae Imaginem illam, de Obiecto Ideae Pulchritudinis absolutae respondente, delineare, atque Facultas exhibendi, vi imaginandi ducta est, quae Imaginem ab illa delineatam, in Obiectum reale vertere debet. Res illa singularis, quae Ideae cuipiam accomodata cogitatur universe, Ideale vocatur, et praesertim quidem Ideale Pulchritudinis, in quantum ea Ideae absolutae Pulchritudinis accomodata videtur. Est ergo illud commune Rationis, atque imaginationibus Productum. Enimvero Ideale, interventu Phantasiae delineatum, ab Ideali, vi exhibendi effectui dato, distinguendum. Illud scil αρχετυπον, hoc εκτυπον est; h. e. illud in originario Ideali aesthetico, hoc autem, in derivato ideali Pulchritudinis, imitatione expresso inest.

Obs. 2. Obiectum, ut idealiter pulchrum sit, determinatam quandam formam habeat, necesse est: secus Phantasia, nullam de eo Imaginem delineare, et vis exhibendi, quod delineatum est, ad exitum perducere nequiret. Quare Obiectum illud spatiosum, Spatium, Substantiâ perdurante complens, et intra determinatos limites Intuitioni, datum esse oportet, quod, vis imaginandi originarie repraesentet, vis autem exhibendi, imitando exprimat. Quidquid ergo, quod in tempore duntaxat apprehensum est, aut, ob successivam sui mutationem in Spatio, quasi per transennam duntaxat apparet, haud quaquam potest pro Ideali Pulchritudinis repraesentari, et exhiberi. Quamobrem, nullum exstat Ideale tonorum, et motuum pulchrorum, sed Ideale tantum Formarum pulchrarum. Formae autem, quae Ideali Pulchritudinis pro fundamento inserviunt, ita comparatae esse debent, ut non obstante empirica earundem varietate, quae infinita esse potest, Forma illarum fundamentalis, in unicam Imaginem determinatam queat comprehendi. Proinde, nullum esse potest Ideale aedificii cuiusdam pulchri, regionis pulchrae, plantae pulchrae, aut animalis pulchri. Quare ad Ideale quodpiam constituendum, inter omnia Naturae Producta, organica et inorganica, aut inter illa, quae Arte efficiuntur, unum in primis eligendum foret, cuius Forma externe, maxime finalis videretur, atque ob hanc summae Finalitatis Formam, summum quoque complacentiae aestheticae gradum, id in nobis efficere posset. Quod autem haec conditio, unice in Forma hominis locum habeat, nemo facile negaverit,

qui unquam Organisationem hominis, cum Organisatione vegetabili, aut animali, vel leviter comparaverit. Unde, sola hominis Forma, apta esse videtur ad hoc, ut Ideam absolutae Pulchritudinis, plene ac perfecte sensificet, proinde inter omnes, nobis cognitas Naturae Formas, sola illa, ad Ideale Pulchritudinis effingendum, ac exhibendum accommodatissima esse putanda sit. — Caeterum, cum Critica Facultatis Iudicandi exsistimat, Pulchritudinem idealem, non vagam (liberam), sed fixam (adhaerentem) esse: tenendum est, assertionem hanc, sumtionibus niti, quarum falsitas supra iam (§. 14. Obs. 2.) exposita est. Quin imo, Pulchritudo idealis, prorsus libera, seu substantialis esse debet, atque ad diiudicandam illam, nulla determinati Finis repraesentatione opus est, ad quem, Formam humanam referre prius oportet, ut in illa complacentiam liceat reperire.

Obs. 3. Idealia Artificum Graecorum priscorum universe, nihil aliud sunt, quam idealisatae, seu, idealiter pulchrae Hominis Formae: atque, ob eam ipsam caussam sunt ea, tanquam monumenta, et Exemplaria Gustus, tantum, et vere classicum pretium ab omni posteritate consecuta. Sed ea Ectypa solum sunt Archetypi Pulchritudinis. (Obs. 1.) Quae Ectypa, pro ratione sexus, aetatis, et characteris eius, quod exhibendum erat, quia maxima cum diversitate elaboranda fuere, proprie, Ideale Pulchritudinis, perfecte assequi nunquam poterant. Quare, sive Venus Medicea, sive Apollo Vaticanus, Idealia Pulchritudinis, nuncupari nonnisi in tantum possunt, in quantum Archetypo, quantum modo fieri poterat, appropinquant. Quamobrem, Ideale Pulchritudinis, in exhibitione ipsa, pro ratione sexus, in Ideale Maris et Feminae, pro diversitate aetatis, in Ideale Iuvenis, et Senis, distribuendum videtur, eo quod, neque Mas et Femina, neque Senex et Iuvenis, neque Matrona annosa et Virgo iuvenca, possunt aequali ratione, ut Personae idealiter pulchrae, exhiberi. Hic ergo, in infinitam vicissim varietatem offendimus, atque in hac unius Idealis, ad alterum, vix observanda appropinquatio possibilis est, quam varietatem, et appropinquationem, in Artefactis priscorum reperimus, si v. c. Iovis, Apollinis, Martis, Mercurii, Bacchi, Herculis, Iunovis, Minervae, Dianae, Veneris etc. imagines inter se comparamus. Arti videlicet priscae, Mythologia illius temporis, in Idealibus effingendis maiorem in modum favit, quid? quod ea, oportunitate cultus sensibilis, coacta ad hoc fuisse putanda est, si Idealia illa, summa cum complacentia oportebat intueri. Falsa tamen assertio illa videtur, Artem, nonnisi adiumento Mythologiae illius, ad idealem Pulchri exhibitionem potuisse extolli.

CAPUT II. Hypseologia.

§. 24. Universale Sublimis, et Pulchri discrimen, — prima Sublimis, et Sublimitatis declaratio.

Complacentia Sublimis, a complacentia Pulchri, in primis eo discernitur, quod haec, ad Formam rerum, tanquam Qualitas earundem, illa autem, ad earum Quantitatem, seu, magnitudinem refertur: proinde, etiam in Obiecto, apparenter Forma destituto, locum habere potest (§. 5. et 12.). Quamobrem Sublime Praevie, declarari per hoc potest, quod id ob suam magnitu-

dinem placet, — consequenter dicendum quoque est: Sublimitatem, illam rei cuiuspiam proprietatem esse, vi cuius ea in Percipiente, voluptatem Tactus magnitudine sua ciet (§. 13.).

Obs. Quandoquidem, quodlibet Obiectum cognoscibile, intra determinatos limites sensibiles, percipiendum est: intelligitur, nullam rem, in universa cognitionis nostrae sphaera, quae omni Forma destituta sit, esse posse (Met. §. 85. Obs. 4.). Sed vero, potest nobis videri, Obiectum quodpiam informe esse, si nobis difficile fuerit, id, sub determinata quadam imagine, comprehendere. Quare, etiam res huius generis, informes nominamus, v. c. magnas, et exaggeratas rupium moles, sublatas in altum tempestatibus, et in se reverberatas maris undas etc. Et quia talia Obiecta, quod nemini dubium est, cum certa complacentia solemus percipere: profecto haec, ut ad eorum duntaxat Magnitudinem, non autem Formam referatur, necesse est, unde, non etiam illa pulchra, sed sublimia, quasi aliis magnitudine elata, nominantur. — Praeviam autem hanc Sublimis declarationem ideo diximus, quod ea, quemadmodum in Doctrina Pulchri instituimus, viam nobis muniat, ad plenam Sublimitatis declarationem consequendam.

§. 25. Aestimatio Magnitudinis, via comparationis obtinenda.

Magnitudo Obiecti cuiuspiam, duntaxat comparatione eiusdem, cum aliis magnitudinibus instituenda, potest determinari (Met. §. 55.). Si quidpiam itaque fuerit, quod in momento Perceptionis, quoad nos, supra omnem comparationem magnum esse videatur, adeo quidem, ut quidlibet aliud, si cum eo comparetur, nonnisi, ut parvum appareat: tum vero id, Quantitate sua, in imaginatione nostra, supra omnia alia Quanta semet extollit, ob eamque caussam, Sublime nominatur (§. 24. Obs.).

Obs. Nulla Magnitudo finita, est in se, et per se, supra omnem comparationem magna, quantumcunque magna ea esse videatur. Nam continuo maior quaedam Magnitudo, potest adhuc cogitari, cum qua, si illa comparetur, minorem quoque eam videri necesse est. Mons summus globi nostri terraquei, in comparatione cum Tellure ipsa, parvus est, quemadmodum haec, si cum Sole comparetur, parva est, et si Sol, cum toto Systemate planetario contendatur, non potest non parvus esse. Nonnisi Infinitum est, quod supra omnem comparationem magnum est: sed id, in sua Infinitate percipi nequit (Met. §. 79. Obs. et §. 80. Obs.). Enimvero, in perceptione, potest nobis quidpiam apparere, quod non tantum universe magnum, sed etiam absolute magnum esse videatur, idque ita, ut animus, mensura sensibili destituatur, ad cuius normam, Magnitudo Obiecti queat aestimari. Tum vero id, quia Magnitudine sua animum, totum quantum occupat, et fere opprimit, proinde, in momento Perceptionis, ipsam quoque Phantasiam, seu, vim imaginandi nostram migrat, ac superat: fit, ut Obiectum, quoad sensibilem nostram Repraesentationem, simpliciter Magnum, h. e. supra omnem comparationem Sublime esse videatur.

§. 26. Externe, seu corporaliter, et interne, seu spiritualiter, — extensive, seu mathematice, et intensive, seu dynamice Sublime.

In quantum sublime, aut externe, aut solum interne percipitur: Sublime quoque, aut externe aut etiam interne, tale esse putandum est. Illud, omnes corporeas, hoc, omnes spirituales Magnitudines, quae in Repraesentatione supra omnem comparationem extollere semet videntur, comprehendit. Illud ergo etiam corporaliter Sublime, hoc spiritualiter Sublime potest appellari. Et quia Quantitas obiectorum cognitionis, partim extensiva, partim intensiva est (Met. §. 52.): intelligitur, aliquid, aut intuitu Extensionis suae, (Magnitudo Sphaerae), aut intuitu actuositatis suae (Magnitudo Virium), posse esse Sublime. Illud extensive seu mathematice Sublime: hoc intensive, seu, dynamice Sublime potest nuncupari.

Obs. 1. Si Obiectum quodpiam, Magnitudine sua extensiva, semet, supra alia Obiecta, extensive magna, extollit: tum id, propter magnam suam extensionem, tanquam Immensum quodpiam, h. e. aestheticae illimitatum, intuitu mathematico nobis apparet, v. c. magni Montes, Coelum stellatum, et Oceanus. Aestimatio Magnitudinis scil. aut secundum Conceptus numericos, et regulas Intellectus, aut secundum meram Intuitionem, et Sensationem fieri potest. In casu priori Magnitudo est logica, et in primis, in Mathematica habet locum, quippe Scientia de determinatione Magnitudinis, numero et mensura instituenda: in casu autem posteriori, Magnitudo est aesthetica, atque, ubique habet locum, ubi nos Magnitudines nonnisi Oculorum beneficio aestimamus, quin quaerendum putemus, quoties Unitas mensurans, in alia aliqua contineatur (Met. §. 55. Obs. 1.). Aestimatio Magnitudinis logica, quodlibet Maximum ignorat. Nam Numeratio et Mensuratio in Infinitum continuari potest, et Magnum, potest eatenus parvum fieri, eo quod eius aestimatio, ab adoptata Mensura normali pendet. Enimvero, aestimatio Magnitudinis aesthetica, quamprimum Maximum suum assequitur, eo quod in ea, Obiectum, sub determinata Totius cuiusdam intuibilis imagine, in Imaginationem assumi debet. Sed ad hoc, non solum Apprehensio, verum etiam Comprehensio necessario requiritur. Illa partes spectat, et sine intermissione continuari potest: haec autem, quae ad Totum dirigitur, non semper potest habere locum. Nam, si in continuata Apprehensione, partes primum coniunctae exstingui in conscientia incipiunt: tum vero Comprehensio omnium partium, ad intuibilem Totius Repraesentationem, cessat, et Obiectum, extensione sua, ita Sensui apparet, tanquam quidpiam, quod supra modum magnum est, sive, ut res immensa. (Met. §. 55. Obs. 2.) Hoc autem facto, Ratio, tanquam Facultas Absoluti (Fund. §. 81.), in motum concitatur, quae, ipsum adeo aesthetice Illimitatum, per Ideam inconditionatae Totalitatis, ut Totum quoddam repraesentare potest, atque eatenus Sublimitatem suam, supra Sensibilitatem, et Intellectum, in cognitione ab illa pendentem, documentis firmat. Aestheticae Immensum, porrigit itaque Percipienti oportunitatem, ut is, propriae suae Sublimitatis, supra limites Sensibilitatis, intuitu rou

Theoretici (Repraesensationis per Ideas) conscius fiat, quae Conscientia, necessario cum Tactu voluptatis coniuncta est, atque cum Obiecto quoque ipso, quod huiusmodi Conscientiam commovet, hoc respectu characterem Sublimitatis communicat.

Obs. 2. Si autem Obiectum quodpiam, intensiva sua Magnitudine semet, supra alia Obiecta intensive magna extollit: tum id, ob magnam suam Actuositatem, seu vim vehementem, ut Irresistibile h. e. aesthetice Illimitatam sensu dynamico nobis apparet, v. c. turbo impetuosus, tempestas vehemens, catarracta praeceps, Vulcanus ardens, terrae motus. Aestimatio scil. Virium, aut secundum physicam, aut secundum moralem Mensuram potest institui. Intuitu physico, Potens id vocamus, quod ad determinatum quendam effectum, non obstantibus certis impedimentis, sufficit: Vehemens autem dicimus, quod rei quoque potenti resistere, aut etiam potentiam illius superare valet (Met. §. 68. Obs.). Id genus ergo Obiectum, quod vehementi virium suarum exsertione, magnam supra alias Naturae vires, quemadmodum etiam supra physicam nostram potentiam, Praestantiam suam annunciat: Sensibus nostris, tanquam res illimitate valida, seu, Irresistibile quidpiam apparet. Quare etiam, tali Obiecto imminente, ad timorem propendemus, cum scil. Imaginatio nostra, mala nobis proponit, quae Obiectum praevalens, nobis comminatur. Enimvero, eo ipso momento, moralis quoque potestatis virium nostrarum conscii esse possumus, quibus nixi nos, ipsi Obiecto praevalemus; si quidem id, omni sua potentia adhibita, prius nos ad nihilum redigere, quam voluntatem nostram inflectere valeat, et nos, tali voluntate armati, timorem ipsum, a malis, interventu imaginationis inspiratum, superare possumus. (Si fractus illabatur Orbis inpavidum ferient ruinae). Quamobrem, aesthetice Irresistibile, oportunitatem Percipienti suppeditat, ut is, propriae suae Sublimitatis, supra limites Sensualitatis, etiam respectu practico (actionum, secundum Ideas) conscius fiat, quae conscientia pariter, cum Tactu voluptatis coniuncta esse debet, atque, ut Obiecto ipsi, hanc in nobis conscientiam eliciendi, Characterem Sublimitatis, hoc titulo impertiatur, necesse est. Caeterum, Obiectum quodpiam, tam extensive, quam intensive Sublime esse potest. Nam illimitata extensionis Magnitudo, aut eodem tempore, illimitatam quoque virium magnitudinem annuntiare potest v. c. magnus Vulcanus ardens: aut animum, in variis rerum adiunctis, eo flectere valet, ut ad hanc potius, quam ad illam reflectat v. c. Oceanus, vehementiâ tempestatum, concitatus.

Obs. 3. Quod autem discrimen, corporaliter, et spiritualiter Sublimis, attinet, tenendum est, corporaliter Sublime, quemadmodum corporaliter Pulchrum, nonnisi inter Obiecta Visus, et Auditus, posse reperiri (§. 16.). Nam res quoque, quae audiuntur, possunt se animo, ut Magnitudines illimitatae, obiicere v. c. mugitus tonitruum saeviente tempestate, tonantia tormentorum fulmina, fervente proelio, immanisque Maris fremitus, vi tempestatum Aestuantis: quae omnia tamen, ad classem intensive, seu dynamice Sublimium pertinent, eo quod iis, potentiam virium iubemur animadvertere. Contra Obiecta Olfactus, Gustus, et Tactus, nullam nobis de illimitata quadam Magnitudine, neque extensivo,

neque intensivo intuitu suppeditant, repraesentationem, proinde, neque etiam animum Tactu Sublimitatis complent.

Spiritualiter Sublime, ad Suprasensibile quoque refertur, in quantum id, exhibitione ipsa, adeo sensificatur, ut animo tanquam illimitate Magnum quodpiam appareat. Potest hoc, qua tale, primo quoque, intuitu extensivo apparere v. c. Aeternitas. Videlicet, *ro* Extensivum meae serici temporis, seu *ro* Protensivum in sucessione eiusdem, (Met. §. 27.) apparet hic nobis, tanquam aesthetice illimitatum, intuitu ambitus, seu tanquam Immensum, si quidem id nos nobis ipsi repraesentamus, ne cogitationibus quidem, quae tamen velocitate luci longe anteeunt, posse Aeternitatem mensurari. Ut plurimum tamen, *ro* Spirituale, intuitu intensivo nobis, ut Sublime appareat, cum id se nobis universe, nonnisi actuositate sua praebet cognoscendum. Atque ad hanc spiritualiter Sublimis speciem videtur Deitas ipsa spectare, ut eam nobis Moses, velut vim solo verbo creantem, aut Homerus, solo oculorum nictu Olympum describit conquassantem. Nam hic, Vis quaedam illimitata, in omni sua Maiestate semet monstrat. In hac relatione, moralis quoque animi indoles, in quantum ea, verbis se, et factis cognoscendam praebet, characteris Sublimitatis capax est, et quidem, tam ut moraliter bona, quam ut moraliter mala indoles. Nam in aestimatione eius aesthetica, haud quaquam internum (morale) pretium, aut vilitas, in quaestionem venit, sed Magnitudo Virium voluntatis, quae semet ea manifestant. Quae virium illimitatarum huius generis conscientia, nunquam non animum extollit: quamobrem cogitatio quoque, posse hominem libertate voluntatis, ipsi adeo Deitati repugnare, aliquid Sublimitatis aestheticae in se habet: licet renisus talis, tanquam vehementer immoralis, necessario displiceat.

§. 27. Secunda Sublimis, et Sublimitatis declaratio.

Quamobrem Sublime, animum, altiori adhuc in gradu, quam Pulchrum, in idealem transponit Conditionem, cum id hanc, non sua forma, sed Magnitudine eliciat (§. 19, et 26.). Finitum scil. quod nos percipimus, cum in Perceptione ad aestheticam eius Immensitatem reflectimus, actuositate Rationis, usque ad Infinitum extenditur, adeoque hic, non sola Infiniti praesagitio, quemadmodum in Pulchro, sed ipsa eius Intuitio locum habet, in quantum ea, universe possibilis est. Quare Sublime, pro eo potest declarari, quod in limitata sua Magnitudine, Infinitum in Finito iubet intueri, eatenusque placet; — et Sublimitas, pro tali, rei cuiuspiam proprietate sumenda est, vi cuius ea, in animo Percipientis, illimitata sua Magnitudine, Intuitionem Infiniti in Finito, eatenusque sensum voluptatis excitat (§. 20, et 24.).

Obs. 1. In Repraesentatione Sublimitatis, Obiecti cuiuspiam, plus Subiectivitatis inest, quam in Repraesentatione Pulchritudinis. Nam iucunda Obiecti Forma, aliquid est, quod Sensus, et Intelligentia comprehendere possunt, et in tantum id, ad cognitionem Obiecti pertinet. Sed illimitata rei cuiuspiam Magnitudo, haud quaquam potest, qua talis a sensu, et quae ab eo pendet Intelligentia comprehendi, verum oportunitati tantum, quoad Subiectum inservit, ut Ratio Obie-

ctum, tanquam Infinitum quidpiam repraesentet, eatenusque propriae suae Sublimitatis, supra limites Sensibilitatis conscia fiat, proinde, ut Obiectum quoque illud, quod tali animi conditioni ansam dat, ut Sublime quidpiam, seu, sub charactere Sublimitatis repraesentet. Atque ob eam ipsam caussam fit, ut idealis animi conditio, in Intuitione Sublimis, in altiori quodam gradu habeat locum. Nam animus Obiecto, in se ipsum quasi redire cogitur, ut quo magis id, quoad Sensum, et Intellectum illimitatum fuerit, animus ad Mundum Idearum eo fortius extollatur. Contra Obiectum, eo ipso momento, characterem Sublimitatis amittit, quo id, ut reale cognitionis Obiectum pertractatur, cum scil. physicae, tempestatis caussae investigantur, cum altitudo, longitudo, latitudoque montis mathematice determinatur, cum coelum stellatum, in constellationes distribuitur: tum enim Subiectum, ex se quasi vicissim exire, et ad veram Obiecti Proprietatem reflectere cogitur. Neque etiam Complacentia Sublimis, purus voluptatis Tactus est, quemadmodum complacentia Pulchri (§. 21.). Nam animo hic, quolibet intuitu satis factum est, si quidem Obiectum, Formâ suâ, et Imaginationi, et Intellectui plene accomodatum est, simulque, Ratio etiam, in idealem animi conditionem translocatur. Enimvero, animus se Sublimi, principio quasi pressum, sollicitum, repulsum, ac deiectum sentit, si quidem illimitata Obiecti magnitudo, Imaginationi et Intellectui, tanquam viribus cognoscitivis praevalet, iisque minime est accomodata, quod necessario sensum taedii post se trahit. Sed cum Ratio Obiecto potitur, eiusque Immensitas Ideae Absoluti adeo respondet, ut Obiectum ipsum in Perceptione, limites finitae conditionis migrare, atque Infinito appropinquare videatur: profecto convenientia isthaec Obiecti, cum Facultate Rationis, necessario, permagno cum tactu voluptatis percipitur. Quare Perceptio isthaec iure poterit, Intuitio Infiniti in Finito nominari, cum contra in Pulchro, mera eiusdem praesagitio locum habet, si quidem Pulchrum, quâ tale, nihil illimitatum, in sua Forma habet, nosque Infinitum, duntaxat cogitando ei adiicere iubet, in quantum nos altius quidpiam adhuc, pone Formam Finiti, tam perfectam, suspicamur. Sed ipsum Sublime, re vera Infiniti Repraesentans est, quoad hominem, quâ Ens sensibili — rationale, cum id, in limitata sua magnitudine, Infinitum ipsum, in imagine sensibili (v. c. Oceani, coeli siderei etc.) intueri iubet, licet Intuitio isthaec, nunquam non limitata est, eo quod imago, Ideam assequi nunquam potest. Ob admixtionem illam taedii, ad tactum voluptatis, in Perceptione Sublimis, animus quoque noster, minime in quieta contemplatione, quemadmodum in Perceptione Pulchri, verum in quodam commotionis genere positus est. Nam is, ex una conditione, in oppositam transit, ut cum in considerando Sublimi moratur, repetitione heterogenearum illarum impressionum, aliquamdiu, dolorem inter, et incolumitatem fluctuat, incolumitatem tamen fortius sensit. Quamobrem, Tactus voluptatis in Sublimi, ob admixtionem certi cuiusdam taedii, et transitum ab hoc, ad voluptatem, fortior est, quam fuit in Pulchro, prout etiam universe, Tactus mixti, ut plurimum ita comparati sunt, ut in iis animus, quam vividissime incitetur.

Obs. 2. Complacentia Sublimis, non omni Invitamento immunis est (§. 10.). Nam in quantum Sublime conscientiam propriae nostrae

Sublimitatis excitat: necesse est, ut id nos, tanquam Entia, theoretice et practice rationalia, invitamento capiat, cum, ambitum efficientiae Rationis nostrae, Repraesentatione Magnitudinis Obiecti, amplificat. Sed Magnitudo isthaec, non ad solam formam, verum ad Materiam quoque Obiecti pertinet. Invitamentum ergo Sublimis, saltem ex parte, materiale est (§. 12.). Cum autem illimitata Obiecti Magnitudo nos, proprie, nonnisi ut Entia rationalia (in cogitando et volendo per Ideas determinabilia) Invitamento capit, si quidem Sensualitas, vi restrictionis sui, nonnisi conditionem in se continet, dari universe quoad nos, Magnitudines illimitatas: intelligitur Invitamentum illud materiale, haud quamquam sensuale esse, verum intellectuale, seu rationale. Quid? quod Sublime, Invitamento sensuali (ad iucundum et utile directo), oppositum esse potest, si quidem id, in magnis malis, timorem animo inspirare, et tamen Rationem Invitamento capere potest, eo quod id, hanc amplificat, et conscientiam in ea ciet, posse hominem internis viribus suis nixum, supra omnia se mala extollere, ipsique adeo saevae elementorum pugnae mascule resistere. Atque, ob hanc ipsam caussam supponit id, altiorem quoque spiritualis, et in primis moralis Culturae gradum, quam ipsum est Pulchri Invitamentum. Nam, certa quaedam animi magnitudo, ad hoc requiritur, ut in Obiecto sublimi, quâ tali, Complacentiam inveniamus. Qui de Obiecto sublimi v. c. de Coelo stellato, aut parvas, humilesque habet repraesentationes, aut propter id v. c. ob saevientem tempestatem, timore opprimitur, fieri non potest, ut Sublimitatem Obiecti sentiat, proinde neque id, cum Complacentia considerabit. Contemplatio huius, casu in posteriori, ad summum, in stupore Obiecti rigido inest, qui animum eius non modo non extollit, sed potius debilitat, ac luxat, corpusque eiusdem, quasi radicibus adfixum tenet obstinatum.

Quod denique quaestionem attinet, num Sublime, ab animo Percipientis, ut finale quoque quidpiam consideretur: sane ea affirmanda esse videtur. Tantummodo hic, Conceptus determinati cuiuspiam finis, minus potest Complacentiae pro fundamento poni, Iudiciumque dirigere, quam in Pulchro (§. 14.). Nam, quandoquidem in Sublimi, simpliciter ad illimitatam Obiecti Magnitudinem reflectitur: nae id, nonnisi intuitu subiectivo potest, ut finale, apparere, in quantum scil. per congruentiam suam cum Ratione, in huius ad Infinitum Tendentia, conscientiam propriae Sublimitatis in animo Percipientis, proinde etiam voluptatem Tactus excitat. Quodsi contra Obiectum in se, et per se, secundum conceptus finales diiudicandum esse videatur: facile fieri potest, ut id, minime finale appareat, v. c. glabra quaedam, perpetuaque nivium mole contecta saxorum rupes, aut Vulcanus ardens etc. — in vicem quorum, viridans quidam, salutiferisque plantis affluens collis, longe magis finalis apparere ei debet, qui nullo Sublimis sensu pollet.

§. 28. Relatio Sublimis, ad originarias animi vires, occupatioque harum, quâ per Sublime tenentur.

Quamobrem Sublime, ad originarias animi Facultates, in tali relatione positum est, ut id, illimitata sua magnitudine, vim imaginandi quidem, et Intellectum restringat, sed actuositatem Rationis amplificet, ac promoveat. Perceptione itaque Sublimis, Ta-

ctus vitalis, ex parte quidem una, cohibetur, ac sufflaminatur; ex parte autem altera, eo fortuis exaltatur, si quidem Obiectum sublime, restrictione illa, in animo Percipientis, conscientiam propriae Sublimitatis, supra limites Sensualitatis excitat, et in tantum etiam placet. Consequenter, Complacentia Sublimis, nihil aliud est, quam perceptione illimitatae Magnitudinis, principio sufflaminatus, postmodum autem, eo fortius exaltatus, seu promotus Tactus vitalis, atque ob eam caussam, inest illa, in mixto voluptatis sensu (§. 21. cum Obs. 1, 2. et §. 27. Obs. 1.).

Obs. Magnitudo Obiecti cuiuspiam illimitata, seu immensa, in tantum vocatur, in quantum ea, mensuram, secundum quam, animus noster, magnitudinem rerum diiudicare solet, migrat, ut Obiectum, aut respectu extensionis suae, aut respectu virium suarum, solitos nostros de Obiectis experientiae conceptus escendere videatur (§. 26. Obs. 1. 2.). Animus ergo, Perceptione talis magnitudinis, re vera restrictum se sentit, sed nonnisi intuitu virium illarum, quae ad cognitionem Obiectorum directae sunt, ut etiam Sensus, ad quem, quâ sensum internum, vis quoque imaginandi pertinet, et Intellectus (Met. §. 43.). Quamobrem, prima illa impressio, quam Obiectum sublime in animum facit, haud quaquam attractiva, verum repulsiva est, quae animum, non extollit, sed deiicit. Haec Tactus vitalis sufflaminatio, quae primo quoque tempore fit, ut plurimum certo cum animi angore (qui interdum in Obiectis insolitis, et dynamice sublimibus, in timorem, horroremque transire potest) perspicue satis semet annuntiat. Quo diutius autem Obiectum consideramus, et quasi familiaritatem cum eo contrahimus, eo magis quoque id, ad se nos trahit, eo magis nos per id exaltatos sentimus, eo fortius in nobis actuositas Rationis incitatur, ut Obiecto, tanquam Imagine Infiniti potiamur. Tactus vitalis itaque, coniunctione conditionis immediate praecedentis dissimili, eo validior redditur, perque hoc ipsum, complacentia Obiecti eo efficitur vividior. Proinde, inconvenientia Obiecti, ad inferiores animi vires, eo maiorem ei Convenientiam, ad altiores Naturae nostrae vires, scil. ad Rationem porrigit, taediumque illud, eo maioris voluptatis fons redditur. Quae internarum animi conditionum vicissitudo, et qui ab ea pendet sublimis effectus, cum non semper, et ubique eadem ratione, aequalique mensura potest ostendi: Caussa huius, partim in diversa Obiectorum magnitudine, quatenus unum sublimius esse potest, quam alterum, partim in diversa Subiectorum proprietate posita est, vi cuius unum, maiori ad Sublimitatem receptivitate pollet, quam alterum.

§. 29. Tertia Sublimis, et Sublimitatis declaratio.

Ex quibus omnibus sponte consequitur ultima haec declaratio: Sublime est, quod Magnitudine sua, in nullam determinatam mensuram comprehendenda, summas quasque animi Percipientis vires, in vividam exaltationem transponit, aut: Sublimitas, est illa rei cuiuspiam proprietas, vi cuius illa, illimitata sua Magnitudine, actuositatem Rationis promovet, talique ratione, Tactum vitalem in animo Percipientis exaltat (§. 22, 24, et 27.).

Obs. Aesthetici antiquiores, ut plurimum το Sublime, in ratione scribendi, seu, Sublimitatem exhibitionis per verba (genus dicendi sublime, tenui, et mediocri oppositum) cum eo, quod in se, et per se Sublime est, sive cum Sublimitate, tanquam, a scribendi ratione prorsus independenti rerum proprietate, confundebant. Sed illam Sublimitatem, unice Poëtica et Rhetorica debent considerare, ubi Theoriae hae, ei superstrui debent, quod Ideologia aesthetica, de Sublimi universe, atque in se, et per se considerato, docet. In hoc Permixtionis vitium incidit Longinus quoque, in Libro, quem de Sublimitate inscripsit, quantumvis ille, rectum Sublimitatis Conceptum, obscure saltem praesagiit.

Aesthetici recentiores, in Doctrina de Sublimi, maximam partem, Kantium secuti sunt. Illius sententia ita se habet: Sublime est id, quod ut modo cogitari queat, eam animi facultatem arguit, quae Sensuum mensuram superat. Item: Sublime est, cuius Repraesentatione animus determinatur, ad rationem Naturae inaccessam, ut exhibitionem Idearum cogitandam. Declaratio prior, iusto latior est, eo quod sic, quilibet Conceptus morales, absque exceptione, sublimes forent: altera autem iusto angustior esse videtur, cum secundum hanc, sola Naturae Obiecta essent sublimia. Interim, utraeque declarationes, essentiales Sublimitatis Characteres exhibent. — Caeterum observari meretur, maiorem inter Aestheticos recentiores, de Conceptu Sublimis Consensum obtinere, quam de Conceptu Pulchri, ob eam procul dubio causam, quod cum Obiecta sublimia, non nimis varia sint: criteriorum communium apprehensio tali modo redditur facilior.

§. 30. Coniunctio Sublimitatis cum Pulchritudine. — Ideale Sublimitatis.

Sublimitas, in certa quadam mensura, potest cum Pulchritudine, praecipue cum ideali (§. 23.) coniungi, qua re, Ideale Pulchritudinis, altiorem adhuc characterem aestheticum obtinet. Sed Ideale Sublimitatis nullum potest dari, eo quod το Maximum Sublimitatis, sub determinata quadam Forma repraesentari nequit.

Obs. 1. Potestne Obiectum quodpiam, et Pulchrum, et Sublime simul esse? aut aliis verbis: Pulchritudo et Sublimitas, suntne in uno eodemque Obiecto sociabiles, an non? — Quaestio isthaec duplicem admittit responsionem. Primum quidem hanc: Obiecta parva nunquam sublimia esse possunt, quantumvis, ut pulchra, placeant. Nam Parvitas Obiecti, iam in se, Ideae Sublimitatis adversatur; eam tamen formam admittit, quae complacentiam aestheticam queat excitare v. c. Pictura minuta, lapis scalptus, numus etc. Deinde autem hanc: Obiecta magna, non minus, ut sublimia, verum etiam pulchra possunt placere. Nam, neque Ideae Pulchritudinis repugnat, ut ea in forma maiori exhibeatur, neque etiam Ideae Sublimitatis, ut Obiecta magna pulchra Forma sint praedita. Quare in plurimis Artefactis antiquioribus, expressionem Sublimitatis, cum expressione Pulchritudinis consociatam licet observare, itaque videtur, quasi Statuarii prisci, Statuis suis magnitudinem supranaturalem ideo impertierint, ut Dii, Heroes, aliaeque Personae, quas illi, ut Entia suprahumana exhibere volebant, Ma-

gnitudine quoque, mensuram staturae humanae communem excedente, expressionem Sublimitatis iis competentem, in suis imaginibus consequerentur, qualis erat v. c. Iupiter Olympius Phidiae. In Aedificiis quoque pari ratione, expressio Sublimitatis, cum expressione Pulchritudinis, bene potest consociari, cuius exemplum habetur, in Templo Petri Romano, Sophiaeque Constantinopolitano, ut et aliis in Aedificiis v. c. Theatris, et Palatiis. Interim in hac Sublimis, cum Pulchro Coniunctione, Ars necessario restringitur. Nam Pulchritudo nunquam non certam formam deposcit, ut Forma Obiecti a Phantasia et Intellectu, cum facilitate queat apprehendi. Quare Sublimitas, in consociatione cum Pulchritudine, locum in eo gradu nunquam potest habere, in quo, in se, et per se, habet; et, si Ars mensuram illam migrat, Producta eius, proprium Pulchritudinis characterem, amittunt, — quod idem accidit olim Colosso Rhodio, et quod hodiedum usu venit iis, qui portentosas Piramydes Aegyptiacas contemplantur.

Obs. 2. Daturne Ideale Sublimitatis? — Ex iis, quae hactenus dicta sunt, facile perspicitur, Quaestionem hanc negandam esse, proinde nonnisi Ideale Pulchritudinis dari posse. Nam, cum Sublimitas, ad Magnitudinem, non autem ad Formam rerum referatur: intelligitur, principio quidem, nullum Maximum Sublimitatis, modo intuitivo posse repraesentari, si quidem Magnitudo rerum in Infinitum potest augeri. Ipsum ergo Infinitum, tanquam Maximum illud deberet cogitari: enimvero Infinitum, in nullam determinatam potest comprehendi imaginem. Quodsi autem Magnitudinem quampiam, pro lubitu velis in summam Sublimitatis mensuram adoptare: sane eo ipso, Conceptus Sublimitatis tolleretur. Nam, illimitata Magnitudo, quae characterem Sublimitatis efficit, in eo consistit, quod Magnitudo, in nullam determinatam mensuram possit, per Imaginationem et Intellectum, sed duntaxat, per Ideam Rationis cogitari. Deinde autem, Conceptus Magnitudinis universe, nullum determinatum criterium ullius cuiusquam Formae, in se continet, in qua illa occurreret. Mons immanis altitudinis, Oceanus, coelum stellatum, tempestas, Deitas ipsa, et Aeternitas (§. 26. cum Obs.), possunt ut Obiecta sublimia repraesentari, in quibus, ne minimum quidem adest vestigium ad Formam quaerendam, sub qua Ideale Sublimitatis delineari deberet, et exhiberi. Substantiale ergo, h. e. ab Ideali Pulchritudinis separatum Ideale Sublimitatis, prorsus dari nequit. Sed vero Ideale Pulchritudinis, sub dictis (Obs. 1.) conditionibus, ita delineari, et exhiberi potest, ut ei character quoque Sublimitatis competat. Neque tamen ideo hoc, sive Ideale Sublimitatis, sive Ideale Pulchritudinis, et Sublimitatis simul, esse putandum est. Nam Sublimitas, tali in casu, Pulchritudini non coordinata, sed subordinata est, atque ob restrictam Obiecti Magnitudinem, nunquam non in certo tantum gradu, potest habere locum, in cuius gratiam, Obiectum, nondum fieri potest Ideale. Quare Imago Herois, aut Dei, etiamsi expressionem Sublimitatis in se contineat; si tamen ea, simul non pulchrum, et quidem idealiter pulchrum fuerit Obiectum: supremum complacentiae aestheticae gradum, nunquam in animo poterit excitare.

CAPUT III. Syngeneiologia.

§. 31. Argumentum et Ambitus Syngeneiologiae aestheticae.

Syngeneiologia aesthetica, illas rerum proprietates aestheticas exhibere debet, quae cum Characteribus fundamentalibus earundem aestheticis, hac tenus consideratis, in certa quadam, iam propiori, iam remotiori affinitate, positae sunt (§. 5. Obs.). Sed illae proprietates, partim consensione, partim oppositione possunt venire in relationem. Posteaquam itaque, in Syngeneiologia, Conceptus, de talibus rerum proprietatibus, quae, aut cum Pulchritudine, aut cum Sublimitate certa ratione consentiunt, perpenduntur: postremo, intuitu aesthetico, illi erunt considerandi, qui utrisque, certa ratione oppositi esse videntur.

Obs. Syngeneiologia in calleologicam, hypseologicam, et enantiologicam potest distribui: illa in §. 31—36, ista in §. 37—44, haec denique in §. 45—48 nunc statim exponetur.

§. 32. Bellum.

Proxime Pulchro affine, unde etiam, saepenumero, ita nominatum est Bellum, quod proprie, nonnisi inferiorem Pulchri gradum denotat. Nam Pulchritudo, in quantum ea, empirice data est, nunquam non cum certis restrictionibus apparet, per quas ea, ab ideali Pulchritudine, magis aut minus discedit. Quare in Experientia, variae Pulchritudinis gradationes possunt dari, quae tamen, minime verbis queant exprimi, sed tantum in perceptione ipsa sentiuntur, ac diiudicantur.

Obs. Negari nequit, nos, cum quidpiam, v. c. faciem hominis bellam dicimus, significare eo velle, Praedicatum Pulchritudinis ei, non pleno iure convenire, sive id, Ideae Pulchritudinis non perfecte respondere. Quo ipso sumimus, Pulchritudinem, graduum discrimina admittere. Sed Lingua, adeo limitibus est circumscripta, ut discrimina isthaec, nonnisi indeterminata, in certaque ratione valeat designare, quoniam, differentiae graduum, secundum Legem Continuitatis (Met. §. 34. Obs. 2.), infinite multae sunt. Quare, aut certis vocabulis, quae Adverbia vocant, intensitatem Qualitatum propius determinantibus, aut Gradationem Comparativis, et Superlativis indigitamus. Id ipsum est, quod, intuitu Pulchritudinis agimus. Quamobrem, minime in antecessum determinari potest, Pulchrumne quidpiam, an Bellum tantum sit? Enimvero, cum gradum Pulchritudinis datum percipimus, eumque, aut cum Ideali, quod in, ectore nostro nobiscum circumferimus (§. 23), aut aliis Obiectis, magis minusque pulchris comparamus, discrimen probe sentimus, damusque operam, ut id accurate designemus. Caeterum, cum quod unus nonnisi Bellum simpliciter vocat, idem alter valde bellum, aut etiam Pulchrum nuncupat, minime hoc nobis mirum debet videri, cum, partim Gustus adeo diversus est, partim communis loquendi ratio, vocabula, quae Conceptus affines in se continent, saepenumero, pro Synonimis usurpat.

§. 33. Venustum.

Pulchrum, in tantum vocatur Venustum, in quantum id, certa quadam iucunditate, sensibus blanditur, proinde, inclinationem quoque, in certo quopiam gradu, ad actuositatem incitat. Quare Pulchrum, per coniunctionem adhuc cum Iucundo, efficitur Venustum. Cum autem Pulchritudo, a mera iucunditate diversa est (§. 7.): profecto ea, minime quidem stimulo iucundi indiget, ut placeat: attamen, accessione eiusdem ad Pulchrum, fortiorem potest in animo efficere impressionem.

Obs. Verba Lessingii, quae huc pertinent, sunt sequentia: Stimulus est Pulchritudo in motu constituta. Enimvero, Declaratio isthaec probari nequit. Nam Stimulus, in se, et per se sumtus, a Pulchritudine, quâ tali, essentialiter diversus est, licet is, cum hac coniungi queat. Vox Stimuli proprie, a physicis Incitationis mediis desumta est, quibus Entia organica, ad actuositatem determinantur (Met. §. 138.). Sic Lux, est stimulus oculi, aër, Auris et pulmonis, sanguis, cordis et arteriarum, alimenta, stomachi etc. Sed res, Animi quoque fieri stimuli possunt, in quantum eae, ad instinctus, inclinationesque referuntur, proinde, nisus sensuales, in motum concitant. Hoc sensu, non minus iniucundum, quam etiam iucundum, peraeque stimulantia esse putanda sunt: si quidem, utrumque, nisum sensualem ciet, et hoc quidem Appetitionem, illud autem Aversationem. Verum, usus Linguae conceptum Venusti restrinxit, ut is, ad iniucundum haud quaquam referatur, et ad iucundum quoque nonnisi in tantum, in quantum id, sensibus praecipue blanditur, inclinationemque, solito fortius incitat. Quod mere Venustum est v. c. florentissimus faciei color, lasciva corporis statura, adspectus libidinosus, dulcis auribus sonus, nondum ideo Pulchrum quidpiam esse existimandum est. Pulchritudo, quâ talis, Formae rei inhaeret (§. 12.), atque, ob eam caussam, partim sine, partim cum stimulo Venusti, apparere potest. Statua v. c. quaedam, omnibus, qui proxime commemorati sunt, stimulis potest esse destituta, ut tamen ea, quâ pulchra, placeat. Consequenter, recta est sententia Kantii dicentis: Purum Gustus Iudicium a stimulo esse independens. Nam Iudicium Gustus, tum demum purum vocatur, si id duntaxat, ad Pulchritudinem directum est. Sed hinc non sequitur, Pulchritudinem, omnibus Venusti stimulis, renuntiare debere, ut placeat. Imo vero, licitum est, eam, quemadmodum in ipsa Natura, quam saepissime cum stimulis Venustatis consociatam videmus, etiam in Arte (licet modo cuique convenienti) Pulchrum cum Venusto dotare. Pulchritudo itaque, in Venustatem transit, si ea, habitu Iucunditatis induitur, atque tali vestimento ornata, etiam in perfecta quiete potest, ut stimulans apparere, non solum in motu, quemadmodum Lessingius vult. Unde Regula, quam Lessingius Poëtis praescribit: Pulchritudinem scil. in stimulum Venustatis esse convertendam, quam periculosissima esse putanda est. Nam haec, non minus Poëtam, quam quemlibet Artificem, si modo in eo elaborant, ut stimulum Venustatis exprimant, facile in devia ducere potest. Etenim, accidit hoc facillime, ut Poëta, qui stimulis tantum operam dat, quemadmodum Dramati-

ei, Fabularumque Romanensium Scriptores, in vicem Pulchritudinis, libidinem ipsam exhibeat, quae per se magis stimulat, quam illa; — Pictor autem, in vicem delineationis pulchrae, duntaxat florentem, splendentemque colorem, et aspectum corporis lascivum proponat, quibus omnibus, Forma Pulchritudinis facile perire potest. Quare Artificum est, si modo muneris sui partes, dignitatemque recte norunt, hoc sibi in regulam scribere, stimulumque Venustatis nonnisi additamenti loco habere, quippe cum quo, poterunt quidem ii Pulchritudinem consociare, sed eam hac opprimere, iniquum est.

§. 34. Suave, — Gratia.

Suave est, quod certa quadam cum subtilitate, mollitie, et lenitate Formae suae, animum eximie iuvat. Itaque Suave, peculiaris quaedam Venusti (§. 33.) species est, proinde talis, quae in mere fortuita Pulchri modificatione inest, qua id se in animum insinuat. Quamobrem id cum certa quadam propensione, favore, et approbatione consideratur, et eatenus, etiam iucundum, seu gratiosum (χαριεν) nuncupatur. Consequenter Gratia (χαρις), nihil aliud est, quam Suavitas, praecipue autem, in quantum ea, in motu convenienti apparet.

Obs. Pulchritudo, cum robusta, valida, asperaque Formâ consistere potest, quemadmodum id, non solum Artis documentis, ex primis culturae Gustus, periodis, antiquioris et recentioris aevi, sed etiam operibus singulorum Artificum, temporibus culturae summae viventium probari potest. Verum ea, quasi propius quoque interdum ad Animum accedit, eum familiariter alloquitur, dumque is considerationi rerum vacat, in iucundiorem transponitur conditionem, quae serenam continuo prae se fert hilaritatem, si Pulchritudo in subtilibus, mollibus, placidisque Formis apparet, vocaturque Suave. Sic Regio quaedam suavis esse dicenda videtur, si in ea molliter surgentes colles, campi teneris contecti herbis, subtilesque in collustratione Obiectorum adumbrationes percipiuntur. Sic Melodia svavis est, in qua tenuis et mollis sensationum expressio, cum lenitate tonorum liquentium, coniuncta est. Et Facies humana, Suavitate praedita est, si Formae corporis humani, eundem tenuitatis, mollitiei, lenitatisque characterem contemplanti offerunt. Quae Suavitas, motibus, qui huic characteri conveniunt, et ipsi quoque suaves appellantur, quales sunt v. c. risus lenis, subtilis brachiorum inflexio, mollisque pedum progressio, magis augeter adhuc, atque amplificatur, eo, quod in immobilitate Formarum, rigidi quidpiam et asperi inesse videtur. Qua in relatione Suavitas in primis nomen Gratiae sortitur, si quidem ea, talibus motibus comitata, ut dulciter iucundum, seu gratiosum intuenti apparet. Quamobrem Gratiae, seu Deae comites, nunquam non in tali corporis positura, idque iure, depinguntur, quâ, figura earum, mollium motuum speciem prae se fert. Quodsi eas, in quiete severa, immobilesque in omnibus corporis motibus, seu, in motu bacchico cogites, momento Gratia, in Gratiis, ante oculos evanescat, necesse est. Ex quibus omnibus liquido patet, quod, quemadmodum Pulchritudo sine Suavitate, sic Suavitas quoque sine Pulchritudine locum queat habere. Nam subtile, molle, et lene, per se nondum Obiectum efficiunt pulchrum, verum proprio, nonnisi

certam iucunditatem organis sentientibus impertiunt. In se et per se Suave, duntaxat iucundum est, in coniunctione autem cum Pulchro, complacentiam eius extollit, atque amplificat.

§. 35. Lepidum, — Ineptiae.

Lepidum nihil aliud est, quam Pulchrum, ad mensuram deminutam exactum. Nam quod lepidum est, ex parte quidem una, minores deposcit Formas, atque ob eam ipsam Caussam, alia ex parte etiam cum inferiori Pulchritudinis gradu (§. 32.) consistere potest; id tamen praesupponit, quod simile quidpiam Pulchrum, in magna mensura locum habeat, quo cum Lepidum comparari queat, ut sic id, tanquam deminutum eiusdem Exemplum, videatur considerandum.

Obs. Si quid est, quod non solum neglecta quoque parvitate non displicet, sed etiam ob suam, plane cum Pulchritudine coniunctam parvitatem, placet: id Lepidum appellatur v. c. flosculus, uti Myosotis palustris, avicula, uti Trochilus minimus (Colibri), infans, pumilio bene formatus, et pictura minuta, seu micrographia. Obiecta magna, nunquam vocantur lepida, quantumvis partes eorundem singillatim sumtae, ita nuncupari possunt, si modo parvitate sua eminent, simulque formosae sunt, v. c. manus, et pedes Personae adultae. Pulchritudo ergo hic, pro more solito apparet, intuitu duplici deminuta, tanquam Pulchritudo minor, in Parvo. Nam Pulchritudo altior, Formas quoque maiores exposcit, adeoque Artifex minutularius (Micrographus), vix unquam Artifex evadit magnus, eo quod, is, nunquam non exhibitione duntaxat Pulchritudinis in Parvo, occupatus, haud quaquam a sua Phantasia potest impetrare, ut in Obiectis magnis proponendis, liberum sibi agendi locum describat. In complacentia, quam in Obiecto lepido invenimus, hoc in cogitationibus, cum simlibus, sed maioribus Obiectis comparamus, v. c. pumilionem lepidum; cum adulta quadam Persona, gaudemusque, non obstante Obiecti Parvitate, nullam tamen eius deformationem, nullam partium disproportionem, sed potius finalem Totius Formam locum in eo habere. Proinde, haud quaquam Imitatio magni in parvo, universe, fundamentum Complacentiae Lepidi esse putandum est. — Nam, in absoluto Pulchritudinis defectu, nullam peculiarem in Parvo, tanquam imitatione magni expresso, saltem, nullam aestheticam reperimus complacentiam. Ipsa quoque Natura, quemadmodum Ars, res producit lepidas, quin dici queat, eam imitari Magnum in Parvo; nam, cum quidlibet, praecipue quod organicum est, in Natura a Parvo adolescit in Magnum, quodlibet Magnum potius, quod in succrescendo minus excipit, tanquam imitatio minoris, ut antecendentis, posset considerari. Caeterum, si quidpiam iocosum, ut lepidum simul apparet: id Nugas iucundas appellamus, v. c. Parvam quampiam Musicam iocularem, Poëmaque et Saltationem eiusdem characteris. Artefacta huius generis, quasi in Ineptiis versantur, quae tamen placent. Nos cum iis, quemadmodum cum pueris, qui simul, ut plurimum iocosi, et lepidi sunt, nugamur. Si interim Gustus Lepidi, praecipue in Artefactis, dominari incipit: argumento est, Gustum ad lapsum inclinare, eo quod, dubitari iam hoc tempore nequeat, sensum altioris, idealisque Pulchritudinis, propemodum esse exstinctum.

§. 36. Ornatum — Elegans — Simplex.

In quantum Pulchrum, ut fortuitus Obiecti cuiuspiam decor cogitatur, Ornatus vocatur, ipsumque Obiectum exornatum nuncupatur. Obiectum itaque, quod iam per se Pulchrum est: nullis ornamentis opus habet, et in quantum id, ab omni cultu fortuito immune est, Pulchrum simplex dicitur. Quamobrem, quo magis Pulchritudo, Ideali apropinquat: eo magis ea Simplicitatem hanc aestheticam exposcit, quod idem, in Sublimi quoque obtinet, quippe quod cum Ornamentis insociabile est. Decoratum vocatur, quod immoderatum ornamentorum conquirendorum studium prodit: Decoratio vero in ornatu affectato inest.

Obs. In Obiecto Cognitionis, in quantum id, ut Totum percipitur, partes necessariae, seu essentiales, et contingentes, seu extraessentiales possunt distingui, v. c. in corpore humano membra, ex quibus id constat, et vestimenta, aliaeque appendices, quibus illud indutum est. Quodsi accessoriae hae partes, etiam a Toto separatim consideratae, cum complacentia aesthetica percipi possunt: tum vero eae, quoad Totum, duntaxat in fortuito ornatu, decore, cultuque insunt, et relate ad illud, Ornamenta, seu Decorationes appellantur. Quare manifestum est 1) Quod omnes Ornatus, nonnisi Parerga sint, neque in illis essentia Pulchritudinis constet, proinde Ars se, infra suam dignitatem abiiciat, si solos Ornatus consectetur; 2) Quod Ornatus, Obiectum quodpiam, cuius partes necessariae, et essentiales, nullum Totum pulchrum efficiunt, minime in locum Obiectorum pulchrorum evehere possint, et si id deforme adhuc est, deformitas eiusdem, eo magis in oculos debeat incurrere; 3) Quod id genus Obiectum, quod in se iam, Totum quoddam pulchrum est, Ornatibus prorsus non indigeat; 4) Quodsi tamen ii, locum in eo habere debeant, ea ratione in illud conferendi sunt, ut Pulchritudo Obiecti per hoc, non modo non deformetur, aut occultetur, sed potius utiliter in luce collocetur, et si fieri potest, etiam extollatur; 5) Quod, ubi haec conditio locum habere non posset, idque ideo, quod Obiectum iam per se (propria sua Pulchritudine), sufficienter ornatum videretur: quilibet Ornatus fortuitus desinat, necesse est. Quia vero casus postremus, in altiori, seu ideali Pulchritudine locum habet: nae haec, non modo nullo Ornatu indiget, sed iacturam potius ob eum pati debet. Pulchritudo idealis, ut in summa se Simplicitate monstret, necesse est. Quare egregia videtur esse sententia celebratissimi Poëtae Göthei in haec verba: Artis peritus, quod simpliciter pulchrum est, aestimat: Ornatui populus applaudit. Ubi autem Ornatus locum habere possunt: ii, non modo ad mensuram sunt applicandi, eo quod nimia gravatio in se iam displicet, et iusto maior Ornatuum copia, attentionem ab eo, quod caput est rei, avertit, idque obscurat; sed etiam Obiecto ipsi debent esse convenientes, eo quod, non quaelibet Ornatus species, in quodlibet Obiectum quadrat. Neque etiam Ornatus, in ineptos lusus, nihil significantes, aut inanes argutias degenerare debent, eo quod tum, nullam animo porrigunt occupationem. Haec caussa est, cur Quinctilianus, de Eloquentia, quod tamen universe valere debet, ita praecipiat: Ornatus, virilis, fortis et sanctus sit, nec effeminatam

levitatem, nec fuco eminentem colorem amet, — sanguine et viribus niteat.

Est autem peculiaris adhuc quaedam Ornatus species, quae non tam in adiectione rerum extraessentialium consistit, quam potius in diligenti illarum partium elaboratione, quae quidem in se consideratae, necessariae videntur: attamen, in relatione earundem ad Totum, minus momentosae sunt, quam aliae partes essentiales, ut sunt v. c. digiti Manuum, et pedum, ungues, capilli in corpore humano, — folia, ramusculique arboris etc. Quare, si in quopiam Artefacto huius generis, partes, praecipua cum diligentia elaborantur: hoc quoque potest pro Ornatu fortuito haberi, et Opus exornatum dici. Haec autem Ornatus species peculiariter nitor, seu, Elegantia, et Obiectum ipsum ornatum, hoc intuitu, nitidum, seu, elegans potest appellari. Interim, magni quique Artifices, quasi modestam hanc, et occultatam Ornatus rationem, saepenumero repudiarunt, cum iisdem, Exhibitio pulchritudinis, in maioribus Obiecti partibus, magis videretur esse momentosa.

Quod Ornamentis dotatum est Decoratum vocatur; omnis vero Decoratio ex Ornatu superfluo nascitur. Atque Decoratio isthaec, etiam in moribus hominis potest se monstrare, cum is quidlibet, quod agit, v. c. posituram corporis, incessum, vestitum, gestum, et sermonem decora cum ratione satagit instituere. Unde hominem huius generis cultum, cumque decore dicimus ornatum. Quae decora sui exornandi ratio, cum ruditate morum constare potest, unde hominem impolitum, sed eximie ornatum, Fustem decorum dixeris.

Denique, Ornatum cum Sublimitate insociabilem esse, dubitari nequit, eo quod haec, Magna petit: ille in parvis est occupatus, atque complacentia in Sublimi, eo fortior est, quo minus ei, ullus Tactus peregrinus semet immiscet. Quamobrem, in Oratione quoque, quae Sublime exhibet, summa debet regnare Simplicitas, ut hoc respectu iure liceat dicere sententiam: Summa Simplicitas est summus Ornatus.

§. 37. Magnum.

Proxime Sublimi adfine, unde etiam saepenumero ita nominatum, est Magnum, quod proprie, nonnisi tenuiorem Sublimitatis gradum indicat. Nam Sublimitas suos, quemadmodum Pulchritudo, gradus habet (§. 32.).

Obs. Uti se habet Bellum, ad Pulchrum: ita se habet Magnum, ad Sublime. Magnum scil. animum extollit, sed in gradu tenuiori, quod ob aestheticam suam immensitatem, ut supra omnem comparationem elatum apparet, ob eamque caussam, simpliciter Sublime appellatur (§. 25 et 26). Cum scil. Magnitudo, non solum in se, et per se considerata, relativum quidpiam est, sed etiam ob diversitatem Subiectorum, intuitu capacitatis eorundem, Magnitudines aesthetice aestimandi, impressio earundem in animum Percipientium, Iudiciumque illorum ab ea pendens, maiorem in modum diversum esse oportet: fieri potest, ut unum Obiectum sublimius sit, quam est alterum, et tum hoc, nonnisi ut Magnum apparebit, v. c. flumina, montes, silvae, lacus etc.

§. 38. Colossale.

Si quod Magnum est, Magnitudine sua, solitam rerum eiusdem generis mensuram migrat, Colossale vocatur. Quamobrem, Collossale ad Sublime appropinquat, potestque, si mensurae solitae migratio, usque ad Immensitatem procedit, ipsi Sublimi, prorsus fieri aequale.

Obs. Colossale, ut notum est, nomen suum a Colossis, praecipue autem ab illo, qui per eminentiam Colosus dictus, ad Insulam Rhrodum, septuaginta ulnas altus, a Charete Lyndio discipulo Lysippi confectus, in honorem Dei Solis erectus, ad introitum portus, eo procul dubio consilio locatus est, ut nautis, in vicem Turris, cum ad Insulam appropinquarent, portumque ingredi vellent, indicio inserviret. Quare Statuae colossales sunt, omnes illae, quae staturam vivorum excedunt, unde universe quidlibet, quod Magnitudinem solitam transscendit, Colossale dicitur. Itaque Colossale (propius aut remotius), in confinio extensive, seu mathematice Sublimis terminatur (§. 26. Obs. 1.), unde Statuae colossales, ut ipsa sua Colossalitate, certam Sublimitatis expressionem consequantur, necesse est (§. 30. Obs. 1.). Quodsi itaque Obiecti cuiuspiam Colossalitas, usque ad Immensitatem Magnitudinis aestheticam assurgeret: tum ea, ut realis Sublimitas appareret. Sic Alpes Helveticae, quâ Colossi naturales, Pyramydes Aegyptiae, quâ Colossi arte facti, re ipsa, Obiecta sublimia esse putanda sunt. Enimvero Colossale Artis, praecipue, si id cum Pulchro videatur esse consociandum, longe infra Colossale Naturae subsistere exsistimandum est, unde etiam illud, non tam re ipsa sublime habendum, quam tale, quod ad Sublime accedit.

§. 39. Nobile. — Dignitas.

Si Magnitudo praecipue ad Morale refertur: tum vero hinc exsistit, quod Nobile vocamus, quod scil. altiorem virium moralium gradum annuntiat, proinde Ideas morales, potentius in motum concitat. Nobile est, quod Obiecto, in quo id deprehenditur, certam quandam dignitatem conciliat, atque ex Percipiente, certam quampiam reverentiam elicit, et quasi extorquet. Sed Dignitas huius generis, cum Suavitate quoque sociabilis est, efficitque, ut Subiectum, et reverentia, et amore simul dignum esse videatur (§. 34.).

Obs. Magnitudo, non solum in physicis, ut in Colossali, sed etiam in moralibus, seu spiritualibus, locum habere potest, ubi illa, duntaxat ut intensiva, seu dynamica Magnitudo, apparet. Ex hoc genere est Nobile. Sic enim nominamus, quidquid demum certam moralis cogitandi rationis Sublimitatem, quasi Heroismum Virtutis, Nobilitatemque Indolis (quae verum demum Nobilitati hereditariae conciliat pretium) annuntiat, v. c. cum quis, ob graves iniurias, Magnanimitate ductus, laedenti ignoscit, aut cum quis, fortunas, vitamque suam, in caussa Veritatis, Salutisque hominum publicae, in victimam offert. Sed moralis Characteris Magnitudo, quae supra solitam virium moralium mensuram extollitur, non actionibus solum, sed etiam Forma, Vultu, Gestu, imo ipsis etiam Tonis annuntiare semet solet. Quare Nobile,

multiplici ratione, nostrae se Perceptioni offere potest: sub qualibet Forma autem ita apparet, tanquam quod Dignitate pollet, Observantiamque, seu reverentiam exposcit. Nam Dignitas, in absoluto illo inest pretio, quod Moralitati competit, ut quod Morale fuerit, id supra omnia, quae nonnisi relativo praedita sunt pretio, extolli debeat atque celebrari. Quare cum Nobile revocemur: profecto quod ignobile est, tanquam moraliter parvum, humile, vulgare, homineque indignum contemnimus. Quemadmodum autem, alia Virtus severa est, ac austera, alia item mitis ac lenis: ita Nobile quoque, duplici ratione potest apparere. In casu posteriori, non solum hoc Reverentiam meretur, sed etiam elicit eam, ac post se trahit: si quidem Nobile, simulac ut Suave quidpiam apparet: continuo amoris quoque illius redditur id particeps, cum quo, pectus humanum, Suavitati universe, tanta cum promtitudine nuncupat, et semper nuncupabit Sacramentum.

§. 40. Solenne. — Magnificum. — Augustum.

Solenne, quo animus, in seriam, religioseque analogam translocatur conditionem, et Magnificum, quod summum quendam circum se spargit splendorem, et eatenus Symbolo Potentiae inservit, Sublimi affine est. Quare Solennitas, et Magnificentia, in primis tribui eius generis Obiectis solent, in quibus Magnitudo virium Naturae, hominumque, ut Maiestas apparet, perque hoc, certam Venerationem postulat exhiberi, quae usque ad Adorationem evehi potest.

Obs. Obiecta solennia, ut sunt: Processiones, Cantus, Orationesque, in quantum iis aliquid celebrandum videtur, animum nunquam non ad seriam, analogamque religiosae conditionem extollunt, etiamsi ea, non directe ad quidpiam religiosum referuntur, aut cum Religione ipsa, non in propiori posita sunt, coniunctione. Memoria, Recordatioque, altioris, suprasensibilisque hominis destinationis, et ipsius adeo Deitatis, tanquam rerum humanarum moderatricis, per hoc, etiamsi obscura cum conscientia, in motum concitatur. Quare Solenne, ad coniunctionem cum Magnifico grassatur, ut splendorem externum, quem hoc circum circa se diffundit, gravitatem rei, qua Solennitas nititur, magis intuibilem efficiat, illamque animi conditionem, quam potentissime exaltet. Atque, ex hac Coniunctione exsistit Augustum illud, quod alias Maiestatem quoque vocamus. Solenne, Magnificum, et Augustum itaque, inest in Obiecto Perceptionis, Sublimi affini, obque hanc ipsam affinitatem placet, si quidem animum, supra omnia extollit. Hinc est, quod Animus, solenni, magnificoque Triumpho vehementer elevetur: in quo scil. Magnitudo virium humanarum, ut Maiestas (το Maximum) apparet, eo quod is hominem, qui multas, magnasque potuit superare difficultates, illustrat, celebrat, et quâ Dominum exhibet. Sic etiam ortus, et occasus Solis, ut maxime solenne, plenumque Magnificentia theatrum a Natura sensibus nostris offertur, eo quod in eo, Imperium Deitatis, longe, lateque patens, quasi ante oculos nostros ponitur. Hinc est, quod nosmet, in Venerationem eius determinatos sentiamus, qui in hac sua Maiestate nobis apparet: quique Tactus adeo potens fieri potest, ut coram Ente immensae Magnitudinis, tanquam illud adoraturi, prosternamur. Veneratio isthaec, usque ad Ad-

orationem talium Entium progressa, in quibus scil. Magnitudo virium hominum, aut Naturae, cum Maiestate exhibetur, animo humano naturalis est, ut, nihil in eo reprehendendum videretur, nisi ex una parte sordida adulatio, ex alia parte autem, Superstitio rudis, Pharisaismus, immoralisque animi indoles, et pudenda Homini servitus, inde emergerent.

§. 41. Patheticum.

Patheticum, proprie, est id omne, quod commotiones animi, praecipue autem fortiores illas, et nobiliores excitat, quae in Subiecto commoto, cum conscientia proprii pretii sunt coniunctae. Quo respectu, ipsum Sublime, et quid quid ei affine fuerit, Patheticum esse exsistimandum est. Quodsi Patheticum affectatum duntaxat esse videtur: tum exsistit ex eo, falsum Pathos, quod Tumorem appellamus.

Obs. Nomen Pathetici, quod nemini ignotum est, a voce παθος descendit, quae affectum, seu, commotionem animi denotat: hinc παθητικον significat id, quod affectus excitat, seu animum commovet. Quodsi interim commotiones internae, quae Obiecto quopiam in nobis cientur, aut debiles tantum sunt, ut animum, quasi superficiario modo afficiant; aut humilioris sunt generis, ut animum quasi coangustent, uti invidia, malignitas, gaudium de damno aliorum etc. tum vero eae conceptu Pathetici iure excluduntur. Quare Patheticum, partim latiori, partim angustiori sensu sumi potest. Sensu vero posteriori, id solum Patheticum est, quod oportunitate fortiorum animi commotionum, eundem, in altiorem potest translocare conditionem. Quia vero Sublime, et quod cum eo coniunctum est, Magnum et Nobile (§. 39.), Solenne et Magnificum (§. 40.) animum nostrum, procul dubio tali ratione afficit: Patheticum quoque Sublimi affine esse oportet. Sed Patheticum, in quantum id (Tonis, Gestibus, aut Figuris) exhibendum est: nunquam non praesupponit, subiectum illud, quod exhibet, in fortiori commotione, altiorique animi conditione positum esse, eo quod, exhibitione sua, minime eam posset perficere. Absque qua exhibendi participatione, Pathos erit mere adfectatum, proinde, immodica nimietate supplere sataget id, quod in sensatione deest. Exhibitio huius generis, non pathetica, sed tumida erit, neque Pathos ciet, sed risum movet. Consequenter verum Pathos interne nos calefacit: contra Pathos falsum, seu tumor frigefactat. Hinc in vicem eius, quod olim Graeci dixerunt: Nihil hydropico siccius esse, dicere nobis quoque hac in Caussa licebit: Nihil calore affectato frigidius esse.

§. 42. Permovens. — Sensibile.

Permovens est, quod animum, prius quidem in inquietam, seu, inter salubritatem et aegritudinem, fluctuantem conditionem transponit, hanc tamen denique in iucundum illum statum vertit, qui ei praevaleat. Quandoquidem autem in Perceptione Sublimis, huius generis taedii, atque voluptatis vicissitudo obtinet (§. 27. Obs. 1.): intelligitur Sublime nunquam non permovens esse, licet non omne quod permovet Sublime sit. Nam Pulchrum

quoque potest esse permovens, quantumvis id, nunquam in se, et per se, quemadmodum Sublime, permoveat, verum duntaxat permixtione Invitamenti peregrini tale esse putandum sit. Vividior animi capacitas, fortes Permotiones recipiendi, Sensibilitas, seu Sentimentalitas quoque appellatur. Quare Sensibile, seu Sentimentale, nihil aliud est, quam peculiaris quaedam ratio, seu altior gradus Permoventis.

Obs. 1. Permotio, ex diversis fontibus potest exsistere: atque ob hanc caussam, difficile est conceptum Permoventis, ita determinare, ut is, cuilibet casui singulari, in quo animus permoveri potest, conveniat. Ipsa Permotionis expressio docet, animum, cum permovetur, non in quiete, sed in motu esse constitutum. Sed non quaelibet commotionis animi species, simul permovens est. Qui enim vehementia dolorum excruciatur: internis quidem commotionibus obnoxius est, neque tamen sensu, de quo hic agitur, permoveri putandus est. Contra spectator permotus esse potest, in quantum Tactus eius participans permovetur. Est scil. Tactus hic, participans doloris, aut laetitiae societas (Compassio, et Congaudium). Illa ex Perceptione peregrini taedii: haec ex Perceptione peregrinae Voluptatis progignitur. Quodsi taedium peregrinum, adeo vehemens est, ut participatio eius, quoad nos in summo gradu dolens, acerbaque sit: tum vero societas doloris, nihil in se habet, quod Permovens esse videatur. Timor, Angor et Terror conquassant tum animum nostrum, eumque quasi ad tormenta intendunt. Si autem videmus, aut alterum, infortunium suum cum constantia perferre, eamque repressione taedii sui voluntaria, per se deminui; aut si in facultate nostra positum est, taedium illius participatione nostra mitigare: profecto tum Perceptio peregrini taedii, cum certo voluptatis sensu coniuncta est. Sed hic voluptatis Sensus, cum non nos ipsi immediate patimur, per hoc ipsum superpondium consequitur, quod peregrinus dolor, aut perseverantiâ alterius, aut Participatione nostra, leniorem characterem assumit, hocque in casu nos permovemur. Tum vero Permotio animi, haud quaquam ex laetitia propriae nostrae Salubritatis, prae peregrina insalubritate exsistit, — quae cogitandi ratio egoistica, potius animum, commiserationi, adeoque etiam Permotioni praecluderet, — verum ex Tactu voluptatis illa emergit, taedio ob peregrinum dolorem permixto, et partim orto ex vi illa, quâ dolores suos alter perfert, atque, ut eos perferat, adiumento ei sumus, partim ex lenimento dolorum, exinde consecuto. Qua re animus noster, levatum se, et amplificatum sentit, statusque eius eminenter iucundus fit, postquam hic aliquamdiu, inter felicitatis et infelicitatis sensus fluctuavit. Sed gaudium quoque potest Permotionem animi progignere, licet inversa ratione. Inferior gaudii gradus, sive nos id, sive alii sentiant, minime permovens est. Sed si nos ipsi, aut alii, aliquamdiu inter timorem et spem pependimus, et denique nobis fortuna multum exspectata arrisit: tum vero gaudium eo vividius, ardentius, et fortius est, animusque noster per hoc permovetur; si quidem is ex fluctuatione inter salubritatem et insalubritatem, postremo, in iucundam eminenter conditionem transiit. Idem quoque Felicitas prorsus inexspectata potest efficere. Cum Oppressione huius generis, semper aliquid coniunctum est,

quod nobis angorem, terroremque inspirat: sed ea praeterlapsa, gaudium, mitiorem, lenioremque characterem induit, conditioque animi, eminenter fit iucunda, levato eo, et quasi dilatato. Lacrymae certe, quas, ut fit, conditio Permotionis exprimit, declarationem hanc confirmant. Nam, cum usque adeo permoti sumus, ut lacrymas fundere-mus: sane in earum effusione, a certo quodam pressu, sentimus nos liberatos.

Quodsi Theoria haec Permotionis animi recte se habet: lucide perspicitur 1.) Quod Sublimitas semper cum certo Permotionis gradu coniuncta est: nam in Perceptione eiusdem, animus, non in quieta Contemplatione occupatus est, sed potius in conditione taedio et voluptate permixta, quae tamen longe plus voluptatis quam taedii in se cohibet; 2.) Quod, non omne, quod permovet, Sublime est; nam duntaxat, si Permotio cum perceptione illiminatae Magnitudinis coniuncta est, et ex ea progignitur, tum demum, quod permovet, simul quoque Sublime est; 3.) Quod Pulchrum etiam permovens esse queat: nam id, in tali situ, talibusque sub modificationibus potest se perceptioni nostrae offerre, ut Permotionem in nobis cieat; 4.) Adeoque Pulchrum, non per se permovet, quemadmodum Sublime, sed per accidens duntaxat, neque enim necesse est, ut id ita modificatum appareat, ut eatenus permoveat. Sententia ergo Kantii, supra (§. 33. Obs.) allegata, purum Gustus Iudicium a (stimulo et) Permotione independens esse, hoc quoque intuitu, ut recta, probanda videtur, si in eo scil. nonnisi ad Pulchrum, quâ tale reflectitur. Quod autem in Arte, complacentia, quae proxime a Pulchro provenit, accessione permoventis, augeri et roborari non debeat, haud quaquam hinc sequitur. Dummodo Artifex minime in eo elaboret, ut in suis exhibitionibus, sola Permotione velit placere, ut quidam Dramatici, Romanticique Poëtae, et Oratores sacri solent agere.

Obs. 2. Cum Permovente, magnam habet affinitatem Sensibile, seu Sentimentale. Est vero Sensibilitas, seu, Sentimentalitas, sensu subiectivo, nihil aliud, quam vivida illa Tactus vis, quâ animus peculiarem obtinet receptivitatem, ut ab Obiectis voluptatis et taedii fortiter afficiatur. Sed vox ea, obiectivo quoque sensu sumitur, atque illam Obiecti voluptatis et taedii (praecipue in Artefactis) proprietatem denotat, vi cuius id, Tactus quam maxime vividos (fortes Permotiones) ciere potest, v. c. cum dicitur, Poëma quoddam sensificum esse, h. e. multam in eo dominari Sentimentalitatem. Quae sensationes vividae, seu Permotiones fortes, universe, nihil in se habent, quod reprehendendum videatur, imo si recte adhibentur, h. e. si animum non remittunt, deprimuntque, sed corroborant potius et extollunt: sane eae praecipua quaedam animi bene organisati Ornamenta esse putanda sunt. Datur scil. falsa quoque, et saepe nonnisi affectata Sensibilitas, quam commode languidam dixeris Sensibilitatem. Haec duntaxat in mollibus Tactibus inest, qui animum incapacem reddunt, ut in Magno quoque complacentiam inveniat, adeoque ei omne robur, omnemque consistentiam eripiunt. Sed languida isthaec Sensibilitas, minime cum Permotione animi confundenda. — Ad quaestionem: Num apud priscos locum habuerit Sentimentalitas? responderi potest: Genuina Sentimentalitate minime eos fuisse destitutos, quamquam ea crebrius apud recentiores occurat. Certe discessus

Hectoris ab Andromache apud Homerum, Scenaque amatoria Aeneae et Didonis apud Virgilium, indibitata sunt Sentimentalitatis documenta.

§. 43. Mirabile. — Terribile. — Horribile. — Portentosum.

Mirabile est, quod sua novitate, a solito Naturae ordine declinat. Terribile vero est, quod maiori vi malum minitatur, quam cui resistere valeremus. Si terribile summum gradum assequitur, Horribile vocatur: quemadmodum Mirabile, si id simul in maximo gradu Terribile fuerit, horrendoque stupore nos complet Portentosum nuncupatur. Quamobrem Sublime, tam Mirabile, et Terribile, quam etiam Horribile, et Portentosum simul esse potest.

Obs. Quod a consveto, dudumque noto Naturae ordine discedit: id nos, quâ, novum quidpiam percellit, efficitque ut illud miremur. Non itaque necessarium est, ut quod Mirabile dicimus, Miraculum sit rigorosum, h. e. quod legibus Naturae repugnet, viribusque supernaturalibus effectum sit: verum satis est, si illud a solito discedat, et nobis quasi novum esse videatur. Quare intuitu aesthetico, criterium novitatis, necessario ad conceptum Mirabilis pertinet, non autem ad criterium rou Supernaturalis. Proinde Mirabile, aut nonnisi propter stimulum novitatis nobis placet, quo scil. id cognitionem nostram amplificare videtur, aut propter insolitam magnitudinem, quae, quasi supernaturalis videtur, eoque ipso, affinitatem suam cum sublimi satis probat. Hinc est, quod ipsum quoque Sublime, saltem, quamdiu adhuc novum est, Mirabile esse videtur. Quo magis autem conspectus rei mirabilis, familiaris fit, eo minus illa amplius, ut Mirabilis, Sublimisque apparet, eo quod Magnitudo adsveta, non amplius illimitata nobis videtur.

Quod Mirabile est, solet quoque in nobis timorem excitare, proinde etiam tanquam Terribile apparere, eo quod vires et actuositatem eius ignoramus. Terribile, in se et per se nunquam potest placere: verum si id, aut ut Mirabile apparet, aut characterem Sublimitatis in se habet, cum intima complacentia potest esse coniunctum. Obiectum terribile, si cum malis coniunctum est, quorum nos sympatheticis solum Tactibus participamus: potest quidem Obiectum esse horribile, et tamen placere.

Quod Portentosum attinet: id tam Mirabili, quam Terribili affine est, atque ex tali amborum permixtione constat, quae monstrosi quidpiam in se continet, unde etiam aliquam Horroris speciem incutit. Quare Portentosum, Horrendum quoque vocatur. Sic: sunt portentosae Magnitudines, sunt portentosae vires, sunt portentosa scelera: sed portentosae Virtutes nullae sunt. Ipsum quoque Portentosum, nonnisi in quantum Sublimi affine est, potest complacentiam aestheticam excitare.

§. 44. Tragicum.

Tragicum est, quod non solum metum et misericordiam, sed etiam admirationem virium, quae se per hoc annunciant, excitat. Quare expressio Tragici, non solum ad humanos dolores,

vitiaque hominum, sed etiam, ad fortitudinem homini inhabitantem refertur, qua is se, super iis extollere, contraque ea certare ac depugnare potest. Tragicum ergo Sublimi est affine, atque etiam propter solam hanc relationem placet. In eo possunt se omnia reliqua, quae cum Sublimi affinitatem habent (§. 37—43.), in unam impressionem communem coadunare. Potest quoque Tragicum, cum Sensibili, seu Sentimentali consociari, eo quod hoc, ex vividiori animi, ad fortiores Permotiones receptivitate exsistit, hasque ipsas ciet, si modo Sensibilitas iusta, non in subdulcem, imbecillemque Flebilitatem degenerat, eatenusque, in cassam Sensationem demutatur (§. 42. cum Obs. 2.).

Obs. Tragicum, nomen habet a Tragoedia: Tragicum tamen non solum in Tragoedia, tanquam peculiari Artis opere poëtico-dramatico, in quo id quasi Principium vitale dominans est, sed etiam in Poëmatibus epicis, in tabulis pictis, statuis, aliisque Artefactis occurrit, proinde ad universales Conceptus aestheticos pertinet. Quamobrem, Tragicum universe, a Tragoedico discernendum esset. Quia vero in Tragoedia, actio plerumque tristem sortitur exitum, aut saltim tristes eventus in medium adducit: intelligitur, Repraesentationem Tristis, ut characterem essentialem, falso in conceptum Tragici irrepsisse. Tristis enim exitus unice, aut tristes rerum eventus, actionem aut casum, nondum in Obiectum tragicum constituunt: secus quilibet conatus infeliciter terminatus, quaelibet aegritudo morte finita, Tragicum quidpiam esset, quod nemo facile dixerit. Hinc conceptus tristis, nonnisi subordinatum, seu derivatum criterium in conceptu Tragici esse putandum est. Iam Aristoteles de Tragico dixit: eo timorem et misericordiam excitari. Sed Timor et misericordia, partim ex humano vitio, partim ex doloribus humanis exsistunt. Vitia humana, perpessionesque hominum, in se, et per se, placere prorsus, saltem aesthetice, non possunt: verum, in quantum media sunt, magnitudinem spiritui humano, propriam, qua is secum, cumque fato decertare potest, modo intuibili exhibendi, proinde conscientiam Sublimitatis Naturae humanae concitandi. Quare lucta Animi magni, sive cum propriis, sive cum peregrinis passionibus, qualemcunque demum exitum illa habeat, pro vere tragico Obiecto habenda est. Praecipue ergo, intensive, seu dynamice Sublime est, cui Tragicum affine est. Est etiam id, per Naturam suam permovens (§. 42.). Artifici ergo tragico, minime necesse est Permotionem animi, ut finem sibi proponere, cum ea, sponte sua ex Tragico emergat. Quodsi tamen Artifex, in eo in primis elaboraret: facile in affectatam Sentimentalitatem incideret, quo ipso, characterem Sublimitatis Tragico eriperet, Tragicumque in Tragico exstingueret. Aetas itaque, in qua languida illa, et effeminata dominaretur sensatio: Astheniae illius temporis irrefragabile foret documentum.

§. 45. Deforme, et Humile; quâ Pulchri, et Sublimis opposita.

Pulchro, et Sublimi, Deforme, et Humile opponuntur. Deforme scil. ob Formam suam ingratam displicet, cum id, per hoc, Imaginationem et Intellectum, ea ratione occupat, quae ori-

ginariae earum relationi minime convenit, proinde disharmonica est. Humile autem ob fastidiosam suam parvitatem displicet, cum id per hoc Rationem, in ideali sua actuositate, restringit.

Obs. 1. Quod non Pulchrum est: nondum ideo deforme esse putandum est. Illud duntaxat non placet, eo quod Forma eius animum nullo Invitamento devincit, proinde relinquit eum indifferentem. Hoc contra ideo displicet, quod Forma eius animum, ratione disharmonica occupat, si quidem in eo, renisus partium percipitur, vi cuius deinde, nulla earum, ad Totum quodpiam consonans comprehensio possibilis est. Potest quidem, ob unicam partem renitentem, Pulchritudo Obiecti deminui, aut etiam tolli: neque tamen idcirco ea, in Deformitatem convertitur, nisi forte simul, omnes quoque reliquae partes, unius adversatione, in Disharmoniam incidant. Quia vero Pulchritudo suos habet gradus (§ 32.): Deformitas quoque suos habere putanda est; unde infinite multae gradationes possunt cogitari, per quas Obiecta deformia, magis, aut minus, invicem distabunt. Quod inter Pulchritudinem, Deformitatemque medio loco positum foret: id neque Pulchrum, neque etiam Deforme esset, proinde id nihil in sua Forma haberet, quod aut complacentiam, aut displicentiam in nobis excitaret. Maximum autem Deformitatis, et quasi Ideale eius, ut tale quidpiam, quod intueri, et exhibere liceret, cogitari nequit. Nam Disharmonia partium, in Infinitum procedit. Quamcunque deforme ergo Obiectum quodpiam fuerit: id tamen, amplificatione adversationis partium suarum, semper deformius adhuc effici potest, v. c. corpus humanum, si ei lineamentum addas, aut demas. Sed Pulchritudo summa, in qua omnes partes perfecte inter se conveniunt, additione, aut sublatione cuiuscunque generis deminueretur, si quidem per hoc, Harmonia illa turbaretur. Quare, datur quidem Ideale Pulchritudinis (§. 23.): sed Ideale Deformitatis, si id sensu proprio sumatur, nullum dari potest, — nisi forte Thersiten quempiam Ideale Deformitatis sensu relativo velis nuncupare.

Obs. 2. Ita quoque cum Humili comparatum est. Quod non Sublime est: nondum idcirco Humile esse putandum est. Id enim, duntaxat illimitata magnitudine destitutum est, atque defectus hic, non necessario cum displicentia percipitur: secus, magna quaedam rerum complacentium, aut saltem indifferentium copia displicere deberet, et ipsum Lepidum, (§. 35.) Obiectum complacentiae esse nequiret. Sed Humile, aliquid est, quod displicet. Debet quidem in eo, certus quidam Magnitudinis defectus, proinde certa quaedam Parvitas, ut oppositum Sublimis, deprehendi: sed quia hoc, non per se displicet; ingrata quaedam Parvitas ea sit necesse est, propter quam Obiectum Humile nominatur. Parvitas autem isthaec, ex defectu extensivae, aut intensivae magnitudinis, (§. 26.) potest exsistere. Defectus extensivae Magnitudinis, nonnisi in tantum taediosus esse potest, in quantum is simul, cum certa quadam informitate, coniunctus est, per quem Parvitas extensiva ut minime finale quidpiam, apparet, v. c. cum in pumilione Parvitas dissimilimam cum aetate coniunctionem efficit. Defectus autem intensivae Magnitudinis, in tantum fastidiosus est, in quantum eo, interna quaedam impotentia manifestatur, in ente quopiam, a quo tamen certam quampiam energiam, in sua actuositate, postulamus. Atque, hic idem casus obtinet, v. c. in assentatoribus, obtrectatoribus, sicariis,

ut et universe in omnibus iis, quorum indolem (cogitandi rationem) humilem, abiectam, ignobilemque nominamus, eo quod ii, moribus suis internam produnt infirmitatem. Nam, si iidem, Magnitudine, aut fortitudine animi praediti essent, minime ad talia media confugerent, sive ut apud alios in ullo pretio essent, sive ut aliis nocerent. Ii itaque contemnendi esse videntur; cum Scelerato, qui magno conatu fines suos persequitur, etiamsi consilia eius detestamur, certam quandam observantiam minime denegare valemus. Sed Ideale Humilitatis, tam parum dari potest, quemadmodum nullum quoque Deformitatis Ideale exstat, eo quod Humile, continuata (extensivae aut intensivae) Magnitudinis deminutione, semper humilius reddi potest: absoluta vero deminutio illa foret, quae Obiectum zero aequale (= 0) efficeret, proinde Perceptibilitatem eius tolleret (Met. §. 79 et 80.).

§. 46. Nauseosum, seu, Fastidiosum.

Quamquam Deforme et Humile, non immediate, seu, per se placere potest, praecipue si id, ad Nauseosum, seu Fastidiosum concidit. Attamen in talibus relationibus, potest illud apparere, ut indirecte, seu mediate, voluptatem Tactus concitet, quae aestheticae illi analoga est, atque hic praecipue casus est, si id, ut Ridiculum apparet.

Obs. Cum Deforme, ob ingratam suam Formam; Humile autem, ob fastidiosam suam Parvitatem displicet: fieri non potest, ut id, si in sua nuditate tota Perceptioni offertur, cum complacentia consideretur. In hac autem nuditate exhibetur id, si, aut absque omni aliarum proprietatum permixtione, quae aesthetice placent, atque, quod in Deformi et Humili fastidiosum est, occultant, aut, si id, ut Nauseosum apparet, veluti Scelerus. Nausea videlicet, est corporalis sensatio, adeo ingrata, ut corpus ipsum, maximo cum nisu, et quasi per instinctum, liberare semet illâ, satagit, cum iam iniucunditas, certum aliquem gradum assecuta est. Nauseosum itaque est, quod adeo iniucundum videtur, ut in animo Tactum sensationi illi analogum excitet, in eamque conditionem transponamur, in qua dicere solemus, male nobis esse. Proinde Nauseosum placere nequit. Cum interim Nausea, intuitu corporali, a certis Organisationis modificationibus, quae non ubique aequales sunt, intuitu vero spirituali, a longe magis fortuitis, interdum autem, ab habitualibus, certarum repraesentationum associationibus dependet, adeoque aliquid est, quod prorsus subiectivum est: sane Nauseosum, non solum varios gradus habere potest, sed etiam fit, ut quod in una relatione Nauseosum fuerit, in alia haud quaquam tale esse videatur. Hinc est, quod non tantum homines singuli, sed etiam integrae nationes, et aetates, in diiudicando Nauseoso, summopere inter se differant. Consequenter, falsa est argumentatio, quae sumit, id, quod, inpraesentiarum nobis Nauseosum est, priscae quoque, et rudiori aetati, tale esse debuisse. Interim tantundem certum est, quod si, et in quantum, Deforme et Humile, Nauseosum apparet: id in tantum, molestam in animum facere impressionem, proinde eius usum, in exhibitione aesthetica, a nullo Gustu perpolito posse approbari. Enimvero, Deforme et Humile, haud quaquam in se sensationem nauseosam excitat, atque praeterea, tali ratione exhiberi id potest, ut non in tota

sua Deformitate, Humilitateque appereat, et tum, indirecte, seu mediate, Tactum voluptatis cieat. Fieri potest v. c. ut id in Pulchro et Sublimi stannioli vicem subeat, hocque coniunctione dissimili, in longe maiori luce collocet, eiusque impressionem, in animum corroboret. Tum vero animus, in perceptione Deformis et Humilis, non diutius commoratur, quam necessarium est, ut Pulchrum et Sublime, in tota sua Fortitudine sentiat. Sic Thersites Homericus, totus quantus ad Heroes Homericos illustrandos, et extollendos comparatus est. — Idem quoque de Humilitate valet, quod hic eo magis commemorandum videtur, quod ea saepenumero, cum Deformitate consociatur, et haec, ut internae Humilitatis Symbolum, quemadmodum Pulchritudo, ut Symbolum Bonitatis consideratur (§. 19. Obs.). Frequentissimus, et convenientissimus usus autem, qui a Deformi, et Humili desumitur, ut eo indirecte Tactus voluptatis excitetur, inest, in exhibitione eiusdem, tanquam Obiecti ridiculi, — de quo nunc statim dicendi locus erit.

§. 47. Ridiculum. Humorosum. Ingeniosum. Acutum. Nativum. Iocosum et Scurrile.

Ridiculum, universe vocatur id omne, cuius perceptio, ad Risum sollicitat. Cum autem stimulus hicce, in Organisatione corporea, relationeque τοῦ Spiritualis in homine, ad Corporale, fundatum est: intelligitur investigationem de natura Risus, et Ridiculi, ad Anthropologiam pertinere (Fund. §. 132. Obs.). Ad diiudicandum Ridiculum, sufficiens illa videtur esse declaratio, scil. id solum esse Ridiculum, in quo, inepti quidpiam, atque absoni inest, cuius repentina perceptio, animum voluptate perfundit, nisi illud, adeo momentosum fuerit, ut supra modum iniucundos debeat Tactus excitare. Dexteritas, Ridiculum inveniendi, aut progignendi, et exhibendi Humorem, hic Ingenium, et Acumen praesupponit. Quare ipsum Humorosum, Ingeniosum et Acutum, Ridiculum quoque dicitur, in quantum illud, ad ridendum stimulat. Denique Nativum (Naif) quoque, quod ex coniunctione illa dissimili exsistit, quam saepenumero Naturale, cum conventionali effingit, eatenusque pari modo Risum provocat, ut peculiaris Ridiculi Species potest considerari.

Obs. 1. Risus, est physica corporis concussio, cum titillatione coniuncta, in qua, aut musculi vultus, aut pectus etiam, et venter, commoventur. Sed quia Antropologiae empiricae est, caussas huius Phaenomeni indagare: nos hoc loco aestheticos duntaxat Ridiculi characteres persequemur, h. e. ita illud considerabimus, tanquam complacentiae aestheticae Obiectum. Ut autem veram Ridiculi naturam recte declarare valeamus: tres in eo characteres sunt discernendi. Primus Ridiculi character, in inepto, et absono versatur. Sed hoc varium est. Potest scil. Absonum isthoc, aut tam manifestum esse, ut illud, sine labore in oculos incurrat, ut si quis v. c. assereret, vitulos se alatos, atque volantes vidisse; aut tam tectum et occultatum, ut ad ingenium eius inveniendum, meditatione quadam opus sit, si quis v. c. quaereret: Quot annos bellum tricennale duraverit? Nam, si prolixâ, atque severa meditatione opus fuerit, ad latentem absurditatem inveniendam:

locum Ridiculum non habebit. — Secundus Ridiculi character in eo consistit, ne Absonum illud, ullam gravem sensationem molestam, in animo cieat, quia secus, locum habere complacentia vicissim nequiret. Si quispiam Adolescens v. c. sub fenestra Amasiae suae, gratiam illius inter gemitus, et suspiria flexis genibus imploraret; is vero inter ea ab eadem lixivio perfunderetur: nae hoc, Iuvenis hic prostitutus, iure in malam partem interpretaretur, idem autem aliis Ridiculum videretur. Contra, si ab eadem Virgine, in caput dicti Adolescentis precatoris, saxum ingens praecipitaretur, ut hic ab eodem opprimeretur: profecto id, non solum nemini Ridiculum videretur, sed potius e quolibet spectatore commiserationem elicerit. — Tertius Ridiculi character in eo cernitur, si Absonum, ex mutatione repentina, exspectationis intentae, in nihilum vertatur. Sic v. c. fabula Montis parturientis, apud Apologum, ea duntaxat ratione poterat reddi ridicula, quod is, post diuturnos dolores, gemitusque acerbos, murem pepererit. Atque hanc ob caussam supra monitum est, ut cum Absonum tectum est, ac occultatum, ad illud reperiendum, nulla profunda meditatione sit opus. — Qua in re vero positum sit, si quaeratur, fundamentum voluptatis Tactus, cum Ridiculum percipimus? respondendum est: Procul dubio in repentina spirituum vitalium incitatione, celeri Absoni detectione effecta, quae simul cum Tactu Praestantiae coniuncta est. Quod autem repentina virium vitalium Incitabilitas, in Ridiculo locum habeat, inde liquet, quod motus intestinus, cum externo sit consociatus, et quod Risus, non solum animum reficiat ac recreet, sed corpori quoque proficuus sit, neque desint exempla eorum, ut in Erasmo, quos Risus, ex aegritudine resanaverit.

Obs. 2. Ut aliquid Ridiculum videatur, nunquam non, certa quaedam subiectiva animi conditio, ad id requiritur. Qui enim profundis doloribus immersus est, in Risum solvi nequit. Imo non desunt homines, qui a Natura adeo severi informati sunt, ut parum, aut nihil rideant, quales v. c. fuere: Anaxagoras, Phocion, Marcus Crassus, Plinius maior etc. Vel ex hac ipsa ratione quoque, non, quidquid irrisione dignum est, Ridiculum quoque simul esse putandum (Obs. 1.). Naturalis illa dispositio, ad subiectivam illam animi conditionem, in qua res ridiculas invenimus, donumque Naturae pro lubitu, in eum se statum componendi, sensu bono Humor (modus facetus) appellatur. Nam vox Humoris malo quoque sensu sumitur, cum quis, nihil non in sinistram partem interpretatur, eoque, et se, et alios excruciat. Conditio hominis mali Humoris, Morositas vocatur. Bonus autem Humor, seu, Festivitas, inest in Naturae dono, semet pro lubitu, in eius generis dispositionem translocandi, in qua, res ridiculas recipere potest, proinde in iis, Absonum illud observat, cuius Perceptio et Exhibitio, et nos, et alios delectat. Homo, hac Animi ratione subiectiva praeditus, boni Humoris, seu, Festivus nuncupatur. Qui Animi Status, altiorem quendam Ingenii et Acuminis gradum, seu, Facultatem nessario praesupponit, similitudines rerum et discrimina, quae non cuique in oculos incurrunt, facile observandi et intuitive exhibendi. Res, quae per se non ridiculae sunt, per hoc ridiculae fiunt, si iis, interventu comparationis ingeniosae, aut discriminis arguti, colorem Absoni appingimus. Ut autem Humor, dum se exserit, prorsus placeat, minime is, tanquam malitiosus apparere de-

bet: secus suspicio exoritur, Humorem esse malum. Apparet autem Humor, tanquam malitiosus, si is, quin parcat, sine respectu, quidlibet, ipsum adeo, quod Reverentia, Amoreque dignissimum est, aggreditur, idque, dum deprimit ac perstringit, sibi ipse placet. Atque hic est character Humoris, alios ludibrio habentis, qui exacerbat et frigefactat. Certe sic erat animatus Voltairius. Contra Humor, in habitu quoque Humanitatis potest apparere, et tum, vel maxime placet. Nam certam quandam Participationem sympatheticam, in Animo excitat, et speciem Permotionis progignit, quae secus, a Ridiculo aliena est. Atque hic est character Humoris liberalis, qui lenit et calefacit.

Obs. 3. Nativum, etymologice consideratum, nihil aliud est, quam quod alias Naturale, Simplex, seu, Connatum vocitamus, opponiturque factitio, artificioso, seu, adscito. Sed Naturale saepe, eo quod consuetudini inveteratae repugnat, colorem Absoni assumere, atque eatenus Ridiculum fieri potest, quo in casu id in primis Nativum appellatur. Cum autem in Ridiculo nihil refert, realene sit Absonum, an apparens tantum (Obs. 1.): sane Nativum, in summo gradu Ridiculum esse potest, si id a Conventionali manifeste discedat, nosque Perceptione eius, praeter opinionem opprimat. Nativum (Naivitas) itaque universe, minime Naturale ipsum, et quasi in se esse putandum est, verum id, in naturali illa Simplicitate inest, quae conventionali cogitandi, et agendi rationi, adversatur, v. c. cum Parvulus in Societate, Naturae se necessitate urgeri, palam pronunciat, de quo ei, si consuetae Urbanitati semet accommodare voluisset, tacendum erat, — aut cum Puella, voluntatem nubendi, imprudens aperit, occultatura eam procul dubio, si Civilitatis rationem observasset. Quam ob repugnantiam, Nativum, tanquam Absonum, seu Absurdum quidpiam apparet, cuius Perceptio repentina, Risum movet. Complacentia autem Nativi, eo fortior est, quo minus eam ex una parte exspectavimus, et quo magis id, ex alia parte, certam quandam puerilem innonentiam arguit, quae non solum a molesta Conventionalitatis coactione, sed etiam a vitiis immunis est. Haec quoque caussa est, cur nativa Personarum adultarum declaratio, si ea non affectata est, neque se, ut inculta Rusticitas prodit, loge magis placeat, quam illa puerorum; eo quod naturalis horum Simplicitas, non ignota nobis est, proinde nativis quoque eorundem declarationibus, non tantopere opprimimur. Sed, id quoque hinc facile intelligitur, qui fiat, quod in nativa declaratione, Amore quidpiam dignum, saepe autem, quod permoveat etiam, reperimus: nam cum ob puerilem innocentiam, naturalemque Simplicitatem, gaudio adficimur: non possumus non cum dolore animadvertere, Hominem cultura sociali, ab Innocentia, et Simplicitate, tam procul discessisse. Hinc est, quod Humor quoque (Obs. 2.) tam libenter Nativo utatur.

Obs. 4. Si Ridiculum, tanquam merus lusus, ad refocillandum in conversatione cum aliis animum, aut ad recreandum colloquium sociale convertitur: tum id, ut Iocosum, seu, Ludicrum apparet. Nam Iocus, velut Ingenii, et Acuminis lusus, boni Humoris (Obs. 2.), ut aiunt, filius est, cuius destinatio, in promovenda vitae socialis fruitione inest. Sed Ioco plerumque deceptiones, petulantiaeque innocentes, aut aliae inexspectatae cogitationum, vocum, et actionum conversiones,

pro fundamento sunt: quae omnia, cum certum quoddam Absonum, innocenti, repentinoque modo conspectui offerunt, animum hilaritate complent (Dulce est desipere in loco). Sin autem locus intempestive, indecoraque ratione adhibetur, ut Gustum, Mores, Honoremque laedere videatur, Scurrilitas appellatur. Iocus, si ad plebeia se demittit, vertitur in Nugas.

§. 48. Comicum. — Absurdum. — Caricatura. — Satyrico-comicum et Tragico-comicum.

Ridiculum, (§. 47.) sensu latiori, Comicum quoque appellatur. Sensu autem strictiori Comicum est id, quod ingeniosa quadam, argutaque ratione, ita exhibetur, ut illud, tanquam ridiculum appareat (§. 47. Obs. 2.), et si huius generis exhibitio, praecipue ad humanas infirmitates stupiditatesque referatur: tum Comicum inde exsistit, sensu strictiori ita dictum. In quantum ergo Comicum, ad sui diiudicationem, altiores inferioresque animi vires, quasi in Iudices provocat: Comicum supremi, et infimi gradus appellatur. Quodsi Comicum ex compositione heterogeneorum prorsus Obiectorum, quae tamen repugnans secum esse videtur, coalescit: id Grottesco-Comicum, seu Absurdum vocitatur. Contra, si id, ex hyperbolica Obiectorum expositione emergit, quo sic ea, in summo gradu Risui, et Sibilo obiiciantur: Caricatum, et ipsa exhibitio Caricatura nuncupatur. Satyrico-comicum, et Tragico-comicum quoque, ut peculiares huius modificationes sunt reputandae.

Obs. 1. Comicum, Nomen suum a Comoedia habet: neque tamen in sola Comoedia illud, sed etiam in aliis Poëmatibus, et Artefactis occurrit, proinde, ad universales Conceptus aestheticos pertinet, a Comoedico proprie discernendum. Habet tamen determinatio Conceptus huius, maiores fere difficultates, quam illa Tragici, eo, quod expressio Comici, in tam diversis sumatur significationibus. Id certum est, Comicum ex Ridiculo natum esse, seu, Ridiculum esse, quod primarium in Comico lineamentum constituit. Hinc est, quod saepenumero, ambae hae expressiones, pro aequipollentibus sumantur, atque haec latior vocis significatio est, in qua, in vicem hominis ridiculi, homo comicus dicitur. Neque tamen quidquid Comicum est, Ridiculum esse putandum est, v. c. Fabulae Romanenses comicae, Epopoeia, Drama comicum, quae si ridicula nominaremus, exprobrare illa videremur. Ut ergo Vox: Comicum, in alia adhuc significatione sumatur, necesse est. Usurpatur scil. illa praeprimis, de tali ingeniosa, argutaque rerum exhibitione, qua hae characterem Ridiculi adoptant; et quandoquidem infirmitates, stupiditatesque humanae, licet in se reprehendendae magis, et commiserandae videantur, attamen a parte quoque Absoni, largam ridendo Materiam suppeditant, intuituque conspectus huius, in summo gradu fieri ridiculae possunt: Comicum sensu stricto in hac significatione sumitur, in qua id, Materiam quoque principalem Comoediae, tanquam peculiaris generis Dramatis constituit. Sic Consultatio avium apud Aristophanem comica est, si quidem in ea, infirmitates, stupiditatesque hominum, in civili eorundem commercio, ingenio-

se et argute, tanquam ridiculae, depinguntur, — ut character quoque Avari apud Molierium, Tonusque civitatum minorum, in famosa Kotzebuvii Comoedia exhibentur. Translatione postmodum facta, expressio Comici, ad quodlibet etiam refertur, quod huius generis exhibitionem, in se continet, v. c. Poëma comicum, Saltatio comica, Pictura comica, Opera comica: quemadmodum, facultas Exhibitionis huius generis, in quantum ea se, in Productis realibus energica ratione exserit, Vis comica appellatur.

Obs. 2. Comicum universe, diversam pertractandi rationem admittit, et in hac relatione, diversa quoque Nomina sortitur. Quod si id, ex genere nobiliori, subtiliorique fuerit, ut ad illud diiudicandum, altioribus animi viribus opus sit, aut saltem altior animi cultura requiritur: tum illud Comicum supremi gradus appellatur. Sin autem id crassioris notae fuerit, ut magis in sensus incurrat, visque eiusdem, vel in inferiori culturae gradu, ab animo sentiatur, Comicum inferioris gradus nuncupatur. Quare Comicum ioculare (Burleske, dictum) nihil aliud est, quam Comicum inferioris gradus, praecipue in quantum id, nugis ludit, et delectat (§. 47. Obs. 4.). Comicum Sannionum, (Harlekinade) quod olim in theatris dominabatur, postmodum autem sibilo exceptum, delectationis caussa plebi relictum est, in primis ad hoc Comici genus spectat, neque satis aequum foret, id, territorio Artis pulchrae excludere velle, utut in eo, supremum sibi locum vindicare nequeat.

Sed Comicum, tali quoque ratione progignitur, si res immediate inter se coniungantur, quae ob heterogeneitatem suam, prorsus insociabiles esse videntur, v. c. si Figurae hominum, et animalium, cum floribus et frondibus, ita inter se perplectuntur, ut Regnum Animalium, et Plantarum, quasi in unum concrevisse videatur. Tum hoc Comici genus, Grottesco-comicum appellatur: Caricatum autem dicitur Comicum, si Obiecta, praecipue id, quod in iis deforme ac humile est, modo hyperbolico ita exhibentur, ut eatenus inde, quasi inversum Ideale emergat. Utraeque hae Exhibitionis species, praecipue autem posterior, non solum in Arte pictoria, sed etiam in Poësi Mimica etc. possunt occurrere. Quodsi quaeratur, quodnam sit proprium, complacentiae huius, in talibus Exhibitionibus Obiectum? respondendum est: procul dubio liberum Phantasiae lusum esse, quae scil., vel in combinationes repugnantes, distortiones etc. certum quendam nexum, expressionemque characteristicam conferre novit, oppressionemque simul instituit talem, quae, ut fit, cum perceptione, partim realis, partim apparentis tantum Absoni coniuncta est. Ut autem hic quoque, aurea illa Horatii regula: Est modus in rebus etc. observetur, per se intelligitur: secus Risus, non Obiectum spectabit, sed Artificem ipsum petet.

Obs. 3. Consilium Comici, sensu strictissimo (Obs. 1.), aut in mera delectatione inest, tumque simpliciter Comicum dicitur, aut praeterea etiam in fine morali positum est, et tunc id Satyrico-comicum dicitur. Satyra, quâ talis, et in hodierno vocis sensu, consilium emendandi habet, — (quo, potiturne ea re ipsa, an non? quomodoque id cum arte conveniat? nostra non interest disputare), operamque dat, ut vitiorum humanorum, aut stupiditatem, absonumque

characterem aggrediatur, ridicula illa redditura; aut Immoralitatem, proinde abominandum eorundem aspectum attingit, ut reatum illorum ante oculos ponat. Haec caussa est, cur Satyra, in ridentem, aut ludentem, et seriam, ac severam, seu punitivam distribuatur. Prior est Satyrico-comica, aut si placet Comico-satyrica, nam ea, vitia humana, ingeniose et argute ita describit, ut ea ridicula videantur, quo sic iis deterreamur: ea itaque, infirmitates, stupiditatesque nostras, flagello suo, quasi ioci, et delectationis caussa, castigat, quamvis alium quoque adhuc finem in proposito habet. Satyrico-comicum autem universe, longe amplioris est ambitus, quam Satyra simpliciter ita dicta, de qua re, quae uberius dicenda sunt, Poëtica consulatur. Nam illud, etiam in Operibus epicis, et dramaticis, quin imo in picturis quoque, atque saltationibus potest occurrere. Sic Hogarthi Caricaturae, maiorem partem, Satyrico-comicae sunt, quemadmodum etiam Aristophanis Comoediae. Proinde Satyrico-comicum, ut peculiaris Comici modificatio, universe, ad conceptus universales aestheticos pertinet.

Obs. 4. Quod denique Tragico-comicum attinet, ipsa Nominis significatio, iam Coniunctionem Tragici cum Comico innuit. Sed Coniunctio isthaec, aut ut mera Tragici, et Comici vicissitudo, aut ut realis Tragici, in Comicum cooptatio, potest cogitari. In mera vicissitudine, proprium suum characterem, utrumque retinet, atque Tragico, ideo Comici quidpiam admiscet, adiicitque, ut animum, a contentione illa recreet, et refocillet, quam in Perceptione Tragici senserat v. c. in Tragoediis Shakespearii. Haec quidem Tragici cum Comico coniunctio, interdum damnata est, idque duriter, eo quod, ambo haec insociabilia inter se sint, si quidem id, reciproca conditionis animi exstinctione, et deceptione, se ipsum ad nihilum redigat. Enimvero Experientia docet, coniunctionem huius generis, non necessario displicere, et si certum est, quod nemo dubitat, in vita humana, Tragicum et Comicum, saepissime per vices se excipere: quid est, cur id genus vicissitudo, in territorio Artis prohibenda videatur? imo, ipsum quoque Tragicum, tali vicissitudine saepe, altius quoddam Invitamentum consequitur; atque deceptio illa, quae re vera non in fraude versatur, sed in intima tantum Participatione (Invitamento vivido) exhibiti inesse debet, per hoc haud quaquam tollitur.

Alia prorsus est, secunda Coniunctionis ratio, cum Tragicum, in Comicum re ipsa cooptatur, quo facto, Tragico-comicum exsistit. Tum vero Humor comicus, tragicum sibi appropriat, idque, tanquam Corpus alimenta, in suam convertit substantiam. Sic Batrachomyomachia Homeri, re vera Tragico-comica esse putanda est. Quamobrem Tragico-comicum, est species quaedam Parodiae Tragici, quâ Obiectum et Exhibitio, in ridiculam incidunt repugnantiam; proinde, quoad essentiam, pariter inest illa duntaxat in peculiari Comici modificatione, in qua, constans quaedam Ironia, pro fundamento posita est. Nam Ironia, quâ Humor comicus libenter utitur, nonnisi adversatione apparenti, inter cogitationes, atque expressionem, comicum in animo progignit effectum.

SECTIO. II. Crimatologia aesthetica.

§. 49. Character Iudicii aesthetici universè.

Iudicium de Pulchro, (§. 6—23.) deque sublimi (§. 24—30.), et de omnibus iis, quae his affinia fuerint (§. 31—48.), non quidem a conceptu, determinataque per hunc, Obiecti cognitione, verum a Tactu Voluptatis ac Taedii, h. e. ab inpressione illa pendet, quam Obiectum in animo, oportunitate perceptionis, statusque Subiecti, eius vi determinati efficit. Attamen, vel in Iudicio illo, ut altior quaedam animi actuositas locum habeat, necesse est, cum illud, charácteribus Universalitatis et Necessitatis iure suo polleat, quantumvis hoc, demonstratione logica evincere non liceat. Quamobrem, neque etiam a priori determinari potest, quomodo Obiectum quodpiam, intuitu Formae suae, aut Magnitudinis comparatum esse debeat, ut id, velut Pulchrum, ac Sublime, queat a nobis diiudicari.

Obs. 1. Complacentia Pulchri, et Sublimis, Iudicio, quod de eo fertur, antecedit, hocque determinat: sed non vice versa. Nam, ut Obiectum quodpiam, propter Formam, aut Magnitudinem prius placeat, necesse est, quam illud nobis Pulchrum, atque Sublime esse videatur; ut si illud displiceat: neque omnino Iudicium unquam, esse id Pulchrum, aut Sublime, ferri possit. Quantumvis ergo Obiecti cuiuspiam Pulchritudo, aut Sublimitas, nimium quantum ab aliis laudetur: si tamen illud, nobis quoque simul non placeat, minime in Iudicium eorundem consentiemus, nisi forte, aliena Iudicia, verbo tenus, et coeca imitatione, ita reddimus, ut Iudicia de Vero et Bono, sola aliorum auctoritate nixi, edimus. Quare, a posteriori duntaxat determinari potest, Obiectum quodpiam, si quidem illud propter Formam, Magnitudinemque placeat, vires Animi, in convenientem iis, vividamque disponere actuositatem, idque, ob eam ipsam caussam, pro Pulchro et Sublimi esse habendum (§. 22 et 29.); non autem a priori licet definire, quomodo Forma, Magnitudoque eius ita comparata esse debeat, ut Animum, tali ratione afficiat, quemadmodum affectus is esse debet, si id pro Pulchro et Sublimi diiudicandum videatur. Quodsi id genus determinatio, a priori possibilis esset: tum vero, ut aesthetica quaedam complacentia, in territorio Artis produci posset, nullis sane peculiaribus Naturae dotibus opus esset, et aliis, quam ut, et Docens conceptus suos perspicue proponeret, et tiro quam diligentissime proposita perciperet ac condisceret: qua tamen via, nullum adhuc Artificem fuisse effictum, ac elaboratum, nemo potest inficiari. Quare, dum quasi coactos nos ipsi sentimus, ut in Obiecto quopiam, quod Pulchrum et Sublime esse iudicamus, complacentiam reperiamus; cumque complacentiam isthanc, in quolibet alio, qui Obiectum percipit, sumimus, ac sentiri eam ab eo postulamus: minime eam illi, determinatione proprietatis Obiecti, aesthetica complacentia affecti, quae Iudicium eius antevertat, extorquere possumus; proinde, neque etiam eum, qui in suis Iudiciis, de aesthetico, certarum Naturae rerum, aut Artefactorum charactere, et valore, a nostro discreparet Iudicio, eo quod res hae ei, haud quaquam placerent, aut refutare, aut falsitatis Assertionis suae convincere valeremus.

Obs. 2. Quod autem, nihilominus, Diiudicatio Pulchri et Sublimis, altior quaedam (non mere sensibilis) Animi functio sit, ex eo videtur concludendum, quod complacentia Pulchri, Iudiciumque ea nixum, in conscientia nostra, cum charactere Universalitatis et Necessitatis annuntietur. A quolibet scil. postulamus, ut is quoque, quod nos pro Pulchro et Sublimi habemus, pro tali recognoscat; in primis autem, tantam potestatem Pulchro adscribimus, qua id, omnium omnino animos sibi devinctos ac subiectos teneat. Quare, de quoque hominum necessario sumimus, habere eum sensum, sive Tactum aesthetice complacentis, ut, si in Subiectis singularibus, defectum Tactus aesthetici observaremus, nae eum, inter maxima vitia referremus, exsistimantes, Subiecta illa, eo destitui, quod ad Humanitatem essentialiter videatur pertinere. Atque, hac ipsa re discernitur complacentia Pulchri et Sublimis, a complacentia Iucundi et Utilis, quae particularis, et contingens est, si quidem ea, a determinationibus, et relationibus, Subiectorum singularium, mutabilibus, pendeat, ut iis hoc aut illud, Iucundum et Utile esse videatur (§. 7. Obs. 1 et 2). Quamobrem, non modo non postulamus, ut unus quisque nobiscum, hac in re, idem sentiat, verum etiam cupide saepissime experimur, si alii non idem nobiscum, pro Iucundo et Utili habeant. Ex alia autem parte, complacentia illa Pulchri et Sublimis, in demonstrabilis est. Nam demonstratio (Log. §. 127. Obs. 1.), nonnisi ibi possibilis est, ubi quidpiam, ex conceptibus, aut decretis, secundum Regulas logicas potest deduci, quod in Tactu voluptatis, perceptione Obiecti cuiuspiam in nobis excitato, locum habere nequit. Quemadmodum autem complacentia illa indemonstrabilis est: ita neque etiam ea ulli potest extorqueri: unde complacentia isthaec, de uno quoque hominum praesupponi potest, neque tamen cum quoquam ob id contendendum, cum ea sit complacentia libera. Consequenter, Iudicium quoque aestheticum, quandoquidem id a complacentia illa pendet, non minus indemonstrabile, et inrefragabile est; ut in tantum, etiam de Gustu spirituali (§. 1. Obs. 2.) dicere liceat: de Gustu non esse disputandum. Universalitas itaque, et Necessitas Iudicii aesthetici, est mere subiectiva (non rationibus cognoscendi obiectivis, sed subiectivis Tactus determinationibus nixa), et Communicatio voluptatis Gustus, seu complacentiae Pulchri et Sublimis, duntaxat expositione reali, et monstratione possibilis est; cui forte adhuc, expositio verbalis potest accedere, sed quae, non alium finem habet, quam ut quempiam attentiorem in Obiecto, ad id reddamus, quod in eo Tactum possit ciere, complacentiamque aestheticam excitare. Atque per hoc ipsum vicissim Pulchrum et Sublime, a Vero et Bono (§. 8. Obs. 1 et 2.) discernitur. Nam, Verum, in quantum id, non immediate certum est, ex alio aliquo Rationis principio debet demonstrari, etiamsi ponas demonstrationem talem fore, quae non a quolibet queat perspici; sive ideo, quod ea altiorem forte cognitionem praesupponat; sive ideo, quod, fortiorem in cogitando exercitationem requirat, quam qua omnes promiscue pollent. Pariter, hanc aut illam actionem esse bonam, comparatione eiusdem, cum moralibus Rationis principiis evinci potest; etiamsi ponas, recognitionem horum principiorum, aut applicationem eorundem, ad datum quempiam casum, cum certis difficultatibus esse coniunctam.

§. 50. Differentia Iudicii Aesthetici, et Logici.

Iudicium de Pulchro et Sublimi, deque qualibet alia re latum, quae cum utrisque his cognata esse videbitur, aestheticum seu Iudicium Gustus appellatur: ut a Iudicio logico, quod cognitionem Obiectorum attingit, distinguatur, atque Animo, in quantum is aesthetice complacens illud diiudicare valet, Iudicium aestheticum, seu, Iudicium Gustus competere censendum est.

Obs. 1. In Iudicio logico (cum v. c. dicimus: Statuam quandam esse marmoream, septemque pedes altam), ad Qualitatem Obiecti reflectimus, cum scil. certum quempiam Conceptum, velut criterium, ad Obiectum referimus, illudque per hoc, velut Obiectum determinatum cognoscimus, h. e. illud, in certos limites claudimus, eatenusque idem, a reliquis obiectis discernimus (Met. §. 33.). Iudicium itaque isthoc, a Regulis Intellectus pendet, secundum quas, Conceptus generantur, Obiectaque iis cognoscuntur. Contra in Iudicio aesthetico, seu, Gustum spectante (cum v. c. dicimus: Statuam hanc esse pulchram), proprie duntaxat ad statum Subiecti reflectimus, cum scil. in Obiecto, certam quandam complacentiam detegimus, idque, ob hanc ipsam impressionem, h. e. propter relationem eius ad Tactum voluptatis et taedii, Pulchrum, aut Sublime esse declaramus. Atque, hic ille Tactus, a sensitiva perceptione dependens, fundamentum Iudicii aesthetici conficit, haecque ratio est, cur more usitato, nonnisi de sensu Pulchri, et Sublimis loquamur. Et quia complacentia Pulchri et Sublimis, diiudicatioque ei innixa, altiorem quampiam Animi humani actuositatem praesupponit (§. 49. cum Obs. 2.): profecto Facultas diiudicandi aesthetica, longe amplius quidpiam esse debet, quam merus sensus, hinc soli homini propria; si quidem Animal irrationale, nonnisi sensu lucundi adficitur, sensu vero Pulchri, tantoque minus sensu Sublimis, destituitur.

Obs. 2. Quaeret fortasse quispiam, quid caussae sit, quod Iudicium de Sublimi, Iudicium Gustus in §. dixerimus, proinde Gustum, ut Facultatem, tam Sublimis, quam etiam Pulchri diiudicandi designaverimus; cum Kant, in Critica Facultatis Iudicandi, pag. 112, intuitu Pulchri vocem Gustus, intuitu autem Sublimis, vocem Tactus usurpet. Enimvero, principio statim observandum est, pari iure nos, de quopiam dicere, eum habere sensum, aut Tactum Pulchri, quo perinde dicimus, eundem sensu, aut Tactu Sublimis animari, nihilque aliud in utroque casu innui, quam Receptivitatem complacentiae Pulchri et Sublimis, Facultatisque ea nixae, utrumque illud diiudicandi, proinde, Vim ipsam iudicandi aestheticam. Deinde autem commemorandum videtur, expressionem Tactus, originarie, organicum tangendi sensum denotare, quemadmodum etiam expressio Gustus, alium sensum, perinde organicum arguit. Ambae itaque hae expressiones, Tropicam significationem assumunt, cum ad Fontem cuiusdam, mere spiritualis actuositatis, qualis in diiudicatione Pulchri, et Sublimis inest, designandum adhibentur. Quia scil. Species pro Genere ponitur, atque sub sensu Pulchri, et Sublimis, minime organicum sentiendi instrumentum, verum spiritualis quaedam animi Facultas intelligitur: perinde fuerit, num eandem Facultatem, Sensum, an Tactum, Gustumque dixeris.

Nobis, vox Gustus, retinenda videtur, eo quod Aesthetica, quae, et Sublime, et Pulchrum considerat, Doctrina Gustus appelletur, et ii ipsi, qui nonnisi Criticam Gustus pertractant, et Pulchrum et Sublime simul spectant, utroque nempe in Obiectum complacentiae aestheticae, constituto (§. 1. Obs. 2.).

§. 51. Gustus, respectu transscendentali, et empirico, sumtus.

Gustus, partim transcendentali, partim empirico respectu, potest considerari. Gustus scil. transscendentalis, originarie, in Facultate Pulchrum et Sublime diiudicandi inest, seu est ille, in originaria virium animi Relatione radicata Receptivitas complacentiae Pulchri et Sublimis, Facultasque Obiecta cognitionis complacentiae, congruenter huic diiudicandi. Contra Gustus empiricus, est ea Pulchrum et Sublime diiudicandi Facultas, quae in variis Subiectis, intuitu Obiectorum datorum, varia ratione videtur esse actuosa. Videlicet, cum actuositatas isthaec, a conditionibus illis empiricis dependet, quae in variis Subiectis, in infinitum variae esse possunt: intelligitur Receptivitatem complacentiae Pulchri et Sublimis, tali ratione, iam augeri, iam deminui posse. Quare Gustus, Culturâ opus habet.

Obs. Expressio isthaec: Homo sine Gustu, aut etiam alia haec: Homo Gustu destitutus, manifeste duplicem admittit significationem, atque pro eo ac, aut hanc, aut illam in animo habemus, Exprobrationem quoque in ea latentem, duriorem, aut leniorem esse oportet. Principio scil. dicta Enuntiatio significare potest: Hominem, complacentiae aestheticae recipiendae, originarie non esse capacem. Tum vero assereremus, Individuum quodpiam humanum, essentiali Humanitatis destinatione, prorsus destitui, quod, non modo probari nequit, sed ne sumi quidem potest. Exprobratio itaque, quae Enuntiatione priori continetur, Individuum illud, de quo diceretur, ad meram Animalitatem detruderet, cum ut supra (§ 50. Obs. 1) observatum est, brutis, omnem penitus Pulchri et Sublimis sensum, Natura deesse voluit. Interim, minime inficiandum videtur, esse Homines, in quibus Sensus hic, adeo debilis, aut etiam rudis est, ut de iis dicere liceat: eos nullum prorsus habere Gustum. Subiecta quoque reperire est, quae ex quibusdam Pulchri generibus, nullam capiunt voluptatem v. c. ex Musica pulchra. Etiamsi itaque respectu transcendentali (quoad originaria Naturae initia), omnes omnino homines Gustu polleant: neque tamen eum respectu empirico (quoad manifestationem externam) singuli quoque, peraeque habere censendi sunt: unde homo Gustu destitutus, in secunda hac significatione, hominem designaret, qui in praesenti, qua pollet, individuali complacentiae Pulchri et Sublimis Qualitate, aut ex toto, aut ex parte, Gustus foret incapax. Proportio scil. Virium animi, quae ad sensum Pulchri atque Sublimis, necessariae sunt; aut Qualitas organorum, quae ad actuositatem concurrunt, ita est fortuito in eo modificata: ut Pulchrum et Sublime, certaeque eiusdem species, nullam, in animum eius, impressionem faciant, aut saltem illa, minime ab eo ita diiudicantur, quemadmodum hoc, sub aliis conditionibus empiricis

fuisset eventurum, quodque exemplo puerorum, stupidorum, et delirantium, aliarumque Personarum, aut non, aut male excultarum, liquido constat. Quare Gustus, ut quodlibet aliud, quod ad originaria hominis initia pertinet, evolutionis, et perpolitionis beneficio opus habet, ut Sensus aesthetice complacentis, sola Musarum, et Gratiarum familiaritate videatur posse reserari. Quae caussa est, cur plures Gustus species, cum in se, et per se, tum etiam intuitu Nationum variarum distinguantur, quod ipsum, non modo de Cultura Gustus aesthetica, sed etiam de illa, quam itellectualem, et moralem vocamus, peraeque valere putandum est. Quare, cum minime mirandum sit, Gustum, aut quandoque adeo mutabilem, aut etiam deceptorium esse: profecto discrimen Gustus veri, seu, authentici, a falso seu spurio, quam diligentissime videtur esse constituendum.

§. 52. Regulae Gustus. — Critica Gustus.

Gustus, ut Sensus quidam communis considerari potest, cum is (sensu transcendentali) velut Initium quidem Naturae, in omnibus omnino hominibus locum habere debeat (§. 51.): attamen, in sua efficientia externa, (proinde respectu empirico) a Tactu voluptatis et taedii dependet (§. 49.). Quare nulla prorsus universe, seu omnimode valens obiectiva Gustus Regula, h. e. nullum Doctrinae Gustus Principium dari potest, vi cuius universale Pulchri et Sublimis criterium, a priori foret determinatum: attamen, Critica quaedam Obiectorum Gustus, h. e. Diiudicatio Obiectorum Pulchrorum et Sublimium, sub ductu Regularum empiricarum instituenda, dari potest.

Obs. Gustus, pro sensu Pulchri et Sublimis considerat'us, minime gentium Sensus vulgaris esse putandus est, cum is, certam iam virium animi culturam, intuitu datorum Obiectorum actuosam praesupponit: verum, est ille, Sensus quidam communis, cum hae animi vires, omnibus omnino hominibus competant, atque originarie, in tali relatione mutua positae sunt, ut earum beneficio homo, complacentiae Pulchri et Sublimis reddatur capax. Enimvero, cum primo quoque, nonnisi hac complacentiâ Conceptus et Diiudicatio Pulchri atque Sublimis determinatur; proinde illa rerum Forma Magnitudoque, quibus complacentia aesthetica progignitur, haud quaquam a priori determinari, sed tantum a posteriori potest cognosci: intelligitur, inutilem prorsus esse conatum, Regulam Gustus omnimode valentem, obiectivamque velle invenire, secundum quam, et Pulchrum et Sublime, independenter a Tactu, cognoscere, quid? quod, producere quoque liceat. Quamobrem Aesthetica, non ideo Doctrina Gustus appellatur, quasi ea, id genus Principium constitueret, ac proponeret, cuius ope, Scientia Pulchri et Sublimis, posset delineari, quo sic, aptitudinem quisque consequeretur, id, quod aesthetice complacens fuerit, recte diiudicandi, perfecteque exhibendi: verum ideo, quod illa, transscendentales tantum complacentiae Pulchri et Sublimis conditiones, (originarias animi vires, quae in ea sunt actuosae, mutuaque illa inter eas relatio, vi cuius eae, aesthetice complacente, in actuositatem transponuntur), inquirit ac detegit (§. 1. Obs. 2.), nobisque per hoc ipsum, de propria

Gustus essentia institutionem suppeditat: quo in negotio simul, defectus omnimode valentis, obiectivaeque Gustus Regulae, dudum non ignotus, monstrato eius fonte, pro necessario recognoscitur, inutilique cuilibet conatui, hoc respectu feliciter obstruitur.

Quid ergo? nullae sunt itaque Regulae, — posset quaeri — secundum quas, data Gustus Obiecta, veluti, Poëmata, Tabulae pictae, cantilenae, statuae, aedificiaque etc. censorio modo examinari, aut intuitu pretii eorundem aesthetici, diiudicari possent? — Nihilne est, quo Gustum flectere, atque ductare liceat, ad cuius normam deinde, is ipse examinari, atque ab aberrationibus saltem cohiberi valeat? — Sane, Regulae huius generis, nobis iam inpromtu sunt. Ars enim humana, beneficio suorum Sacerdotum, quibus ea, sanctissima sua mysteria concredidit, magnam Obiectorum copiam proposuit ac reliquit, a quibus, velut Exemplaribus Gustus, empirica aesthetice complacentis criteria, atque Regulas liceat mutuari. Quid autem sit, cui valor Regularum illarum proprie innitatur: nunc statim exponemus.

§. 53. Exemplar Gustus. — Classicitas.

Quodsi complacentia aesthetica Obiecti cuiuspiam universaliter communicabilis est, proinde, omnes quoque homines (aut saltem plurimi), populique culti, in diiudicando Obiecto quopiam, qua tali, quod Tactum, seu voluptatem Gustus excitat, consentiant: iure videtur sumendum esse, Obiectum huius generis, re ipsa, originariis complacentiae aestheticae conditionibus consentaneum esse, adeoque illud, summo pretio aesthetico pollere. Hinc est, quod talia Obiecta, in quibus universale hoc, quamvis empiricum duntaxat, ob eamque ipsam causam, infallibile (falli nescium) Pulchri et Sublimis criterium invenitur, pro exemplaribus, canonicis, et classicis habeantur, cum ea, tanquam Gustus Exemplaria, in Normam, et producendorum, et diiudicandorum aliorum huius generis Obiectorum, inserviant, talique consilio, in serie Obiectorum Gustus, Gradum primi ordinis merito sibi vindicent.

Obs. Consensus multorum, aut etiam omnium, quoad Iudicium quodpiam, in se, et per se consideratus nullum validum veritatis eiusdem argumentum esse putandum est: unde is, simulac de mera Obiecti cognitione sermo fuerit, in vicem argumenti sumtus, merito reiicitur (Log. §. 133. Obs. 1. et Met. §. 185.). Sed in re Gustus, Concentus ille, omnino magni momenti esse videtur, eo quod hic, proprie, non de qualitate Obiecti respectu cognitionis sermo est, sed de impressione illa, quam id in animo, intuitu Tactus voluptatis et taedii facit. Quo itaque plura Subiecta, hoc respectu, nostro cum Tactu consentiunt, quove magis consensus hi, cultiores politioresque fuerint: eo validiores adesse debent rationes sumendi, Tactum nostrum universaliter humanum esse, iudiciumque nostrum, eo nixum, omnimode valens videri. Nam consensus ille, in universali Complacentiae obiecti communicabilitate vertitur: licet ea, non solis vocibus, quae quâ tales simpliciter Conceptus exprimunt (Log. §. 145. Obs.), verum unice, communicatione ipsius Obiecti (communi eiusdem perceptione) communicabilis

est. Quare, si universalis illa, complacentiae Pulchri et Sublimis communicabilitas, summusque, qui fieri potest, et inde exsistit, exultorum hominum, populorumque, in Diiudicatione Obiecti cuiuspiam aesthetica, Consensus, ut universale, empiricum, aesthetice complacentis criterium consideratur: intelligitur 1) Universalitatem eius, nonnisi comparativam esse, eo quod, Inductione nitatur, quae tamen intuitu Empirici, nunquam plena esse potest (Log. §. 167. Obs.). Neque etiam defuerunt unquam viri, idque inter illos, quos rei peritos dixeris, qui voluptati sibi duxerunt id, quod omnes alii pro Pulchro, et Sublimi habendum putarunt, pro mediocri ipsi, et levi, aut etiam miserabili haberent, eo fortasse duntaxat Consilio, ut sibi, suisque Productis, maius hac ratione pretium conciliarent. 2) Neque etiam criterium illud infallibile esse videtur, cum Gustus ipse mutabilis, ac fallax sit, proinde Gustus falsus, ac insincerus, longo tempore dominari queat (§. 51. Obs.). Nihilominus, nullum aliud aesthetice complacentis criterium esse potest (§. 52.). Quamobrem, id genus Obiectis adhaerescendum putamus, quorum pretium aestheticum, universaliter propemodum iam agnitum est, quaeve eatenus, intuitu aesthetico, canonicam consecuta sunt auctoritatem. Ea itaque, ob eam ipsam caussam, non solum ut Monumenta, sed etiam ut Exempla, vel potius Exemplaria boni Gustus, a sequentibus temporibus considerantur, atque conservantur, cum ea his, in iudiciis eorundem aestheticis, Productisque, in vicem Regulae, aut Canonis inserviunt, v. c. Polycleti Doryphorus, Myronis Vacca, Venus Medicea, Apollo Vaticanus, Ilias Homerica, et Aeneis, Odae Pindari et Horatii, Opera Sophoclis, et Aristophanis dramatica, Orationes Demosthenis et Ciceronis, Tabulae pictae Raphaëlis etc.

Denique hinc exsistit Conceptus quoque Classicitatis. Nam Classicum, in sensu vocis antiquissimo, a Romanis desumto (apud quos, ii tantum Classici dicebantur, qui nonnisi primae Classis cives habebantur), duntaxat id appellatur, quod in suo genere, primi ordinis dignitatem iure sibi vindicat, proinde, in significatione aesthetica, quod intuitu Gustus, tanquam Exemplar imitandum, omnibus aliis, merito anteponendum videtur. Quare, tam Artifex ipse, quam Productum quoque eiusdem, nomine Classici insignientur, si ambo huic conditioni responderint. Interim, non diffitendum, titulum Classici, sensu, iam latiori, iam angustiori sumtum esse. Nam, neque omnes prisci Graeci, Romanique Scriptores Classici vocari merentur, cum Proletarii quoque inter illos sint non pauci; neque etiam ii soli, Classica videntur dignitate cohonestandi, cum nihil dubitandum sit, tam inter Orientales, quam inter Occidentales recentiores, esse Auctores Classicos, atque, neque tantum inter Prosaicos, et Poëtas, sed etiam inter antiquos et novos Artifices, omnis generis. Proinde Classicitas artistica (in genere Artium) nihil aliud est, quam Exemplaritas, et Canonicitas, quam vocant. Quod autem Expressiones hae, palmario, de Productis artefactis usurpantur, inde est, quod Ars sit, quae ad Ideale, seu, ad summam perfectionem in exhibendo aesthetice complacenti, grassatur, consequenter, Productum Artisticum est, quod necessario exemplare, canonicum, seu classicum esse debeat, si modo id, genuinum Artis opus est. Contra Productum Naturae, minime ad Ideale extollendum esse videtur, ut perfectum in suo genere esse queat: et, si tamen illud ad

Ideale assurgit, (v. c. homo pulcher) id nonnisi fortuito accidisse putandum est. Quamobrem id, primo quoque cum Ideali Pulchritudinis, ut hoc vi Artificis imaginativa, et exhibitiva concinnatur (§. 23.), tanquam perfecto cum Gustus Exemplari comparandum est, quo sic Exemplare, seu Classicum esse mereatur. Proinde Producta Naturae, nonnisi analogice h. e. ob similitudinem cum Productis Artis classicis, classica nominari posse palam est.

§. 54. Resultatum universae Doctrinae Gustus purae.

Ex quibus omnibus, universae Doctrinae Gustus purae Resultatum, sequentibus comprehendimus, ac exhibemus: In quolibet Obiecto aesthetice complacenti, certa quaedam Finalitas Animo nostro cognoscenda proponitur (§. 14. et 27. cum Obs. utr.). Sed haec Finalitatis, non obiective, sed tantum mere subiective, et neque etiam secundum Conceptus, sed solum secundum Tactus diiudicatur (§. 14. et 27. cum Met. §. 67. Obs. 2.). Atque, ob hoc ipsum, Facultas huius Diiudicationis, Gustus, seu, aesthetica iudicandi vis (§. 50. cum Obs.) appellatur, ut a teleologica iudicandi vi, quae in Metaphysica iam (§. 144. seqq.) ponderata est, distinguatur. Principium ergo Finalitatis universe, secundum quod Obiecta cognitionis diiudicamus, est quidem a priori h. e. originaria virium animi destinatione, earumque, quae inde pendet, relatione mutua, datum; quandoquidem autem, cum nos secundum illud, esse quidpiam Pulchrum, aut Sublime, iudicamus, non proprietatem Obiecti, subsumtione eiusdem sub Conceptum facta determinamus, sed tantum, et sensu proprio, ad impresssionem illam, quam Obiectum perceptum in Subiecto facit, proinde ad statum Animi in perceptione obvium reflectimus: intelligitur, Facultatem iudicandi, in hac Functione, nonnisi ut contemplativam, et secundum Principium Finalitatis, reflectentem apparere facultatem.

PARS II. Aesthetica Applicata.

§. 55. Transitio.

Mens humana, non solum Ideas aestheticas progignere, dataque Obiecta secundum eas diiudicare valet: verum etiam Ideas illas per se, reque ipsa efficere, h. e. datam quampiam Materiam, iis congruenter elaborare, atque *eo* aesthetice complacens, in certis Productis exhibere potest. Id Arte perficitur, quae, in quantum per Principia aestheticae Iudicandi Facultatis, seu Regulis Gustus regitur, ac ducitur, Ars pulchra appellatur.

Obs. Ars ipsa, proprie, pulchra non est: verum Producta tantum eius possunt esse pulchra. Praedicatum Pulchritudinis autem, ad Artem ipsam, in quantum ea, Ars Pulchri est, imo, ad ipsum quoque Artificem transfertur: unde foedissimus Artifex, pulcher tamen Artifex esse potest. Cum autem Ars pulchra, non tantum Pulchrum quidpiam, sed etiam aesthetice complacens universe producit, sive id Pulchrum, aut Sublime, sive certo respectu, utrique affine fuerit: intelligitur,

Expressionem hanc: Ars pulchra, aliquo modo ineptam esse, eum in hac denominatione, vox pulchra, sensu latissimo, pro aesthetice complacenti sumi debeat. Enim vero, quia illa, usu vocabuli recepto, constituta iam est: a nobis quoque videtur esse retinenda. In vicem Artis pulchrae, Artificumque pulchrorum, dicitur quoque simpliciter, seu per eminentiam: Ars et Artifex, cum Ars, quâ pulchra, tanquam in pulcherrima luce apparet, Artificique pulchro, hoc nomine, certam quandam praerogativam, prae caeteris Artificibus impertitur.

§. 56. Aesthetica Applicata, ut Philosophia Artis pulchrae, seu, ut Calleotechnica considerata.

Cum Ars pulchra, Applicatione Idearum aestheticarum, quae originario virium animi instituto determinantur, ad datam empirice Materiam exsistit, ut hac ratione Ideae illae, re quoque ipsa ad effectum perducantur (§. 55.): procul dubio, investigationes philosophicae, Artem pulchram spectantes, ad Aestheticam Applicatam pertinent, neque haec aliud quidquam est, quam Philosophia Artis (pulchrae), aut Theoria Artis philosophica, et hoc respectu illa, Calleotechnica quoque appellari potest.

Obs. Qui in Aesthetica initium commentandi, ab investigationibus de Arte, Artibusque pulchris, aut etiam de peculiari quadam Arte pulchra v. c. Poësi, auspicantur: nae ii, re ipsa Hysteron-Proteron committunt, natum, ex falsa sumtione, Aestheticam, nihil aliud esse, quam Theoriam Artium pulchrarum, seu Philosophiam Artis (§. 1. Obs. 3.). Enimvero, Conceptus hic, ad solam Aestheticam applicatam quadrat. Quodsi omnes Artes pulchrae, id in primis spectant, ut aesthetice complacens exhibeant, proinde Ideas aestheticas, propria menti humanae efficacia, re ipsa, ad exitum perducant: Intelligitur, in Aesthetica, ante omnia, ipsas Ideas aestheticas, Iudiciaque Gustus, quae ad illas referuntur, secundum originarium eorum characterem perpendenda esse prius, quam Exhibitio aesthetice complacentis, ministerio Artis fienda, in commemorationem venire possit, h. e. Ideas aestheticas, plena quadam, quae fieri possit Analysi, et Deductione, ex originariis mentis humanae initiis, ad perspicuam conscientiam esse evehendas.

§. 57. Distributio Aestheticae applicatae.

Aesthetica applicata, velut Calleotechnica (§. 56.), primo quoque loco, de Arte pulchra universe, et postmodum, de eadem peculiariter, h. e. secundum varias eiusdem partes, seu de Artibus pulchris agit. Proinde ea vicissim in duas Sectiones dispescitur, quarum prior, Calleotechnica universalis, posterior, Calleotechnica particularis potest appellari. Theoria vero cuiuslibet Artis pulchrae singillatim sumtae (quae relate ad Aestheticam applicatam, Calleotechnica individualis, relate autem ad universam Aestheticam, peculiaris Aesthetica potest nominari), a territorio Aestheticae philosophicae secludenda videtur, cum haec, universalem duntaxat Artium pulchrarum characterem perpendat (§. 3.).

SECTIO I. Calleotechnica Universalis.

§. 58. Ars. — Scientia. — Natura.

Ars universe (τεχνη), est aptitudo Entis rationalis, modo fini convenienti, secundum regulas libere adumbratas agendi. Atque, hoc ipsum est, quo Ars, partim a Scientia (επιστημη) discernitur, vi cuius Ens rationale, non nisi quidpiam cognoscit; partim autem a Natura (φυσις) distinguitur, quippe quae, finali quadam ratione, secundum leges necessarias, actuosa est. Sed Ars, ab utraque peraeque dependet, easque, ut conditiones possibilitatis suae, praesupponit.

§. 59. Artes liberales et illiberales.

Si in Arte modus, quo ea mentem humanam occupat, adque actuositatem determinat, respicitur: intelligitur eam, in actu exercitii, aut ut lusum, aut ut laborem apparere (§. 21. Obs. 2.). In casu priori liberalis, in posteriori autem Ars appellatur illiberalis. Ars liberalis, quae ad exhibendum aesthetice complacens, proinde ad voluptatem Gustus incitandam directa est: Ars aesthetica seu pulchra nuncupatur (§. 55.).

§. 60. Ars pulchra obiective, et subiective considerata. Lex Pulchritudinis, velut Principium Calleotechnicae.

Cum Artifex aestheticus, seu pulcher, id, quod animo eius obversatur, sive id externe, sive tantum interne perceptibile fuerit, re quapiam externa (veluti tonis, coloribus etc.), ea ratione exhibere debeat, ut exhibitio isthaec, per se ipsa, seu, ab omni heterogeneo Invitamento independenter, Tactum voluptatis in nobis excitet: tum vero Ars aesthetica, seu, pulchra, ita quoque declarari potest, et obiective quidem, tanquam modus exhibitionis Interni in homine, per se placens, interventu rei cuiuspiam externae, declaratus; subiective vero, tanquam habilitas in hoc exhibitionis genere. Quare, quod Arti pulchrae, quâ tali producendum videtur: sane id, aut immediate aesthetice complacens esse, aut saltem mediate, per exhibitionem, eius generis obiectum fieri debet (§. 59.). Atque haec illa Enunciatio est, quâ Lex Pulchritudinis, seu, supremum Calleotechnicae Principium continetur.

§. 61. Facultas exhibendi. — Virtuositas.

Ars pulchra proinde, partim certam exhibendi Facultatem, quae a vi imaginandi, seu Phantasia dependet, partim certam Artificis exercitationem praesupponit, qua deinde fit, ut Facultas in sua efficientia, ad promtitudinem agendi evehatur, et Virtuositas in eo progignatur.

§. 62. Ingenium (Genie).

Ars pulchra, Ars quoque Ingenii potest appellari. Est scil. Ingenium universe peculiaris virium animi modificatio, quatenus

eae, in sua actuositate, per se ipsae, atque modo eis proprio sunt productivae. Cuius generis Modificatio praecipue intuitu illarum animi virium necessaria esse videtur, quae ad efficiendas, exercendasque Artes pulchras requiruntur, quo in casu Ingenium, aut Ingenium aestheticum, aut simpliciter Ingenium artisticum nuncupatur; cum scil. per hoc, Natura ipsa Artifici pulchro, Regulas aestheticas, Arti suae inservituras, quasi in manus porrigit. Quare Ingenium in suis Productionibus, originarium est, quae Originalitas Exemplaritatem (Canonicitatem, seu Classicitatem) tum demum consequetur, si ea, in suis Productionibus cum Gustu fuerit coniuncta (§. 50—53.).

§. 63. Inspiratio, seu Enthusiasmus.

Si Producta Artis pulchrae, altiorem quendam aestheticae perfectionis gradum assequi debeant: necesse est, ut Ingenium aestheticum (§. 62), dum in producendo occupatum est, in talem animi conditionem transponatur, in qua, magna Repraesentationum copia, in motum concitata, Animum ad motus maxime vividos incitet, eumque, quasi ad altiorem Nisum propellat, quin tamen is, iustâ, quae ad regularem Productionem necessaria est, considerantiâ destituatur. Status hic altioris Animi commotionis, Enthusiasmus, seu, Inspiratio appellatur.

§. 64. Expressio. Stylus. Modus agendi.

Is, quem in Artefacto pulchro percipimus, Materiam aestheticam tractandi modus, dum Internum, per Externum exhibetur Expressio vocatur; et quae certae cuipiam Arti pulchrae, aut certo Artium pulchrarum generi, vel certo cuidam evolutionis gradui convenit, Expressionis proprietas, Stylus appellatur. Individualitas Artificis, quae Stylo se declarat, atque pronuntiat, Modus agendi eiusdem dicitur, qui si vehementer eminet, atque, adeo videtur dominari, ut Artificem ipsum libertate, quae ad varia opera effingenda necessaria est, in exhibitione spoliet, vitiosus esse putandus est, Artificemque servitutis arguit.

§. 65. Character aestheticus, — essentiales, et contingentes, Artefacti pulchri, Proprietates.

Artefactum pulchrum, certum quempiam characterem habere debet, qui, partim inventione, partim perfectione Materiae aestheticae, ex qua illud existit, determinatur. Utroque autem respectu, Legi Pulchritudinis (§. 60.) idem, subiectum esse oportet. Quare, proprietates illae essentiales, quae ei competunt, quaeve, ut Regulae, et Postulata Artis Pulchrae declarari possunt, sunt sequentes, puta: Unitas et Varietas, — Plenitudo et Praecisio, — Proportio et Convenientia, — Perspicuitas, et indefessa errores corrigendi, opusque fingendi, ac refingendi sedulitas.

§. 66. Simplicitas. Veritas. Moralitas.

Naturalis Simplicitas, Veritas, et Moralitas, nonnisi sub certis circumscriptionibus, ac conditionibus possunt pro necessariis

pulchrorum Artefactorum proprietatibus reputari; si quidem Ars, in suis conatibus, qui ei proprii sunt, haud quaquam est tam stricte Legibus Naturae, Veritatis, et Moralitatis alligata, ut sine severa earundem observatione Producta eius, nullam Aestheticam possint progignere complacentiam.

SECTIO II. Calleotechnica Particularis.

§. 67. Artes Pulchrae. Systema Artium pulchrarum.

Territorium Artium pulchrarum, pro ratione diversitatis instrumentorum, et quae inde pendent, specierum Exhibitionis, in minores Provincias, — Artes pulchras vocant, — distribuendum videtur. Quantumvis autem Mens humana, nonnisi paulatim, idque, partim Casu, partim consilio sollicitata, ad detegenda, atque elaboranda territoria isthaec Artium pulchrarum deducta est, universaque instrumentorum exhibendi varietas, intra Sphaeram Experientiae humanae posita iacet: attamen ut Artes pulchrae, ipsa iam originaria agendi ratione Mentis humanae, a qua Experientia ipsa secundum Legalitatem suam dependet (Met. §. 83.), ad certas exhibendi species, a priori directa et restricta sit necesse est. Quare, hae quoque exhibendi species plene h. e. omnes ac singulae, ita reperiendae, et classificandae sunt, ut ex iis descriptus ex integro Artium Circulus, seu, Systema Artium pulchrarum emergat.

§. 68. Tria Artium pulchrarum Regna.

Cum omnis Artium pulchrarum Tendentia, in eo posita est, ut Internum, per externa proponatur, ac exhibeatur (§. 60.); inter Obiecta autem Sensus externi, quae, ut instrumenta exhibendi possunt adhiberi, ut nos ad Classes rerum, quae auditioni, et visioni sunt obnoxiae, adstringamur necesse est (§. 16.); et cum quaecunque, quae auribus, atque oculis percipimus, aut toni significantiores, aut effigies figuratae, aut motus momentosi fuerint: Artes quoque pulchras, in tres Classes primarias, ut pote in Tonicas, Plasticas et Mimicas distribuendas esse putamus, quae Classes, quam commodissime, ut tria Artium Pulchrarum Regna proponentur.

§. 69. Duo Artium pulchrarum Ordines.

Quodlibet trium horum Regnorum Artium, duos Artium pulchrarum Ordines in se continet, quorum discrimen in eo positum est, quod Ars, aut voluptatem Gustus unice in suum sibi finem ponere, et proinde in exhibitione aesthetice complacentis prorsus libera esse; aut Obiecta in alios fines destinata, ad promovendam Gustus voluptatem, secundum Ideas aestheticas elaborare, seque ipsa in suis exhibitionibus fini illi extra Sphaeram Artis pulchrae proposito, sponte sua subordinare potest. Atque hinc exsistunt duo, absolute scil. seu in se, et per se pulchrarum, et relative pulchrarum Artium Ordines. Illae, purae quoque, hae applicatae Artes pulchrae, possunt nuncupari (§. 14. et 59. Obs. 3.).

§. 70. Duo Artium pulchrarum Genera.

In quolibet Artium pulchrarum Ordine, vicissim duo earundem Genera comprehenduntur, quorum discrimen, in eo ponendum est, quod Ars, ad Producta sua effingenda, aut unum tantum exhibendi instrumentum putat sibi esse adhibendum, aut diversa exhibendi instrumenta, tali ratione potest componere, ut ea, in hac coniunctione, Totum quoddam intime coagmentatum efficiant. Atque hinc exsistunt, duo, Artium pulchrarum, puta simplicium, et compositarum Genera.

§. 71. Duae Artium pulchrarum Species.

Genus Artium pulchrarum simplicium, vicissim in duas Species videtur esse dispescendum, quarum discrimen in eo situm est, quod Ars, aut talibus exhibendi instrumentis utitur, quae ipsa Natura immediate suppeditat ac porrigit; aut talibus: quae certa quadam ratione, ab humano pendent arbitrio. Contra Artium pulchrarum compositarum Genus, nullas alias sub se comprehendit Species, si quidem Ars composita, inde exsistit, quod utraque exhibendi instrumenta, ad Productum artisticum efficiendum coadunentur.

§. 72. Distributio Calleotechnicae Particularis.

Pro ratione cardinalis Artium pulchrarum Distributionis in tria Regna (§. 68.) institutae, Calleotechnica quoque Particularis, ut Artes tonicas, plasticas, et mimicas, in se comprehendat, in tria vicissim Capita videtur esse dispertienda, puta: in Calleotechnicam tonicam, — Calleotechnicam plasticam, — et Calleotechnicam mimicam: qua in tractatione, reliquae Artium pulchrarum divisiones, in Ordines, Genera et Species, determinatum quoddam filum ductarium nobis offerent, ad singulas quoque Artes inveniendas.

CAPUT I. Calleotechnica Tonica.

§. 73. Universalis Regni Artium Tonici consideratio.

Regnum Artium tonicarum universe, ad omnes illas artes extenditur, quae tonis significantioribus, ut instrumentis exhibitionis utuntur (§. 68.). Toni illi, aut inarticulati sunt, si ii, non humana voce fracti, et in membra coagmentati sunt, verum, ut meri toni, aut originarie simplices soni, ab Aure percipiuntur, atque pro ratione eorundem, ad se invicem, ut signa naturalia diiudicantur; aut articulati, si ii, ex pluribus, per organa loquendi humana, productis sonis constant, proinde, ut Voces ab Aure percipiuntur, atque pro relatione earum reciproca, ut signa arbitraria *tou* Interni diiudicantur. Utrisque his tonis, Ars, multiplici ratione uti, eatenusque varias progignere Artes tonicas potest.

I. Ordo. Artes tonicae, absolute pulchrae.

I. Genus. Artes simplices.

§. 74. (1. Species) Ars tonica.

In quantum Ars tonica (universe, seu, sensu latiori), meris, seu inarticulatis tonis, ut signis Interni naturalibus, ad exhibendum aesthetice complacens utitur, simpliciter Ars tonica (sensu strictori), seu, Musica vocatur. Toni illi, in se, et per se considerati, non sunt Obiecta Voluptatis Gustus, cum solum Aurium sensum stimulant; si tamen illi, formâ compositionis, in talem Relationem mutuam construuntur, ut, successione eorum melodicorythmica, harmonicaque simultaneitate, Animus audientis, in liberum, et tamen Regulis adstrictum, variorum tactuum, atque sensationum lusum transponatur: tum vero Ars tonica pulchra, seu, Opus musicale artisticum inde exsistit. Melodia, Harmonia, et Rhythmus, efficiunt itaque essentiam Artis tonicae, ut Artis pulchrae.

§. 75. (2. Species) Ars fingendi, seu Poësis.

Ars tonica, in quantum tonis articulatis, seu, Verbis, tanquam arbitrariis Interni signis, ad exhibendum illud, quod aesthetice placet, utitur, Poesis appellatur. Illa quidem signa, in se, et per se considerata, nonnisi Itellectum tenent occupatione; si tamen ea, per modum compositionis, talem Formam assumunt, ut ea, ope relationis ad Sensibilitatem, Phantasiam in liberum lusum, qui tamen cum Intellectu consonet, transponant: tum ex eo, pulchra quaedam vocum effigies, seu Poëma nascitur, in quo, sermo Poëtae, velut aestheticae exhibitionis instrumentum, incessum quendam Rythmo Artis tonicae (§. 74.) analogum assumit, ob eamque caussam, pro more consueto, ut Oratio metrica, seu ligata apparet.

II. Genus. Artes compositae.

§. 76. Ars canendi.

Si Ars tonica, et Poësis, ad aesthetice complacens exhibendum coniungantur: Ars canendi, seu, Melopoeia inde exsistit. Nam in Cantu proprio, seu, in vera Musica vocali, vox humana, in sua modulatione simul articulatur, et το Internum hominis, non per meros tonos, rationeque indeterminata significatur, sed etiam verbis determinate enuntiatur. Ars ergo canendi, vi unita, adeoque eo fortius in animum agere putanda est, quam Ars tonica, et Poëtica separatim sumtae. Interim Artes hae originarie unitae, paulatim a se invicem separandae erant, si modo Ars tonica, in omnibus suis partibus, ad summam perfectionem evolvi, et expoliri debebat.

II. Ordo. Artes tonicae relative pulchrae.

I. Genus. Artes simplices.

§. 77. (1. Species) Ars loquendi pulchra.

Elocutio datorum vocabulorum, in quantum, Arte ita modificatur, ut exhibitio verborum, ministerio toni facta, aesthetice placeat: ars tonica inde exsistit, pulchra loquendi Ars, seu, Ars declamandi dicta. Ea ergo, in hac eloquendi functione, nonnisi cum tonis inarticulatis, seu, sonis habet negotium, qui in diversa altitudine, et profunditate, diversaque cum fortitudine, ac debilitate, seu, certa cum celeritate et tarditate percipiuntur, cum toni articulati, seu voces enuntiantur. Quandoquidem autem voces hae, determinatum quidpiam designant, Propositioque dati cuiusdam sermonis (Poëtici, aut prosaici) oralis, id proprie pro fine habet, determinatum illud, sono ita exprimere, ut ab audiente rite apprehendatur: necessarium est, ut Ars, intuitu perpoliendae Propositionis oralis, fini extra eam posito subiiciatur, huiusque respectu, semet in Exhibitione restringat.

§. 78. (2. Species) Ars narrandi pulchra.

In quantum Sermo, tanquam communicandarum cogitationum medium, beneficio Artis ita modificatur, ut Exhibitio cogitatorum verbis expressa, aesthetice placeat: Ars tonica, ut pulchra narrandi (sermonem faciendi) Ars apparet. Eius ergo finis, in eo duntaxat versatur, ut sermo, tanquam instrumentum alios, de eo, quod intuitu Obiecti cuiusdam cogitamus, edocendi, pulchrior reddatur. Quamobrem eo, ut Ars pulchra, proprio Sermonis fini semet subiicit, eatenusque, in usu verborum, tanquam mediorum exhibendi restringitur; quo consilio ea, etiam in compositione eorundem, incessum minus demensum, quam fit in Arte poëtica, assumit (§. 75.), et Productum eius, non obstante Numero, ex bene sonanti verborum consecutione emergenti, si cum Opere poëtico, in perfectissima sua forma comparetur, tanquam oratio soluta apparet.

II. Genus. Artes compositae.

§. 79. Ars Oratoria.

Si pulchra loquendi, et narrandi Ars, communi studio, ad Opus quoddam artificiosum effingendum coniungitur: Ars Oratoria, seu, Eloquentia inde exsistit. Haec videlicet, id genus Propositiones spectat, quae re ipsa, ante alias, modo solenni sunt instituendae, ut vi vocum, Voluntas earundem determinetur. Orator itaque, non tantum in eo elaborare debet, ut Orationi ipsi Formam, quae delectet, impertiatur, sed etiam tali ratione eam proponat, necesse est, quae Complacentiam mereatur, et reportet: qua in re, temperatum quoque simul, vultus et gesticulationum lusum licebit Oratori applicare, ut eo maiori cum energia, in animos Auditorum suorum illabatur.

§. 80. De Artibus tonicis universe. Artes loquentes.

Artes tonicae, in quantum ad exhibendum, tonis articulatis, seu, verbis utuntur, Artes quoque loquentes possunt nominari, quae proinde expressio, ad Artes longe plures, quam ad Poësim, et Eloquentiam extenditur. Nam omnes Artes tonicae, prima illa excepta, de qua supra (§. 74.) dictum est, sunt loquentes, et ipsa adeo Ars quoque canendi (§. 76.). Sed Artes loquentes, nulla prorsus ratione possunt, Scientiae pulchrae appellari (§. 1. Obs. 3.). Cum autem Artes loquentes, qua tonicae, originarie et proxime, ad Formam Temporis referuntur (§. 68. Obs.): maxime idoneae videntur ad hoc, ut mutabilitatem Obiectorum, proinde etiam eventuum, ipsasque eventorum series, per quas, res plures ex uno statu in alium transeunt, exhibeant (Met. §. 74.).

CAPUT II. Calleotechnica Plastica.

§. 81. Universalis Regni Artium Plastici consideratio.

Regnum Artium fingentium, seu plasticarum universe, omnes illas Artes pulchras, in se comprehendit, quae Formis figuratis, tanquam instrumentis exhibendi utuntur (§. 68.). Figurae, seu effigies illae, aut Corpora sunt realia, si spatium secundum singulas tres dimensiones complent, quo in casu Obiecta, modo Naturae prorsus congruo, possunt exhiberi; aut Corpora sunt apparentia tantum, si ea in mera superficie sunt perceptibilia, quo in casu Obiecta, certo respectu, modo tantum arbitrario possunt exhiberi. Sed utroque hoc Formarum genere, quia Ars, non uno tantum modo potest uti: eam in diversas Artes plasticas distribui necesse est.

I. Ordo. Artes plasticae absolute pulchrae.

I. Genus. Artes simplices.

§. 82. (1. Species) Ars Statuaria.

In quantum Ars plastica, sensu latiori sumta, massis corporeis, secundum realem spatii expletionem, ad exhibendam aestheticam Complacentiam utitur: simpliciter Ars statuaria, seu, sensu stricto, Plastica nuncupatur. Natura ergo huius Artis in eo consistit, ut ea, Formas, secundum spatiosam sensuum veritatem, consequenter, in naturali earundem effigie, modo per se complacenti effingat, quod, tam in magno, quam in parvo fieri potest, licet eadem, summam suam Tendentiam, in informandis magnis, idealibusque hominum formis monstret.

§. 83. (2. Species) Ars Pictoria seu Graphica.

Ars plastica, in quantum delineationibus corporalibus, secundum sensibilem Speciem, ad aestheticam Complacentiam exhibendam utitur: Ars Pictoria, seu, Graphica appellatur. Natura itaque huius Artis, in eo consistit, ut illa, Formas, secundum

meram earundem apparentiam, in superficie quadam, proinde, in delineationibus perspectivis, modo per se complacenti, exhibeat. Quamobrem Ars delineatoria, est fundamentum Graphicae, si quidem purum Gustus iudicium, relate ad Imaginem quampiam, duntaxat Formam eius intuibilem, delineatione determinatam, attingit.

II. Genus. Artes compositae.

§. 84. Ars Hortensis.

Ars hortensis, nihil aliud est, quam Pictura topiaria plastica; nam ea massis corporeis, ex Regno Plantarum sumtis utitur, ut eas, cum aliis naturalibus, aut artificialibus Obiectis, ita componat, ut haec, sola Forma compositionis, quasi ea, maior quaedam Pictura foret topiaria, ab animo cum complacentia apprehendantur. Quare Hortus voluptarius, tanquam Regio pulchra, Arte producta, potest considerari, adeo quidem, ut Natura, cuius auxilio Artifex producit, non subiugata Arte, sed tantum ducta esse videatur, quo sic, interventu eius, Ideae aestheticae, re ipsa proponantur, aut Complacentia aesthetica exhibeatur.

II. Ordo. Artes plasticae relative pulchrae.

I. Genus. Artes simplices.

§. 85. (1. Species) Architectura pulchra.

In quantum Constructio aedificiorum omnis generis, arte ita modificatur, ut, Apprehensio Formae eorundem, aestheticam in animo cieat Complacentiam: Ars plastica, ut Architectura apparet. Haec ergo omnia illa reddere pulchra connititur, quaecunque manibus humanis, in certum aliquem usum possunt aedificari Quia vero aedificium huius generis, nunquam non ad certum aliquem finem directum est, vi cuius, Forma quoque eiusdem, sine respectu ad Complacentiam aestheticam, iam determinata est: profecto Artem, in hac actuositatis suae Sphaera, fini heterogeneo subordinari, eoque, in sua Productione, limitibus circumscribi necesse est.

§. 86. (2. Species) Calligraphia.

Formatio Scripturae, ad designandas voces instituta, in quantum Artis beneficio ita modificatur, ut Apprehensio Formae eius, aestheticam in animo excitet Complacentiam: Ars plastica, ut Calligraphia apparet. Haec itaque exornat, non solum Scripturam manu humana exaratam, sed etiam Typis expressam, quamobrem, partim ut Chirographia, partim ut Typographia pulchra apparet. Est autem ea utroque intuitu, ob finem peculiarem, Formamque originariam, adeo restricta, ut liberiorem aesthetice complacentis exhibitionem recipere posse non videatur.

II. Genus. Artes compositae.

§. 87. Numismatica pulchra.

In signatione Monetarum, in quantum opus effigiatum cum scriptura, ea ratione coniungitur, ut ambo illa simul impressionem complacentem in animo efficiant, Ars plastica, ut Numismatica pulchra apparet. Ea itaque exornat, non solum Numos, tanquam universalia Permutationis rerum instrumenta, ad Commercium humanum instituendum, sed etiam, ad conservandam Personarum celebriorum, eventuumque Notabiliorum memoriam, adque remuneranda merita destinata, memorialia, symbolicaque Numismata. Sed ob originarium finem, Formamque talium Productorum, ab eo dependentem, Ars pulchra, in exhibendo aesthetice Pulchro, perfecta libertate destituitur.

§. 88. De Artibus plasticis universe. Artes delineantes.

Quemadmodum diversae Artis plasticae partes, Artes fingentes, seu plasticae dictae sunt (§. 68.): ita eaedem, in quantum delineatione, in prima Productorum suorum adumbratione, utuntur, atque haec tali ratione, quasi Pictorum more exhibent (§. 83.): graphicae, seu delineantes vocantur Artes. Et quia eae, originarie et proxime, ad Formam Spatii referuntur (§. 68. Obs.): in primis aptae esse videntur, ut quod in Obiectis perdurare debeat, exhibeant, proinde, si quod mutabile est, velint quoque exhibere, certoque id momento cuidam, adfigere.

CAPUT III. Calleotechnica mimica.

§. 89. Universalis, Regni Artium mimici, consideratio.

Regnum Artium mimicarum universe, omnes illas Artes pulchras in se comprehendit, quae motibus significantioribus, tanquam exhibendi instrumentis utuntur (§. 68.). Hi motus, aut tales sunt corporis humani mutationes, quae, in naturali, et minime arbitraria τοῦ Interni expressione insunt, aut actus sunt Arbitrii, quibus corpus, locum suum in Spatio, mutat. Ars utroque intuitu potest iis uti, atque tam in se, quam in coniunctione cum Artibus tonicis, in varias Artes mimicas, distribui.

I. Ordo. Artes mimicae absolute pulchrae.

1. Genus. Artes simplices.

§. 90. (1. Species) Ars Gesticulationum mimica.

In quantum Ars mimica, sensu latiori sumta, iis corporis humani mutationibus, quae in naturali, et in voluntaria τοῦ Interni expressione insunt, ad exhibendam Complacentiam aestheticam utitur, simpliciter, seu sensu strictiori Mimica, vel, Ars Gesticulationum vocatur. Natura ergo huius Artis, in lusu Gesticulationum, Expressionis pleno, et per se placenti inest, quo facto scil. Imaginatio Spectatoris, in liberum, harmonicumque cum

Intellectu lusum, translocatur, proinde Animus delectatur. Quare Pathognomica, tanquam peculiaris Physiognomicae pars est, quae Mimicae Principium suum naturale suppeditat: Cheironomia vero, pars est huius Artis, nonnisi particularis.

§. 91. (2. Species) Ars saltandi.

Ars mimica, in quantum arbitrariis totius corporis motibus, ad aestheticam Complacentiam exhibendam utitur: Ars saltandi, seu Choreutica, vel Orchestica appellatur. Natura itaque huius Artis, in tali motuum corporis Forma consistit, quae variis secundum Leges Symmetriae, et Rhythmi, mutandis lineis et posituris, aestheticam Complacentiam excitat. Atque hanc ob causam postulat quoque Saltatio, ut eam Musica comitetur, quin tamen Ars ipsa saltandi, cum Arte tonica, ad communes unius Operis artificiosi Productiones, coniungatur.

II. Genus. Artes Compositae.

§. 92. Theatrica.

Lusus gesticulationum, et totius corporis motus, ad exhibendam quoque aestheticam Complacentiam coniungi inter se possunt, unde Theatrica exsistit. Natura videlicet huius Artis, in pulchra quadam, et per se placenti Characterum humanorum exhibitione, viva actione instituta consistit, quo respectu illa, Dramatica quoque appellatur. Sed exhibitio isthaec potest accidere 1) solo gesticulationum lusu, et motu locali, unde Pantomimica et Orchestica mimica, vel Ars saltandi theatrica progignitur; 2) cum adiumento linguae et cantus, unde loquens, seu declamans et canens, sive musicalis Ars theatrica emergit, quibus Ars mimica, cum tonica, ad communes unius operis artificiosi Productiones coniungitur. Ipse lusus theatricus, potest caeterum esse tragicus, comicus, aut nonnisi serius, in quolibet casu autem drasticus (activus) debet esse, eo quod secus, Drama non esset, et Ars, minime dramatica foret.

II. Ordo. Artes mimicae relative pulchrae.

I. Genus. Artes simplices.

§. 93. (1. Species) Duellica gymnastica pulchra.

In quantum motus inter certandum, Artis beneficio ita modificantur, ut ii Forma sua animum oblectent: Ars mimica, ut Duellica gymnastica pulchra apparet. Itaque certamen nonnisi tunc demum potest ut Pulchrum diiudicari, si id, sensu proprio Mimicum est (§. 90.) h. e. si id, non ut realis quaedam pugna, ad vitam et mortem instituta, verum duntaxat ut huius Exhibitio, intuitioni subiiciatur, idque adeo, ut motus concertantium, tanquam meri gesticulationum lusus appareant; quamquam Ars, in determinatione horum motuum, originario certaminis fine, qui in personali aggressione et defensione versatur, ligata est.

§. 94. (2. Species) Ars equitandi pulchra.

Motus inter equitandum, in quantum beneficio Artis, ita modificantur, ut ii, Forma sua Animum oblectent, Ars mimica, ut Ars equitandi pulchra apparet. Equitatio itaque, nonnisi tunc demum, ut pulchra potest diiudicari, si illa est Orchestica (§. 91.) h. e. si eam, in Qualitate Saltationis liceat intueri, idque adeo, ut localis corporis humani motus, interventu animalis, tanquam exaltati Tactus vitalis manifestatio appareat, quantumvis motus ille, ob coniunctionem Corporis humani cum animali, minime tam liber est, quemadmodum in Saltatione, proinde Ars, hoc intuitu, restricta est.

II. Genus. Artes Compositae.

§. 95. Ludus equestris pulcher.

Ars pulchra duellica, in quantum in coniunctione cum pulchra equitandi Arte exercetur: Ars mimica, ut Ludus equestris pulcher apparet. Ludus videlicet equestris, partim ut pulchra certaminis exhibitio, partim ut Saltatio bellica equestris, potest perfici, et considerari, eatenusque, Obiectum complacentiae aestheticae fieri. Is ergo, non ut serium quoddam certamen, sed ut, merus armorum lusus potest annuntiari, eo quod secus, Ideae pulchri lusus theatralis, haud quaquam videretur accommodatus.

§. 96. De Artibus mimicis universe. Artes exhibentes.

Artes mimicae, Artes quoque exhibentes, seu repraesentantes, vocitantur, cum in exercitio earundem Artifex, se ipse, ut Opus artificiosum oculis exhibet, seu, Spectatori, ut praesens apparet. Sed tum, ambae illae expressiones, sensu stricto sumendae sunt; nam sensu latiori, omnes Artes pulchrae ita possunt appellari, cum eae Percipienti, aliquid aesthetice complacens exhibent, aut repraesentant. Quandoquidem autem, medium exhibendi, Artium mimicarum, ad Tempus, et Spatium simul refertur (§. 68. Obs.): eae, ex una parte tonicis, ex altera autem parte plasticis Artibus sunt affines, quamobrem etiam, cum ambabus facile possunt coniungi, in hac autem coniunctione, eo fortiorem facere in animum impressionem.

§. 97. Tabellaris omnium Artium pulchrarum conspectus.

Quodsi denique universum Artium pulchrarum Territorium, oculis adhuc perlustrare placeat: omnes Artes pulchrae, sequenti modo videntur systematice classificandae.

I. Artes tonicae (sensu latiori) §. 73—80.
  A. Absolute.
    1. Simplices.
      a. Ars tonica. Tonica. §. 74.
      b. Ars fingendi, seu Poëtica. §. 75.
    2. Compositae. Ars canendi. §. 76.

B. Relative.
1. Simplices.
a. Ars loquendi pulchra. §. 77.
b. Ars narrandi pulchra. §. 78.
2. Compositae. Ars oratoria. §. 79.

II. Artes plasticae (sensu latiori). §. 81—88.
A. Absolute.
1. Simplices.
a. Statuaria. §. 82.
b. Ars pictoria, seu Graphica. §. 83.
2. Compositae. Ars hortensis. §. 84.
B. Relative.
1. Simplices.
a. Architectura pulchra. §. 85.
b. Calligraphia. §. 86.
2. Compositae. Numismatica pulchra. §. 87.

III. Artes mimicae (sensu latiori). §. 89—96.
A. Absolute.
1. Simplices.
a. Ars Gesticulationum, seu Mimica. §. 90.
b. Ars saltandi, seu Choreutica, vel Orchestica. §. 91.
2) Compositae. Theatrica. §. 92.
B. Relative.
1. Simplices.
2. Duellica Gymnastica pulchra. §. 93.
b. Ars equitandi pulchra. §. 94.
2. Compositae. Ludus equestris pulcher. §. 95.

Obs. Quaeri solum forsan posset: Quid caussae est, quod cum Chromatica, seu Ars Colorum, — item Cosmetica, seu Ars Ornatuum, — denique Phototechnica, Pyrotechnicaque hoc loco, inter Artes pulchras, ne commemorentur quidem, quae tamen ab Aestheticis, inter illas relatae sint? — Enimvero respondendum est, partim ideo hoc fieri, quod Artes hae ad iucundas magis, quam pulchras Artes natura sua pertinere videantur, partim vero ideo, quod in quantum eae, ad Artes quoque pulchras spectare quaeant, in tantum eaedem, ad unam iam Artium pulchrarum in systematica hac Classificatione exhibitarum facile referantur.

Tabulae Analyticae. Tab. I.

Philosophia Fundamentalis.

Prolegomena et Introductio.

Nomen Philosophiae non est character eius distinctivus.
Praedicata Philosophiae generalia.
Quid est philosophari?
Quomodo nos, nosmet ipsos cognoscimus?
Conversio, intra nos fienda, nonne mysticam quandam redolet Intuitionem?
Facultatem cognoscendi, per se ipsam velle cognoscere, nonne sibi ipsum repugnat?
Tu ergo, quod nondum scis, per hoc vis cognoscere, quod adhuc ignoras?
Nonne convenientius foret Naturam externam prius cognoscere?
Finis philosophandi proximus ac remotior.
Subiectum et Obiectum Philosophiae.
Pretium Philosophiae.
Philosophia fundamentalis quid? quae partes?
Initium philosophandi Agnosia. Quae eius vis? §. 1—3
Partes Doctrinae Elementaris. . . . . » 4

Sectio I. Doctrina Elementaris Problematica.

Momenta Scientiae Probl.

Ego et Mundus. Animus et Corpus — vires utriusque. . . . . » 5—8
Natura universa. Existentia. S. et T. Subst. et Acc. Caussa. . . . . » 9—11
Possibile, actuale et necess. Activa et passiva determinatio. . . . . » 12, 13
Obligatio. Libertas. Coactio. Ordo. Leges act. et eventuum. . . . . » 14, 15
Sentire. Cogitare. Ratiocinari. Sensibile. Intelligibile. . . . . » 16, 17
Verum et falsum, iucundum, utile et honestum. Iustum. . . . . » 18
Soliloquium philosophaturi. . . . . » 19
Cardinales Scientiae apodicticae Quaestiones. » 20—22

Sectio II. Doctrina Elementaris apodictica.

Caput I. De Supremis cognitionis philosoph. Principiis.

Natura Principiorum

- Suprema philosophandi Principia quid sunt? . . §. 23, 24
- Probl. Investigationis Princip. quodnam? quae solutio? » 25—29
- Principia suprema, ubi quaerenda? qua arte? . » 30, 31
- Quid Principio statim, Reflexione constituendum? » 32

Principium Reale.

- Concep. Principii realis et idealis. Differ. utriusque. » 33—35
- Reale philosophandi Princ. quodnam? Doct. Fichtei. » 36
- Principia Reali, Ideale opponendum, idq. duplex: Mater. et Form. . . . . » 37—39

Principium. Ideale.

materiale:

- Prima cognitionis materialia ubi quaerenda? . » 40
- Data Conscientiae materialia quaenam? . . . » 41
- Quid cum Datis Conscientiae materialib. agendum? » 42
- Prima Subiecti philosophantis Reflexio quaenam? » 43
- Materiale philosophandi Principium quodnam? » 44
  Principium Cartesii.
- Principium philosophandi mater. unumne est, an plura sunt? . . . . . » 45
- Formula Principii materialis. . . . . » 46
- Princ. mater. cur. Supremum? — Rheinhold.

formale:

- Altera Subiecti philosophantis Reflexio. . . » 47, 48
- Actuositatum Mentis Uniformitas. . . . . » 49
- Leges Actuositatis Mentis sunt Principia formalia. » 50
- Necessitas Principii formalis. . . . . » 51
- Finis philosophandi Principio formali describitur. » 52
- Supremus philosophandi finis qualis esse debet? » 53
- Formula Supremi Principii formalis. — Consilium. » 54

Caput II. De absolutis philosophandi limitibus.

Actus Conscientiae philosophantis.

- Actus Conscientiae empiricus, quid supponit? . » 55, 56
- Absolutus philosophandi limes quis? . . . . » 57
- Originaria Conscient. Synthesis an comprehensibilis? » 58
  Omnis Philos. Incomprehesibilitate terminatur.
  Philosophia Fichteana.
  An Conscientia explicari, comprehendique potest?
- Duplex de Realitate Exsist. Probl. Solutio. Prospectus. » 59—62

Realismus.

- Realismus, respectu theor. verumne Systema est? » 63
  Realistae sunt Matersalistae?
- Realism. intuitu pract. verumne Systema esse potest? » 64
  An omnes Realistae Moralitati perniciosi fuisse putandi?
  Realism. intuitu Relig. in Pantheismum degenerat.

Idealismus.

- Idealismus sensu theor. verumne Systema est? . » 65
  Idealismus Fichtei est Nihilismus.
- Idealismus sensu pract. verumne Systema esse potest? » 66
  Idealismus Fichtei an cum Moralitate sociabilis.

Synthetismus criticus.

- Verum phil. Syst. est Synthetismus tredlis s. criticus. » 67
  Systemata Philos. tria. — Differentia eorundem.
  Systema Schellingianum. Duplicitas System. Kantii.
- Synthetismus criticus tria sumit indemonstrabilia. » 68
  Individualit. rerum an Idealismus deducere potest?

Caput III. De Forma originaria Actuositatis Mentis humanae.

Variae Mentis determin.

- Activae et passivae, empiricae et transc. Mentis determinat. . . . . §. 69, 70
- Essentia Hominis. Homo pure et empirice sumtus. » 71, 72
  Sententia Fichtei. — Anthropologia.

Originariae Mentis determinationes.

Formae originariae

- Facultas, Lex, et Ambitus Actuosit. Mentis. » 73, 74
  Cur Facultas sumenda?
  Facultas pura et empirica.
  Formae agendi Mentis plures.
  Conscientia communis et philosophica.
  Intellectus communis. Ratio philosophans.
- Facultas Mentis theoretica et practica. . . » 75
  Modi Actuositatis quomodo innotescunt?
  Discrimen Facultatis theor. et pract.
  Aptior Fac. theor. et pract. denominatio.
- Facultas Persentiscendi. s. Fac. Tactus.

Potentiae cogn. cardinales

Sensualitas

- Sensualitas theoret. Perceptio. . . . » 76, 77
  Intuitio.
  Affectio Sensualitatis. Mat. et Forma.
  Perceptio interna et externa.
- Sensualitas practica. Instinctus. . . . » 78
  An Instinctus sumendus?
  Instinctus, duplex: Appet et Aver.
  Inclinationes, earumq. Affectiones.

Intellectualitas

- Intellectualitas Theoretica. . . . . » 79
  Cogitatio et Intuitio.
  Cogitatio synthet. et analyt.
  Natura Intellectus.
  Natura Cognitionis.
  Fac. Repr. et cog. superior et infer.
  Sententia Fichtei.
- Intellectualitas Practica. . . . . » 80
  Volitio. Nolitio. Fac. App. et Avert.
  Instinctus. Voluntas. Arbitrium.
  Felicitas. Moralitas.
  Fac. agendi infer. et super.

Rationalitas

- Ratio theoretica et practica. . . . . » 81
  Natura Rationis.
  Caussalitas Rationis duplex.
  Leges Rationis physicae et ethicae.
  Primatus Rationis practicae.
- Homo, qua Ens liberum. . . . . » 82
  Conscientia legum Fons lib. cogn.
  Conceptus Libert. an non repugnans?
  Homo Persona. Autotelia.
  Dignitas Hominis origin. et adquis.
  Natura Conscientiae.
  Liberatis externae fundam.

Cap. IV. De supremo et ultimo Actuositatis Mentis fine.

Summ. Bonum.
- Summum Hominis Bonum est Beatitas. . . . § 83
- Homo ad moralem rerum Ordinem pertinet.
- Beatitas et Felicitas quid? quae differentia?

Conditiones S. B.
- Externae Summi Boni conditiones: Deus et Immortalitas. . . . . » 84
- Homo, intuitu S. B. dupliciter restrictus est.
- Exsistentia Dei, est primaria S. B. conditio externa.
- Immortalitas est secundaria S. B. conditio externa.
- Libertas moralis est interna S. B. conditio.
- Exsistentia Dei, et Immortalitatis probari theor. non possunt.
- Persvasio de Exsistentia Dei et Immortalitate Fides pract. vocatur.
- Theoria Kantiana de S. B. probari nequit.
- Theoria Fichteana de S. B. multo minus pot. probari.

Pars II. Methodologia Didactica et Architectonica.

Verihabitio.
- Conceptus Methodologiae et Partes. . . . . » 85, 86
- Verihabitio quid? et ubi locum habet? . . . » 87
- Assensus. Persvasio s. Convictio. . . . . » 88, 89
- — Persvasio non est Tactus, neque Sensus Veritatis.
- Varii sunt Persvasionis et Conscientiae Gradus. . » 90, 91
- Persvasio certa, et incerta. . . . . » 92
- Rationes Verihabitionis sufficientes et insufficientes. » 93, 94
- Species Verihabitionis.

Scientia.
- Conceptus scientiae. . . . . » 95
- Scientia empirica et rationalis. Nexus mutuus. . » 96
- ——— mathematica et philosophica. . . . . » 97
- ——— materialis et formalis. . . . . » 98
- Evidentia sciendi et scientifica.

Fides.
- Fides subiectiva et obiectiva. . . . . » 99
- —— universalis et particularis. . . . . » 100
- —— propria et historica. . . . . » 101
- —— privata et communis. . . . . » 102, 103
- —— theoretica et practica. . . . . » 104
- —— speculativa s. doctrin. et pract. — pragm. et mor.
- Fides historica, — materialis et formalis. . . » 105—107
- —— Historico-formalis ad quas Veritatis species pertinet?
- —— revelata.
- Fides erronea. Incredulitas. Credulitas. Superstitio. » 108
- Superstitio physicalis et religioso-moralis.
- Incredulitas et Superstitio quomodo differunt?

Opinio.
- Opinio. Coniectura. . . . . » 109, 110
- Probabilitas. Opinio probabilis et improbab. . » 111
- Hypothesis probabilis et improbab.
- Probabilitas mathematica et dynamica. . . . . » 112
- An gradus Probabilitatis determinari possunt?
- Dubitatio. Suspensio Iudicii. Differentia. Scrupulus. » 113
- Dubium logicum et transcendentale. Differentia. » 114

Methodus philos.

- Conceptus Methodi philosophandi. . . . . §. 115
- Tres philosophandi Methodi. . . . . » 116
- Dogmaticismus. . . . . » 117
  - Quomodo Dogmaticus philosophatur, et an recte?
  - Dogmaticismus annon Despotismus philos. est?
- Scepticismus. . . . . » 118
  - An Scepticismus Anarchismus philos. est?
- Criticismus. . . . . » 119
  - Merita Criticismi.
  - An Criticismus idem est, quod Kanticismus?
  - Incessus philosophandi in Criticismo qualis?
  - Electricismus.

Architectonica.

Conceptus Philos.

- Consilium et Partes Architectonicae. » 120
- Conceptus Philosophiae distinctivus. » 121
- Cognitio philosophica qualis? . . » 122
- ——— empirica et rationalis. . . » 123
- Cognitio philosophica est rationalis. » 124
- Discrimen cognitionis philos. et mathem. . . . . » 125
- Definitio Philosophiae. . . . . » 126

Partes Philosophiae.

- Philosophia fundament. et derivat. . » 127
- ——— theoretica et practica. . » 128
  - Differentia Philos. th. et pr.
- Logica. Methaphysica. Aesthetica. . » 129
  - Conceptus Log. Metaph. Aesth. Differentia.
- Ius Naturae. Ethica. Eusebiologia. » 130
  - Conceptus Partium Philos. pr. Differentia.
- Philosophia pura et applicata. . . » 131
  - Cognitio pura cur ita dicta?
- Tabellaris Partium Philos. Conspectus. » 132
  - Quomodo Veteres Philos. diviserunt?
  - Divisiones Philos. Recentiorum.
  - Locus Criticae in Systemate philos.

Pars I. Logica Pura.

Sectio I. Doctrina Elementaris Pura.

Caput I. Leges cogitandi fundamentales.

Philosophia.

- Conceptus Philosophiae.
- ——— Philosophiae theoreticae. . . . . §. 1
- Relatio Philosophiae theoreticae ad fundamentalem. » 2
- Originaria Mentis humanae Persuasio triplex. . . » 3
- Principium Philosophiae theoreticae materiale. . » 4
- ——— formale. . . » 5
- Partes Philosophiae theoreticae. . . . . » 6

Logica.

- Conceptus Logicae. . . . . » 7
- Cogitatio logica et metaphysica. . . . . » 8
- Logica, quâ organon formale. . . . . » 9
- Logica quotuplex:
  - generalis s. universalis:
    - pura s. a priori. 10, 11
    - applicata s. a post.
  - Specialis s. partic. v. c. iuridica, theolog.
  - Naturalisne, an artificialis? Subiectivane, an obiect.?
  - Connatane, an adquisita? Scholasticane, an popularis?

Logica Pura.

- Dividitur in Doctrinam elementarem et Methodolog. » 12
- Principium Logicae materiale. . . . . » 13
- Obiectum Cogitationis: Cogitabilitas. . . . . » 14
- Aliquid, s. Ens logicum, Nihil, seu Non-ens logicum. » 15
  - Aliquid et Nihil sensu logico et reali.
- Praedicata cogitandi, seu, Categoriae, sensu logico. » 16
- Principium Identitatis absolutae, eiusque Formula. » 17
- Principium Logicae formale.
- Partes Principii formalis:
  - Princip. Theseos s. Positionis. . » 18
    - Princ. Contradict. et Cons.
    - Formula Princ. Contr. antiqua an recta?
  - Princip. Anthitheseos s. Oppositionis. » 19
    - Princ. exclusi tertii, eiusq. Formula.
    - An hoc, Princ. Determinat. est?
  - Princip. Syntheseos s. Coniunctionis. » 20
    - Formula Princ. Coniunct.
- Logica, quâ Totum organicum, et organisans simul. » 21

Argumentum Logicae Purae.

- Veritas, alia formalis s. logica, alia mater. s. met. 22
  - Criteria Veritatis logicae.
  - Veritas logica, quomodo potest diiudicari?
  - An, quod Logice verum, metaphys. quoq. verum est?
- Cogitabilitas, seu, Possibilitas, alia logica, alia realis.
- Elementa Cognitionis logica. » 23
  - Conceptus. . . . . .
  - Iudicium.
  - Ratiocinium.

Caput II. Partes cogitationum constitutivae.

Articulus I. De Conceptibus.

Intuitio, Conceptus, s. Notiones, Repraesentatio quid? . . §. 24
Quatuor Conceptuum Classes, quoad QqRM. . . . . » 25

Quantitas.
- Quantum, Quantitas Conceptuum quid? . . . » 26
- Quantitas Complexus, et Ambitus.
- Intensivae et extensivae Conc. Quantitatis Proportio. » 27
- Conceptus intensivus et extensivus.
- ——— simplex et compositus. . . . . » 28
- ——— individualis s. intuitivus, et capax s. univ. » 29

Qualitas.
- Qualitas Conceptuum quid? . . . . . » 30
- Claritas et obscuritas Conceptuum. 31,32
- Perspicuitas, Imperspicuitas. — Confusio Concept. » 33
- ——— intensiva et ext. discursiva et intuit.
- analyt. et synth. . . . . » 34
- ——— primae, secundae, et tertiae potentiae. » 35
- Amplitudo Conceptuum. Conc. explicite distinctus.
- Plenitudo Conceptuum. Conc. complete distinctus.

Relatio.
- Relatio Conceptuum — Relatum, Correlatum quid? » 36

Argumentum.
- Identitas et Diversitas Conc. . . . » 37
- Paritas et Imparitas Notarum.
- Notion. absol. et relat. indenticae.
- Princ. Indiscernib. Conc. reciproci.
- Consensus et Repugnantia Conc. . . » 38
- Internum et externum in Conc. . . » 39
- Crit. Conc. essentialia, et accid.
- —— constit. s. orig. et consecut.
- Attributa propria et communia.
- Affectiones et Relationes.
- Materia et Forma Conc. . . . . » 40

Ambitus s. Sphaera.

Coordinatio.
- Conceptus disiunctivi. . » 41
- ——— disparati.

Subordinatio.
- Conc. superior et inferior. » 42
- —— gener. et specialis. » 43
- Gradatio Gener. et Spec.
- Genus summ. et infimum. » 44

Differentia.
- individualis. 45.a.
- specifica.
- generica.

Princ. Classific.
- p. Generificat. 45.b.
- p. Specificationis.
- p. Continuit. log.

Modalitas.
- Modalitas conceptuum quid? . . . . . » 46
- Conceptus possibilis et impossibilis. . . . . » 47
- ——— actualis et non-actualis. — necess. et cont. » 48

Appendix.
- Abstractio et Reflexio. . . . . » 49
- Determinatio et Combinatio. . . . » 50

Articulus II. De Iudiciis.

Iudicium, Enunciatio logica quid? . . . . . §. 51
Propositio logica et rhetorica an distinguendae?
Partes Iudicii constitutivae sunt: Materia et Forma. . . . . » 52
Propositiones logicae perfectae et imperfectae, seu crypticae.
Quadruplex Iudicii cuiuslibet Forma, quoad QqRM. . . . . » 53

Formae Iudicii.

- Quantitas.
  - Iudicium singulare, seu, individuale. » 54
  - ——— particulare, speciale, s. plurat.
  - ——— universale s. generale.
  - Iudicium designat. et indesignat. quid?
- Qualitas.
  - Iudicium affirmativum s. positivum. » 55
  - ——— negativum.
  - ——— negativo-affirmativum, s. limitativum.
  - Iudicia infinitane, an finita.
  - Designatio Q et q. Iudic. literis Alph. » 56
- Relatio.
  - Iudicium categoricum. . . . . » 57
  - ——— hypotheticum.
  - ——— disiunctivum.
  - Iudd. hyp. et disi. quoad Q et q quâlia?
- Modalitas.
  - Iudicium problematicum. . . . . » 58
  - ——— assertorium.
  - ——— apodicticum.
  - Formae Iudicii cuiusque originariae quot? . . . . . » 59

Formae Enunciationum.

Simplices, et. . . . . » 60
compositae, seu, exponibiles, et quidem
a) manifeste compositae, ut copul. et comparativae.
b) occulte compositae, ut exclus. et except. restrict. et redupl.

Relatio Iudiciorum.

- Identitas.
  - Iudicia identica, paria, aequipollent. 61, 62
  - ——— diversa.
  - ——— absolute et relative identica.
- Subalternatio.
  - Iudicium subalternans. . . . . » 63
  - ——— subalternatum.
  - Subalternatio in Iudd. categ. hyp. et disi.
- Oppositio.
  - contradictoria. . . . . » 64
  - contraria.
  - An Subcontrarietas locum habet?
- Conversio.
  - Immutata, simplex, s. simpliciter. talis. » 65
  - mutata
    - per accidens.
    - per contrapositionem.
- Quaestiones et Responsiones. . . . . » 66

Appendix.

Iudicia analyt. et synth. — theoret. et pract. — demonstr. et ind. — Subi. et Obi. . . » 67
Axioma, Postulatum, Theorema, Problema, Coroll. Empeirema, Hypothesis, Lemma, Scholion. . . . . » 68

Articulus III. De Ratiociniis.

Concludere. Ratiocinium. Syllogismus, Syllogistica quid? . §. 69
Ratiocinari, inest in Consecutione, ex Ratione logica elicita. » 70
Partes Ratiocinii sunt: Praemissae et Conclusio. . . . . » 71
Materia et Forma Ratiocinii. . . . . » 72
Necessitas duarum Praemissarum. . . . . » 73
Tres cardinales Ennunciationes, Maior, Minor et Conclusio. » 74
Supremum Syllogisticae Principium. . . . . » 75
Cognitio particularis per Universale determinatur. . . . . » 76
Forma ratiocinandi interna triplex. . . . . » 77

Syllogismus formalis.
- categoricus.
  - Forma. . . . . » 78
  - Principium. . . . . » 79
  - Regulae speciales. . . . . » 80
- hypotheticus
  - Forma. . . . . » 81
  - Principium. . . . . » 82
  - Regulae speciales. . . . . » 83
- disiunctivus
  - Forma. . . . . » 84
  - Principium. . . . . » 85
  - Regulae speciales. . . . . » 86
- Dilemma, Trilemma, Tetralemma. . . . . » 87

Formae Syllogismorum contingentes, seu externae. . . . . » 88
Syllogismi formales et Non-formales. 89, 90

Syllog. Non-formalis.
- abbreviatus.
  - Syllogismus contractus. 91, 92
  - Syllog. decurtatus. . . . . » 93
- immediatus.
  - Syllogismus Pariationis. 94, 95
  - ———— Subalternationis. . . . » 96
  - ———— Oppositionis. . . . . » 97
  - ———— Conversionis. . . . . » 98
  - ———— Modalitatis. 99, 100

Syllogismi extraordinarii. . . . . » 101
Forma Syllogismi categorici orginaria. . . . . » 102
Mutabilitas Formae ordinariae Syllogismorum. . . . . » 103
Quatuor usitatae Syllogismorum Formae. . . . . » 104
Septem Figurae Syllogisticae. . . . . » 105

Reductio Syllogismorum.
- Modi primae Figurae antiquae. 106, 107
- Modi et Reductio primae novae Figurae. . . » 108
- Modi et Reductiones reliquarum. . . . . » 109
- Reductiones Syllogismi hipothet. et disiunctivi. . » 110

Monosyllogismus et Polysyllogismus. 111, 112

Polysyllogismi species.
- Epicherema. . . . . » 113
- Sorites. . . . . » 114

Syllogismi recti et fallaces. . . . . » 115

Sophismata.
- Amphiboliae. . . . . » 116
- Fictae Universalitatis, et falsi medii. . . . . » 117

Sectio II. Methodologia Pura.

Caput I. De Methodo in genere.

Caput. II. Fundamentales, cogitationes tractandi conditiones.

Conceptus Methodi. . . . . §. 118

Aggregatum et Systema quid? . . . . . » 119

Methodus analytica et synthetica. . . . . » 120

Argumentum Methodologiae. . . . . 121 a.

Definitio.
- Declaratio, seu, Definitio quid? . . . . . 121 b.
- ——————— explicans, definiens, describens. . » 122
- Definitiones nominales et genericae.
- Declaratio primaria et secundaria.
- Regulae Definitionis. . . . . » 123

Divisio.
- Divisio. Totum divisum. Membra dividentia. . » 124
- An Divisio mera Analysis est? Fundam. divid.
- Num a Divisione Distinctio differt?
- Partitio idealis. Dispositio.
- Divisio bimembris et multimembris. . . . . » 125
- Classificatio. Forma tabellaris.
- Regulae Divisionis. . . . . » 126

Argumentatio.
- Argumentum. Argumentatio quid? . . . . . » 127
- ——————— primarium, et secundarium.
- Principia absoluta et relativa.
- Materia. Forma. Vis Argumentationis. . . . » 128
- Argumentatio pura et empirica. . . . . » 129
- ——————— directa et indirecta. . . . . » 130
- Argumenta apodictica et probabilia. . . . . » 131
- Demonstratio. Probatio probabilis et rabulistica.
- Argumentatio simplex et composita. . . . . » 132
- ——————— formalis et completa, non formalis et incompleta.
- Regulae Argumentationis. . . . . » 133

Vitia Argument.
- Petitio Principii.
- Sophisma Ignor. et Mutationis Elenchi.
- Circulus.
- Saltus in argumentando.
- Parum, aut nimium probare.

Pars. II. Logica Applicata.

Sectio. I. Doctrina elementaris applicata.

Cap. I. Pathologia Logica.

Cap. II. Therapeutica Logica.

Logica applicata quid? . . . . . §. 134
——— ——— Anthropologicane logica dici posset? . . . » 135
Argumentum Logicae elementaris applicatae.
Illusio logica quid? . . . . . » 136
Aesthetica et logica.

Pathologia.
- sensibiles et aesthetici. . . . . » 137
- sensus externi. . . . . » 138
- sensus interni. . . . . » 139
- Memoria, Imaginatio, Reminiscentia. » 140
- Memoria fons erroris. . . . . » 141
- ——— ampla, facilis, tenax, fidelis, potens et valida.
- Errores.
  - Vis Imaginandi. . . . . » 142
    Facultas fingendi.
  - Vis Reminiscendi. . . . . » 143
  - Associationis Repraesentationum. . » 144
  - Linguae. Errores Symbolici. . . » 145
  - Facultatis Mentis connitendi. Errores pathologici. . . . » 146
  - Externarum circumstantiarum. . . » 147
  - Facultatis iudicandi. . . . . » 148
- Error principialis, s. radicalis. . . . . » 149
  Praeiudicia.
- Errores originarii et derivati. . . . . » 150
- ——— theoretici et practici.

Therapeutica.
- Error, evitabilisne, an minus? . . . . . » 151
- Remedium Erroris duplex. . . . . » 152
- Remedia Errorum.
  - praeservativa. . . . . » 153
  - sanativa. . . . . » 154
  - sensus externi. . . . . » 155
  - sensus interni. . . . . » 156
  - ex linguis contractorum. . . . . » 157
  - ex immorali indole contractorum. . » 158
  - ex externis circumstantiis contract. » 159
- Resultatum Remediorum Erroris. . . . . » 160

Sectio. II. Methodologia Applicata.

Caput I. De adquirendis cognitionibus.

Conceptus Methodologiae applicatae et partes. . . . . §. 161
Fons Cognitionis? Experientia quid? . . . . . » 162
Obiecta empirica secundum quas Leges diiudicanda? . . . » 163
Facultas iudicandi subsumens et reflectens. . . . . » 164
Quomodo viReflexionis aParticulari adUniversale concludendum? » 165
Vis Praesumtionis logicae in Reflexione instituenda. . . . . » 166

Functio Reflexionis.
- Inductio eiusque Principium. . . . . » 167
- Analogia, eiusque Principium. . . . . » 168
- Character Cognitionis ex Induct. et Anal. adquirendae. 169
- Experientia propria et peregrina. . . . . » 170
- Observationes et Experimenta. . . . . » 171
- Testimonia et Fides historica. . . . . » 172
  - Obiectum et Vis Testimonii historici.
  - Characteres Fidedignitatis Testium.
  - Fama. Rumor. Traditio.
- Meditatio. An necessaria? . . . . . » 173
  - Meditatio immediata, mediata. . . 174,175
- Auditio aliorum. . . . . » 176
- Lectio, eiusque Partes. . . . . » 177
- Critica. . . . . » 178
  - ——— altior, s. interna, infer. et externa, univ. et part.
  - Auctoritas historico-critica et grammatico-critica.
- Hermeneutica, univ. et part. . . . . » 179
  - Principium Hermeneuticae.
  - Interpretationis Instrumenta.
- Methodica Lecturae. Polyhistoria, Polymathia. . » 180

Caput II. De Communicatione Cognitionum.

Communicatio Cognitionum simplex et reciproca. . . . . » 181
Institutio vocalis et scripta. . . . . » 182

Methodus didactica.
- interna. . . . . » 183
- analytica et synthetica. . . . . » 184
- erudita s. scientifica et popularis.
- scholastica, acroamatica, s. esoterica et exoterica.
- externa. . . . . » 185
- aphoristica, parabolica, aenigmatica, epist. dial.
- fragmentaria s. rhapsodica, et cohaerens.
- erotematica
  - examinatoria.
  - catechetica s. socratica.

Collocutio, seu, Logica contentio. Finis eius. . . . . » 186
Colloquium privatum et disputatio solennis.
Colloquiumne disputationi, an haec illi praeferenda?
Defendere. Oppugnare. Refutare. Refutatio ad hom. et Verit.
Regulae Disputationis.

Introductio.

Conceptus Metaphysicae et Nomen. . . . . §. 1
Origo Nominis. Vis ac pot. eius prisca et hodierna.
Universale Metaphysicae Problema.
Para cognitionis Forma. Definitio Metaphysicae.
Differentia Metaphysicae a Logica. Pretium Metaph. . » 2
Metaphysica Naturae et Morum sec. Kantium. . . . » 3
Metaphysica Pura et Applicata. Divisio antiqua. . . » 4
Distributio Metaphysicae Purae, seu Ontologiae. . . » 5

Natura Cognitionis.

Cognitio, qua Factum Consc. Materiale Metaph. Princip. » 6
Cognoscere. Obiectum Cognitionis. Sumtio Realitatis. » 7—9
Realitas est Repraesentat. originaria. Indemonstrabilitas. » 10
Elementa Cognitionis 70 Subiectivum et Obiectivum. » 11
Mutua Obiecti et Subiecti Cognitionis Relatio. . . . » 12
Lex Cognitionum fundament. s. Princip. Metaph. formale. » 13
Realitas Principii form. quomodo evincenda?
Conceptus Entis per se. Problema cognit. Entis per se.
Phaenomenon quid? an in vana specie inest?
Res. s. Ens per se s. Noumenon sensu duplici.
Idealismus transcendentalis. Ideal. Fichteanus.
Tres Facultatis cognoscendi Potentiae s. Ambitus. . . » 14

Caput. I. Analytica Sensualitatis.

Natura Sensualit.

Affectio. Intuitio. Sensatio. Sensus externus et intern. » 15
Modus ad Perceptiones perveniendi quis?
Forma et Materia sensualitatis. . . . . » 16
Materia et Forma separabilesne?
Prioritas Repraesent. Formaene debetur an Materiae?
Repraesentationes sensibiles fiunt in S. et T. . . . » 17
Repraesentatio S. et T. quid? — Sententia Scholast. . » 18

Repraesentationes S. et T.

S. et T. non sunt res subst. — neque proprietates rerum — non sunt Conceptus relativi — neque Repraesent. confictae. . . . . » 19
Repraesent. S. et T. sunt originariae intuendi Formae. » 20
In S. externa tantum: in T. et externa et interna repraes.
S. et T. sunt purae — sensibiles — universales et necessariae Repraesentationes. . . . . » 21
S. et T. cur tales Repraesentationes?
Idealitas et Realitas S. et T.
S. et T. ad sola sensibilia referuntur.

Praedicab. Sensual.

Tres Sensualitatis Categoriae. . . . . » 22
Tabula Categor. Aristotelico-scholastica.
Extensio, Locus, Duratio an cum Categoriis identicae?
Longitudo. Latitudo. Profunditas. Praes. Praet. Fut. » 23
S. et T. absol. ac relat. — completum ac vacuum. . . » 24, 25
Locus. Duratio. Extensio spatiosa et temporalis. Motus. » 26—28
S. et T. intermedium. Situs. Simultaneitas. Successio.
Prius. Posterius. . . . . » 29, 30
Praedicabilia Sensualitatis quid?
Quae sunt, quae ex antiqua Cat. Tabula huc pertinent?
Sententia Leibnitiano-Wolfiana de Repraes. Sensualit.

Functiones Intellectus.

Metaphysica Intellectus consideratio. . . . . §. 31
Forma et Materia Intellectus ac Conceptuum. . . . » 32
Triplex Facultatis cognoscendi operatio. . . . . » 33
Separatio Functionum cogitandi ubi locum habet?
Synthetica s. obiectiva Intellectus Unitas.
Iudicium metaphysicum, aut syntheticum est, aut analyt. 34
Iudicare quid? quot modis fit actus iudicandi?
Iudicia synthetica originaria et relative talia.
Dissidium de Iudiciis syntheticis.
Originariae Conceptuum Formae ex Formis Iudiciorum exsistunt. . . . . » 35
Quid hic Logica in subsidium Metaphysicae praestat?

Categoriae.

Quomodo Obiectum cogitamus? Categoriae quid? . » 36
Quatuor Categoriarum Classes. . . . . » 37
Categoriae Quantitatis quae? . . . . . » 38
Quid eae innuunt? unde tertia Categoria exsistit?
Categoriae Qualitatis quae? . . . . . » 39
Quid eae innuunt? unde tertia Categoria exsistit?
Positio Qualitatis, an cum Realitate identica?
Categoriae Relationis quae? . . . . . » 40
Quid eae innuunt? unde tertia Categoria exsistit?
Categoriae Modalitatis quae? . . . . . » 41
Quid eae innuunt? unde tertia Categoria exsistit?
Categ. Actualitatis an cum Posit. et Realit. identica?
Systematica omnium Categoriarum Tabella quae? . . » 42
Categoriae, subiectivaene sunt determinationes?
Distributio Categoriarum an res mere arbitrii est?
Possuntne Categoriae realiter definiri?
Classes Categoriarum mathematicae et dynamicae.
Usus Tabulae Categoriarum formalisne, an materialis?
Decretum Scholast. de Entis Unitate, Veritate et Perfectione.

Schemata.

Categoriae purae et sensificatae quid? quid iis opus? » 43
Categoriae purae, quomodo possunt ad Obiecta emp. accommodari?
Schematismus et Conceptus schematisati quid sunt?
An sensificatione Categoriarum usus earum ampliatur?
Schema Categoriarum Quantitatis. . . . . » 44
Quomodo Schemata Quantitatis in nobis excitantur?
Schema Categoriarum Qualitatis. . . . . » 45
Quomodo Schemata Qualitatis in nobis excitantur?
Schema Categoriarum Relationis. . . . . » 46
Quomodo Schemata Relationis in nobis excitantur?
Schema Categoriarum Modalitatis. . . . . » 47
Quomodo Schemata Modalitatis in nobis excitantur?
Significationes του Aliquid, Nihili, Entis, Non Entis.

Praedicab.

Quantitatis. . . . . » 50—55
Qualitatis. . . . . » 56—60
Relationis. . . . . » 61—70
Modalitatis. . . . . » 71—77

Principia Cognitionis.	Princ. cognitionis humanae quid? Legalitas Naturae.	§. 78
	Coniunctio cogitationum cum Empiria, subiectivane est, an obiectiva?	
	An etiam, independenter a Perceptione empirica iudicamus, et cur id fieri oportet?	
	ObiectivaIudicior.a prioriValiditas,quare nititur?	
	RegulaeIntellect.coniungentis possuntne esse conditionesSyntheticae Conscientiae Unitatis?	
	Iudicia transcend. quid? Intellectus, cur Facultas iudicandi transcendentalis appellatur?	
	Prioritatem Iudiciorum transcendentalium, annon tollit Experientia, cuius ope ad eorum notitiam pervenitur?	
	Quid de Decreto Empirismi iudicandum?	
	Princ. Cognitionis quoad Quantitatem. Demonstratio	» 79
	———— q. Qualitatem. Demonstratio.	» 80
	———— q. Relationem. Demonstratio. Princ.Subst.—Caussal—etComm.	» 81
	———— q. Modalitatem. Demonstratio. Princ.Possib.—Actual.—Necessit.	» 82
	Physiologia transcendentalis.	» 83
	Natura quid? Leges transcendentales quid? Naturane Intellectui, an hic illi Leges praescribit? Divisio Legum Naturae transcendentalium.	
	Vacuum. — Saltus. — Casus. — Fatum quid?	» 84
	Demonstr. Enunc.: In Mundo non datur Vacuum.	
	———— In Mundo non datur Saltus.	
	———— Ex Nihilo nil fit, in nihilum etc.	
	———— In Mundo non datur Casus.	
	———— In Mundo non datur Fatum.	
Amphibolia Reflexionis.	Amphibolia Conceptuum Reflexionis logicorum.	» 85
	Enunciatio prima: Identitatis et Diversitatis.	
	———— secunda: Convenientiae et Repugnantiae.	
	———— tertia: Interni et Externi.	
	———— quarta: Materiae et Formae.	
	Quis error communis Enunciationibus his subest?	

Caput III. Analytica Rationis.

Conceptus Rationis.	Ratio, quâ Facultas Principiorum.	» 86
	——— quâ Fac. Condit. conditionatorum quaerendi.	» 87
	——— quâ Fac. το Absolutum,s.Incondit.quaerendi. Quid est Absolutum, et qualis Unitas?	» 88
Principia Rationis.	Ratio empirica, eiusque Principium subiectivum. Fundamentum Classificationis Generum, Specierum et Contin.	» 89
	Ratio pura, eiusque Principium obiectivum. Repraesentationes Rationis, cur Ideae transscendentales appellantur?	» 90
Idae Rationis.	Idea psychologica, cosmologica, et theologica.	» 91
	An το Absolutum theoretice cognosci potest?	

Pars II. Metaphysica applicata.

Sectio I. Metaphysica inferior.

Caput I. Hylologia metaphysica.

Introductio.

- Conceptus Metaphysicae applicatae. . . . . §. 92
- Partes Metaphysicae applicatae, Met. Inferior et Superior. . . . . » 93
- Conceptus Metaphysicae inferioris. . . . . » 94
- Differentia Somatologiae metaph. a Physica empirica. . . . . » 95
- Partes Metaphysicae inferioris. . . . . » 96

Materia.

- Materia quid? Status eius primitivus. . . . » 97 a.
  Chaos solidum, fluidum, neutralisatum.
  Materia primitiva, ut dynamica sumenda.
- Conceptus, Hylologiae, fundamentalis est Motus. » 97 b.
  Hylologia metaph. an doctrina empirica et mathematica est?
  Materia an secundum Categorias consideranda?
- In Materia, qua Mobili, Directio et Celeritas considerandae. . . . . » 98
  Spat. tou Mobilis pro infinite parvo sumendum.
- Motus et Quies quid? . . . . . » 99

Praedicata Motus.

- Directio et Celeritas Motus quid? . . . . . » 100
  Formula Motus mathematica unde exsistit?
- Continuitas Motus. Demonstratio. . . . . » 101
- Relativitas Motus ac Quietis. . . . . » 102
  An Spatium absolutum percipi potest?
- Motus rectilineus et curvilineus. . . . . » 103
- —— aequabilis et inaequabilis. — retardatus et acceleratus. . . . . » 104
- —— versatilis et progressivus. . . . . » 105
- —— simplex et compositus. . . . . » 106
- Vis motrix. . . . . » 107

Vis repulsiva.

- Vis repulsiva et attractiva. . . . . » 108
- Spatium completum. Impenetrabilitas. Vacuum. » 109
  Spatium occupare et complere an identica?
- Impenetrabilitas Materiae, quâ Resistentiae sequela. » 110
- Resistentia quâ Vis repulsivae sequela. . . . » 111
- Vis repulsiva, est Vis Materiae originaria. . . » 112
  Num Materia S. sola exsistentia complet?
- Gradus Vis repulsivae. Demonstratio. . . . . » 113
- Materia, per vim expansivam impenetrabilis est. » 114
  Impenetrabilitas Materiae absoluta et relativa.
  Penetrabilitas mechanica, chemica.
- Physica Materiae divisibilitas in infinitum. . . » 115
  Divisibilitas physica a mathem. distingu.

Vis attractiva.

- Vis attractiva est Vis Materiae originaria. . . » 116
- Vis repulsiva, quam vim originariam supponit?
- An Vis quaedam origin. motrix necess. sumenda?
- Vis repulsiva et attractiva an percipi possunt?
- Contactus physicus. Actio in distans. . . . . » 117
- Discrimen vis attractivae et repulsivae.
- Vis repulsiva est Vis superficiei, seu, Contactus. » 118
- Vis attractiva est Vis penetrans, seu, ultra Contactum. . . . . » 119
- Resultata Vis attractivae et repulsivae. . . . » 120
- Philosophia Naturae atomistica.
- ——————— dynamica.
- Utra alteri praeferenda?
- Elasticitas originaria. Gravitatio. . . . . » 121
- Elasticitas originaria et empirica.
- An Gravitas a Mat. gravifica deducenda?
- Communicatio Motus origin. Vim motricem requirit. . . . . » 122

Leges Motus.

- QuantitasMateriae. Massa, Corpus. QuantitasMotus. » 123
- Quantitas Motus unde aestimanda?
- Formula Quantitatis Motus mathematica.
- Quantitas Materiae a Quantitate Motus aestimanda. » 124
- Aestimatio Quantitatis Materiae an numerando, et mensurando possibilis est?
- Lex Subsistentiae materialis. . . . . » 125
- An Lex Subsistentiae materialis, a Lege Quantitatis Materiae differt?
- Lex Inertiae Materiae. . . . . » 126
- Caussa mutationum mater. internane an externa?
- Obiectiones.
- Vis Inertiae. Vis mortua. Hylozoismus.
- Lex Antagonismi Materiae. . . . . » 127
- An Actio et Reactio in omni Mat. locum habet?
- Actio et Reactio an aequales?
- Communicatio Motus quomodo concipienda?
- Lex Continuitatis mechanicae. . . . . » 128
- Unde constat Motum sensim fieri?

Praedicata Motus modalia.

- Relatio Motus ad Facultatem cognoscendi. . . » 129
- Motus rectilin. est possibile Corporis Praedicatum. » 130
- Motus curvilineus est actuale Corporis Praedicatum. . . . . » 131
- In Motu curvilineo, qualis Subiecti percipientis situs sumendus est?
- Motus reciprocus est necessarium Corporis Praedicatum. . . . . » 132
- Motusne relativus an absolutus in Motu reciproco cogitandus?
- In S. absoluto quotuplicia liceat cogitare Vacua? exstantne illa?

Caput II. Organologia metaphysica.

Vis Naturae mechanica.

- Totum Naturae quid? . . . . . §. 133
- Cosmogoniae et Geogoniae. . . . . » 134
- Vis Naturae originarie formativa. . . . . » 135
- Crystallisatio. Organisatio. Nisus format. Technicismus Naturae. . . . . » 136
  - Sola vis Materiae formativa an aliquid organici efficit?
  - An Vis formativa, a Nisu formativo s. vi organica differt?
  - An Crystallisatio, pro imperfecta organisatione habenda?

Vis Naturae organica.

- Natura, quâ Totum organicum. . . . . » 137
  - Organismus individualis, et universalis.
- Vita. Vis vitalis. Sanitas. Morbus. Mors. . . » 138
  - Vis vitalis, an a vi organica diversa?
  - Natura, ut Totum quoddam vivum, cogitanda.
  - Ullane in Natura Mors obtinet? Palingenesia.
- Organisatio originaria. . . . . » 139
  - Unane necessario Organisatio originaria sumenda?
- Vis altrix, reproductrix, genitrix. Sexus. . . » 140
  - Vis organica dupliciter efficax.
  - Occasionalismus. Praestabilismus. Epigenesis.
  - Generatio univoca, et aequivoca.

Classificatio Productorum Naturae.

- Classificatio Productorum Naturae. . . . . » 141
  - Systema Physiographiae naturale et artificiale.
  - Quaelibet Physiographiae Classificationes sunt imperfectae.
- Tria Naturae Regna. . . . . » 142
  - Discrimen Animalis et Plantae distincte constituere non caret difficultate.
  - Sumtio Animae Mundi, est id genus Hypothesis, quae defendi non potest.
  - Consveta trium Naturae Regnorum distributio an logice recta?
- Discrimen Hominis et brutorum. Perfectibilitas et Progenies Hominis. . . . . 143 a.
  - Homo, a reliquis Animalibus, an solis physicis criteriis distinguitur?
  - An Homo recte dicitur inermis?
- Vita Plantarum, — Animalium — Hominis. . 143 b.
  - Homo eminenter vivit, neque tamen dicendum: solum hominem vivere, et Naturam esse mortuam.
  - Sententia Antiquorum.

Caput III. Teleologia metaphysica.

Finalitas Naturae.

- Finalitas organicorum Naturae Productorum. . §. 144
  - Entia organica, eminenter, in se sunt finalia.
  - Artefacta humana organisata sunt, non organica.
  - Naturae Productum, teleologice consideratum, est simul Producens.
- Finalitas Naturae universè. . . . . » 145
  - Teleologica Naturae consideratio annonPhysicae periculosa, ut Baco questus est?
  - Technica naturalis et intentionalis.
  - Transscendentalismus teleologicus.
- Subordinatio Rerum naturalium teleologica. . . » 146
- Finalitas rerum inorganicarum, quoad organicas. » 147
  - Lunam, solem, et reliqua corpora coelestia, quo consilio sumimus, a rebus creatis vivis inhabitari?
- Finalitas rerum irrationalium, quoad Entia rationalia. . . . . » 148
  - Difficultates contra Finalitatem Naturae.
- Homo, quâ Finis Naturae. Destinatio Hominis in Cultura eiusdem inest. . . . . » 149
  - Quae sunt Naturae instituta in homine, eiusque relatione ad Naturam externam, quibus ille ad Destinationem suam consequendam urgetur?
  - Sententia Russavii, intuitu Destinationis Hominis, an probanda?
  - An Destinatio, hominis, naturalis, in felicitate eius collocanda videtur?
  - Difficultas.
- Physico-teleologica, et ethico-teleologica hominis Destinatio quid?

Sectio II. Metaphysica sublimior.

Caput I. Psychologia metaphysica.

Introductio.

- Transitio ad Naturam suprasensibilem. . . . . §. 150
- Critica Naturae suprasensibilis Tractatio. . . . » 151
- Cur tot systemata, tamque varia nata in Psychologia?
- Partes Metaphysicae sublimioris. . . . . » 152

Conceptus Psychol. metaph.

- Differentia Psychologiae metaphysicae ab empirica. » 153
- Fundamentalis Psychologiae metaph. Enunciatio.
- Argumentum Psychologiae rationalis. . . . . » 154

Problemata psychologica.

- Substantialitas, Simplicitas, Identitasque Animi. » 155
- Critica Dogmatis huius illustratio.
- Critica reliquorum Dogmatum perlustratio.
- Immaterialismus s. Spiritualismus. . . . . » 156
- Duo spiritualismi argumenta empirica.
- Immaterialitas Animi sensu Veterum sumta.
- Materialismus, s. Antispiritualismus. . . . . » 157
- Cogitatio, Volitio, et aliae Animi actuositates possuntne ex proprietatibus Materiae explicari?
- Ex Dependentia actuositatum Animi a corpore, potestne Materialismus probari?
- Argumenta Materialismi universalia.
- Crassioris et subtilioris Materialismi discrimen.
- Dualismus psychologicus, transcendens, et empirico-criticus. . . . . » 158
- Dualismus anthropologicus.
- Monismus psychologicus, spiritualisticus, et materialisticus. . . . . » 159
- Tria alia Problemata psychologica. . . . . » 160
- Origo Animae. Creatiani. Traducani etc. . . » 161
- Diversarum opinionum Expositiones.
- Commercium Animi et Corporis. . . . . » 162
- Critica trium de Commercio Animi Corporisque Commercio Hypothesium illustratio.
- Aliae harum Hypothesium modificationes.
- Quaestio de Sede Animae, quam vim habet.
- Immortalitas Animi sensu speculativo. . . . » 163
- Ex Immaterialitate Animi potestne Immortalitas a priori probari?
- Immortalitas Animi sensu practico. . . . . » 164
- Practica Immortalitatis demonstratio, quam vim habet ad Quaestiones transcendentales?
- Psychologia, quâ Pneumatologia considerata. . » 165
- Quid de Quaestionibus pneumatologicis statuendum?

Caput II. Cosmologia metaphysica.

Conceptus Cosmologiae metaphysicae.	Differentia Cosmologiae metaphysicae ab empirica.	§. 166
	Repugnantia, in quam Ratio, in Metaphysica cosmologica secum implicatur. . . .	» 167
	An re vera ipsa sibi Ratio repugnat?	
	Series conditionum cosmologicarum.	» 168
	Ideae cosmologicae, seu, rationales Mundi Concept.	» 169
Problemata cosmologica.	Problemata cosmologica. Antithetica cosmologica.	» 170
	Quaelibet conditionum cosmologicarum series, quot modis potest institui, et quotuplici cum Rationis invitamento?	
	Quid est, quod in serie regress. finita, aut infinita pro Absoluto s. Incondit. cogitatur?	
	Intuitu Compositionis, — Divisibilitatis, — Ortus,—et Exsistentiae Phaenomenorum Mundi, quid quaerere licet, et quamobr?	
	Quot, ad quasque harum Quaestionum Responsiones possunt esse possibiles?	
	Quid est Antithetica cosmologica?	
	Primum Problema: Initum et limites Mundi. .	» 171
	Thesis. Mundus, quoad T. et S. finitus est.	
	Antithesis. Mundus, quoad T. et S. infinitus est.	
	Repugnantia isthaec unde exsistit?	
	Secundum Problema: Divisibilitas Materiae Mundi.	» 172
	Thesis. Substantiae materiales, ex finita partium simplicium copia constant.	
	Antithesis. Substantiae materiales ex infinita partium simplicium copia constant.	
	Repugnantia isthaec unde exsistit?	
	Tertium Problema: Determinismus et Indeterm.	» 173
	Thesis. Praeter caussas naturales dari debet in Mundo caussa quaedam libera.	
	Antithesis. Nullae liberae, sed merae caussae naturales dantur in Mundo.	
	Repugnantia isthaec unde exsistit?	
	Quid de Determ. et Indeterm., Libertate Contradictionis et Contrarietatis statuendum?	
	Quartum Problema: Necess. et Contingentia Exsist.	» 174
	Thesis. Ens quodpiam absolute necessarium ad Mundum pertinet.	
	Antithesis. Nullum Ens absolute necessarium pertinet ad Mundum.	
	Repugnantia isthaec unde exsistit?	
	Mundus, qua Complexus Phaenomenor. cognoscib.	» 175
	Pluralismus cosmologicus.	
	Optimismus cosmologicus.	
	Natura sensu materiali: Eventus naturalis. Cursus et ordo Naturae.	
	Extraordinarium. Praeter v. Supranaturale. Miraculum rigorosum.	

Caput III. Theologia metaphysica.

Conceptus Theologiae metaph.

- Differentia Theologiae met. a statutaria s. positiva. §. 176
- Theologia metaph. rectene Theol. naturalis vocitatur?
- Coniunctio Necessitatis inconditionatae cum summa Perfectione. . . . . » 177
- Ideale Rationis: Deus. . . . . » 178

Problemata theologica.

- Problemata metaphysico-theologica. . . . . » 179
  - Quomodo Ens perfectissimum colendum?
- Supernaturalismus et Naturalismus. . . . . » 180
  - Supernaturalismus triplex.
  - Naturalismus purus et mixtus.
- Argumenta Naturalismi pro Exsistentia Dei. . . » 181
  - Argumentum historicum cur non negligendum?
- Argumentum ontologicum. . . . . » 182
  - Critica illustratio.
- Argumentum cosmologicum. . . . . » 183
  - Critica illustratio.
- Argumentum physico — theologicum. . . . . » 184
  - Critica illustratio.
- Argumentum historicum. . . . . » 185
  - An Vis argumenti historici per hoc infringitur, quod fuerint Populi atheistici, — et qui theistici videbantur, eos tamen, non verum Deum novisse et coluisse certum est.
  - Infirmitas Argumenti historici in quo consistit?
  - Quid ex Argumento historico elucet, quod Theismo favet?
- Deismus s. Theismus. Atheismus. Pantheismus. » 186
  - Atheistae theoretici et practici.
  - Pantheismus. Epicureismus casualisticus.
- Attributa Dei. Anthropomorphismus. Idololatria. » 187
  - Obiectiva Attributorum Dei cognitio.
  - De Via caussalitatis, — Via negationis — et via Eminentiae quid statuendum?
  - An Anthropomorphismus intuitu practico noxius est?
- Attributa Dei originaria, et derivata — naturalia et moralia, — interna et externa. . » 188
  - Unitas. Simplicitas. Independentia s. Aseitas. Omnisufficientia. Omnipotentia. Omniscientia. Omnipraesentia. Aeternitas. Immutabilitas. Infinitas et Immensitas.
- Opera Dei. Creatio. Conservatio. Gubernatio. Providentia. . . . . » 189
  - An operaDeiRationi obiective cognoscibilia sunt?
  - Creatio, Conservatio, Providentia quid?

Aesthetica.

Pars I. Aesthetica Pura.

Sectio I. Ideologia aesthetica.

Introductio.	Conceptus Aestheticae, Nomenque. . . .	§.	1
	Scopus et Pretium Aestheticae, Modusq. eam petractandi.	»	2
	Aesthetica Pura et Applicata.	»	3
	Divisio Aestheticae Purae, in Ideolog., et Crimat.	»	4
	Partes Ideologiae: Calleologia, Hypseologia et Syngeneiologia.	»	5
Theoria Pulchri.	Complacentia, ut universale Pulchri criterium.	»	6
	Discr. Pulchri, a Iucundo et Utili — Vero et Bono.	»	7, 8
	Complac. Inviramento subiecta et tamen libera.	»	9
	Invitamentum sensibile, et intell. — aesth. — materiale et formale.	»	10—12
	Prima Pulchri Declaratio.	»	13
	Pulchritudo libera et inhaerens.	»	14
	Pulchrum pro Obiecto sensibili declaratum. .	»	15
	——————— sensus externi sumtum.	»	16
	——————— sensus interni consider.	»	17
	Externe et interne Pulchrum.	»	18
	Affinitas Complacentiae aesthet. cum sensib. et intellectu.	»	19
	Secunda Pulchri Declaratio.	»	20
	Relatio Pulchri ad originarias Animi vires. .	»	21
	Tertia Pulchri Declaratio.	»	22
	Ideale Pulchritudinis.	»	23
Theoria Sublimis.	Prima Sublimis Declaratio.	»	24
	Aestimatio Magnitudinis.	»	25
	Externe et interne — extensive et intens. Subl.	»	26
	Secunda Sublimis Declaratio.	»	27
	Relatio Sublimis ad originarias Animi vires.	»	28
	Tertia Sublimis Declaratio.	»	29
	Coniunctio Sublimis cum Pulchritudine. . .	»	30
Affinitas P. et S.	Argumentum et Ambitus Syngeneiologiae. .	»	31
	Syngen. calleol. Bellum, Venustum, Svave, Lepidum, Ornatum.	»	32—36
	Syng. hypseol. Magnum, Colossale, Nobile, Solenne, Patheticum, Permovens, Mirabile, Tragicum.	»	37—44
	Syng. enant. Deforme et Humile, Nauseosum, Ridiculum, Comicum, Absonum, Caricatura etc.	»	45—48

Sectio II. Crimatologia aesthetica.

Diiudicatio P. et S.	Character Iudicii aesthetici.	»	49
	Differentia Iudicii aesthetici et logici. . .	»	50
	Gustus respectu transcendentali et empirico.	»	51
	Regulae Gustus. Critica Gustus.	»	52
	Exemplar Gustus. Classicitas.	»	53
	Resultatum Doctrinae Gustus purae. . . .	»	54

Pars II. Aesthetica Applicata.

Sectio I. Calleotechnica universalis.

Introductio.	Transitio.	§.	55
	Aesthetica applicata, ut Calleotechnica consid.	»	56
	Distributio Aestheticae applicatae.	»	57
Ars Pulchri univ.	Ars. Scientia. Natura.	»	58
	Artes liberales et illiberales.	»	59
	Ars pulchra, obiective et subiective considerata.	»	60
	Facultas exhibendi.	»	61
	Ingenium. (Genie)	»	62
	Inspiratio, seu, Enthusiasmus.	»	63
	Expressio, Stylus, Modus agendi.	»	64
	Character aestheticus.	»	65
	Simplicitas, Veritas, et Moralitas.	»	66

Sectio II. Calleotechnica particularis.

Ars Pulchri part.	Artes pulchrae. Systema Artium pulchrarum.	»	67
	Tria Artium pulchrarum Regna.	»	68
	Duo Artium pulchrarum Ordines.	»	69
	Duo Artium pulchrarum Genera.	»	70
	Duae Artium pulchrarum Species.	»	71
	Distributio Calleotechnicae particularis. aut sic.	»	72
Calleotechnica. Tonica	Univeralis Regni Tonici consideratio.	»	73
	Ars Tonica. — Poësis. — Ars canendi.	»	74—76
	Ars loquendi. — Ars narrandi. — Ars Oratoria.	»	77—79
	De Artibus Tonicis universè.	»	80
Plastica	Universalis Regni Plastici consideratio.	»	81
	Ars statuaria — pictoria — hortensis.	»	82—84
	Architectura. — Calligraphia. — Numismatica.	»	85—87
	De Artibus Plasticis universè.	»	88
Mimica	Universalis Regni Minici consideratio.	»	89
	Ars Gesticulationum. — Ars saltandi. — Theatrica.	»	90—92
	Duellica. — Ars equitandi. — Ludus equestris.	»	93—95
	De Artibus Mimicis universè.	»	96
	Tabellaris omnium Artium pulchrarum Conspectus.	»	97

Elenchus Paragraphorum Philosophiae fundamentalis.

Philosophia fundamentalis.
Conspectus Philosophiae fundamentalis.
Prolegomena ad Philosophiam.

PARS I. Doctrina Elementaris.

Introductio.

§. 1. Initium philosophandi.
2. Status Agnosiae relativus.
3. Vis Agnosiae.
4. Partes Doctrinae Elementaris.

SECTIO I. Doctrina Elementaris Problematica.

5. Ego. Non-ego, seu, Mundus.
6. Subiectum repraesentans. Obiectum repraesentatum.
7. Animus et Corpus.
8. Facultates et Vires actuositatum Animi et Corporis.
9. Natura universa.
10. Exsistentia. Non-exsistentia. Spatium. Tempus.
11. *To* Substantiale. Accidentale. Caussa.
12. Possibile. Actuale. Necessarium.
13. Activa et passiva nostri determinatio.
14. Obligatio. Libertas. Coactio.
15. Ordo. Leges Actionum et eventuum.
16. Sentire. Cogitare. Ratiocinari.
17. Sensibile — Intelligibile.
18. Verum. Falsum. Iucundum. Utile. Honestum. Iustum.
19. Soliloquium Philosophaturi.

SECTIO II. Doctrina Elementaris Apodictica.

20. Transitio.
21. Quatuor Quaestiones Cardinales.
22. Argumenta Capitum Apodicticae.

CAPUT I. De Supremis Cognitionis Philosophiae Principiis.

23. Suprema philosophandi Principia quid sunt?
24. Principia Absoluta et relativa.
25. Investigationis Principiorum Problema.
26. Dari Principia suprema demonstrari non potest.
27. Nulla dari Principia suprema probari nequit.
28. Quid in hac ambiguitate faciendum?
29. An non Postulatum Principii supremi Hypothesim sapit?
30. Suprema Principia ubi quaerenda?
31. Principia philosophica, Reflexione ad interna deteguntur.
32. Quid hic praecipue determinandum?
33. Conceptus Principii Realis.
34. Conceptus Principii Idealis.
35. Differentia Principii realis atque idealis.
36. Quodnam est reale philosophandi Principium?
37. Transitio ad Principia Idealia.
38. Requisita Philosophiae.

§. 39. Principiorum idealium Duplicitas.
40. Materialium Principiorum Qualitas, et Locus originis.
41. Data Conscientiae Materialia.
42. Data Conscientiae, Reflexione elaboranda.
43. Prima Philosophantis Reflexio.
44. Quodnam est materiale philosophandi Principium?
45. Materialia philosophandi Principia sunt plura.
46. Formula supremi Principii materialis.
47. Transitio ad Principium philosophandi formale.
48. Altera Philosophantis Reflexio in quo consistit?
49. Actuositatum mentis uniformitas.
50. Quid sunt Principia formali-idealia?
51. Num ad Philosoph. constituendam Principio formali opus est?
52. Finis Philosophiae Principio formali annunciatur.
53. Supremus philosophandi finis qualis esse debet?
54. Formula supremi Principii formalis.

CAPUT II. De absolutis philosophandi Limitibus.

55. Synthesis Conscientiae empirica, seu particularis.
56. Synthesis Conscientiae empirica, Transscendentalem supponit.
57. Synthesis Conscientiae transscendent. est absolut. philos. limes.
58. Synthesis Conscientiae originaria, an comprehendi potest?
59. Duplex de Realitate Exsistentiae Problema.
60. Solutio Problematis duplex.
61. Prior Problematis solutio duos casus admittit.
62. Respectus Realismi, et Idealismi prognosticus.
63. Realismus sensu theoretico non est verum Systema.
64. Realismus sensu practico non est verum Systema.
65. Idealismus sensu theoretico verum Systema non est.
66. Idealismus sensu practico verum Systema non est.
67. Verum philosoph. Syst. in transscendentali Synthetismo inest.
68. Tria indemonstrabilia Synthetismi transscendentalis.

CAPUT III. De Forma originaria Actuositatis Mentis humanae.

69. Activae et passivae Mentis determinationes.
70. Determinationes Mentis empiricae et transscendentales.
71. Essentia Hominis.
72. Homo pure et empirice sumtus.
73. Triplices Mentis Determinationes originariae.
74. Forma agendi originaria Mentis humanae.
75. Facultas Mentis theoretica et practica.
76. Sensualitas. Intellectualitas. Rationalitas.
77. Sensualitas theoretica.
78. Sensualitas practica.
79. Intellectualitas theoretica.
80. Intellectualitas practica.
81. Ratio theoretica et practica.
82. Homo qua Ens liberum.

CAPUT IV. De supremo et ultimo Actuositatis Mentis fine.

83. Beatitas.

§. 84. Conditiones Beatitatis externae.

PARS II. Methodologia.

85. Introductio.

SECTIO I. Methodologia Didactica.

86. Argumenta Methodologiae didacticae.

CAPUT I. De Generib. Verihabit. Gradibusque Persuasionis.

87. Verihabitio.
88. Assensus Persuasionis.
89. Persuasio s. Convictio.
90. Varii Persuasionis Gradus.
91. Varii Conscientiae Gradus.
92. Persuasio certa et incerta.
93. Sufficientes Verihabitionis rationes.
94. Insufficientes Verihabitionis rationes.
95. Scientia.
96. Scientia empirica et rationalis.
97. Scientia mathematica et philosophica.
98. Scientia materialis et formalis.
99. Fides, — subiectiva et obiectiva.
100. Fides universalis.
101. Fides propria et historica.
102. Fides privata.
103. Fides communis.
104. Fides rationalis, theoretica et practica.
105. Fides historica, — materialis et formalis.
106. Fides historico-materialis.
107. Fides historico-formalis.
108. Fides erronea. Incredulitas. Credulitas. Superstitio.
109. Opinio.
110. Coniectura.
111. Probabilitas.
112. Probabilitas mathematica et dynamica.
113. Dubitatio. Suspensio Iudicii.
114. Dubium logicum et transscendentale.

CAPUT II. De Methodo Philosophandi.

115. Conceptus Methodi philosophandi.
116. Tres philosophandi Methodi.
117. Dogmaticismus.
118. Scepticismus.
119. Criticismus.

SECTIO II. Methodologia Architectonica.

120. Consilium Architectonicae.

CAPUT I. De Conceptu Philosophiae.

121. Conceptus Philosophiae qualis?
122. Cognitio philosophica qualis actus?
123. Cognitio empirica et rationalis.
124. Cognitio philosophica est rationalis.
125. Discrimen cognitionis philosophicae et mathematicae.

§. 126. Definitio Philosophiae.

CAPUT II. De Partibus Philosophiae.

127. Philosophia fundamentalis et derivativa.
128. Philosophia theoretica et practica.
129. Logica. Metaphysica. Aesthetica.
130. Ius Naturae. Ethica. Ethicotheologia.
131. Philosophia pura et applicata.
132. Tabellaris Partium Philosophiae Conspectus.

L O G I C A.

Conspectus Logicae.

Introductio.

1. Conceptus Philosophiae theoreticae.
2. Relatio Philosophiae theoreticae ad Philosophiam fundement.
3. Originaria Mentis humanae Persuasio triplex.
4. Principium Philosophiae theoreticae materiale.
5. Summus finis humanus. Princip. formale Philosophiae theoret.
6. Partes Phihosophiae theoreticae.
7. Conceptus Logicae.
8. Cogitatio mera. Cogitatio Obiecti.
9. Logica, — quâ Organon formale.
10. Logica universalis et particularis.
11. Logica pura et applicata.

PARS I. Logica Pura.

12. Divisio Logicae purae.

SECTIO I. Doctrina Elementaris Pura

CAPUT I. De Legibus cogitandi fundamentalibus.

13. Factum Conscientiae.
14. Obiectum Cogitationis.
15. Aliquid. Nihil.
16. Praedicata, s. Categoriae cogitandi.
17. Principium Identitatis absolutae.
18. Principium Positionis, s. Theseos.
19. Principium Oppositionis, s. Antitheseos.
20. Principium Coniunctionis, s. Syntheseos.
21. Logica, qua Organon formale.
22. Veritas. Criteria Veritatis.

CAPUT II. De Partibus Seriei Cogitationum constitutivis.

23. Elementa Cogitationis logica.

Articulus I. De Conceptibus.

24. Quid sunt Conceptus?
25. Generales Conceptuum Classes.
26. Quantitas Conceptuum.
27. Intensiva et extensiva Conceptuum Quantitas.
28. Conceptus simplex et compositus.
29. Conceptus individualis et capax.
30. Qualitas Conceptuum.
31. Claritas. Perspicuitas. Obscuritas. Imperspicuitas.
32. Claritas et obscuritas Conceptuum.

§. 33. Perspicuitas. Imperspicuitas. Confusio.
34. Perspicuitas intensiva et extensiva.
35. Perspicuitas primae, secundae, tertiae Potentiae.
36. Relatio Conceptuum.
37. Identitas et Diversitas Conceptuum.
38. Consensus et Repugnantia Conceptuum.
39. Internum et externum in Conceptu.
40. Materia et Forma Conceptuum.
41. Subordinatio et Coordinatio Conceptuum.
42. Conceptus superiores et inferiores.
43. Conceptus generalis et specialis.
44. Summum et infimum Genus. Genera media.
45. a) Differentia numerica, specifica, generica.
45. b) Principia Classificationis logicae.
46. Modalitas Conceptuum.
47. Conceptus possibilis et actualis.
48. Conceptus Contingentes et necessarii.
Appendix. De peculiaribus Intellectus Functionibus ad elaborationem Conceptuum necessariis.
49. Abstractio. Reflexio.
50. Determinare, combinare.

Articulus II. De Iudiciis.

51. Iudicium. Enunciatio.
52. Materia et Forma Iudicii.
53. Forma Iudiciorum.
54. Formae Quantitatis Iudiciorum.
55. Formae Qualitatis Iudiciorum.
56. Designatio Quantitatis et Qualitatis Iudiciorum.
57. Formae Relationis Iudiciorum.
58. Formae Modalitatis Iudiciorum.
59. Originariae Iudicandi Formae duodecem.
60. Formae Enunciationum.
61. Relationes Iudiciorum et Enunciationum.
62. Identitas et Diversitas Iudiciorum.
63. Subalternatio Iudiciorum.
64. Oppositio Iudiciorum.
65. Conversio Iudiciorum.
66. Quaestiones et Responsiones.
Appendix. De quibusd. peculiaribus Iudiciorum et Enunciationum Denominationibus, quoad eorum vim et charact. scientif.
67. Internus Iudiciorum valor.
68. Scientificus Iudiciorum character.

Articulus III. De Ratiociniis.

69. Syllogismus. Syllogistica.
70. Consequens. Consecutio, seu, Consequentia.
71. Partes Ratiocinii.
72. Materia et Forma Ratiocinii.
73. Necessitas duarum Praemissarum.

§. 74. Necessitas, trium cardinalium Enunciationum.
75. Supremum Syllogisticae Principium.
76. Cognitio particularis et universalis.
77. Categorica, hypothetica et disiunctiva ratiocinandi Forma.
78. Forma Syllogismi categorici.
79. Principium Syllogismi categorici.
80. Speciales Syllogismi categorici Regulae.
81. Forma Syllogismi hypothetici.
82. Principium Syllogismi hypothetici.
83. Speciales Syllogismi hypothetici Regulae.
84. Forma Syllogismi disiunctivi.
85. Principium Syllogismi disiunctivi.
86. Regulae Syllogismi disiunctivi speciales.
87. Dilemma.
88. Contingentes Syllogismorum Formae.
89. Syllogismi formales.
90. Syllogismi non formales.
91. Contractio et Decurtatio Syllogismorum.
92. Syllogismus contractus.
93. Syllogismus decurtatus.
94. Syllogismi immediati.
95. Syllogismi Pariationis, s. Aequipollentiae.
96. Syllogismi Subalternationis.
97. Syllogismi Oppositionis.
98. Syllogismi Conversionis.
99. Syllogismi Modalitatis.
100. Systema Syllogismorum immediatorum.
101. Syllogismi extraordinarii.
102. Ordinaria Syllogismi categorici Forma.
103. Mutabilitas Formae ordinariae Syllogismorum.
104. Quatuor usitatae Syllogismorum Formae.
105. Septem Figurae syllogisticae.
106. Reductio Syllogismorum.
107. Modi primae figurae antiquae.
108. Modi et Reductio primae novae Figurae.
109. Modi et Reductiones reliquarum Figurarum.
110. Reductio Syllogismorum hypotheticorum et disiunctivorum.
111. Monosyllogismus, Pollysyllogismus.
112. Syllogismi manifeste et occulte compositi.
113. Epicherema.
114. Sorites.
115. Syllogismi recti et fallaces.
Appendix. De peculiaribus falsorum Syllogismorum Speciebus.
116. Sophismata Amphiboliae.
117. Sophismata fictae universalitatis et falsi medii.

SECTIO II. Methodologia Pura.

CAPUT I. De Methodo in genere.

118. Conceptus Methodi.

119. Aggregatum et Systema.
120. Methodus analytica et synthetica.
121. a) Argumentum Methodologiae.

CAPUT II. De Conditionibus fundamentalibus methodicae Cogitationum Tractationis.

Articulus I. De Definitionibus.

121. b) Declaratio.
122. Declarationes. Definitiones et Descriptiones.
123. Regulae Definitionis.

Articulus II. De Divisionibus.

124. Divisio. Divisum.
125. Membra Divisionis.
126. Regulae Divisionis.

Articulus III. De Argumentationibus.

127. Argumentatio. Argumentum.
128. Materia, Forma, et vis Argumentationis.
129. Argumentatio a priori, et a posteriori.
130. Argumentatio directa et indirecta.
131. Argumenta apodictica, et probabilia.
132. Argumentatio simplex et composita.
133. Regulae Argumentationis.

PARS II. Logica Applicata.

134. Partes Logicae applicatae.

SECTIO I. Doctrina Elementaris applicata.

135. Partes Doctrinae Elementaris applicatae.

CAPUT I. Pathologia Logica.

136. Illusio logica.
137. Errores sensibiles, s. vitia subreptionis.
138. Sensus externus.
139. Sensus internus.
140. Memoria. Imaginatio. Reminiscentia.
141. Memoria Fons Erroris.
142. Vis imaginandi, seu Phantasia.
143. Vis reminiscendi.
144. Associatio Repraesentationum.
145. Lingua.
146. Facultas mentis connitendi, s. appetendi.
147. Externae Hominis Circumstantiae.
148. Verus Erroris Fons.
149. Error principalis, s. radicalis.
150. Errores originarii et derivati.

CAPUT II. Therapeutica Logica.

151. Error evitabilisne, an inevitabilis?
152. Duplex Erroris remedium.
153. Remedia Erroris praeservativa.
154. Remedia Erroris sanativa.
155. Remedia Errorum sensus externi.
156. Remedia Errorum sensus interni.

§. 157. Remedia Errorum ex Linguis contractorum.
158. Remedia Errorum ex immorali indole contractorum.
159. Remedia Errorum externis circumstantiis contractorum.
160. Resultatum Remediorum Erroris.

SECTIO II. Methodologia applicata.

161. Partes Methodologiae.

CAPUT I. De adquirendis Cognitionibus.

162. Experientia Fons Cognitionis.
163. Obiecta empirica secundum Leges diiudicata.
164. Functiones Facultatis iudicandi.
165. Concludendi ratio a particulari ad universale.
166. Logica, quae hic obtinet, Praesumtio.
167. Inductio, eiusque Principium.
168. Analogia, eiusque Principium.
169. Character Cognitionis Inductione et Analogia comparatae.
170. Propria nostri et peregrina Experientia.
171. Observationes et Experimenta.
172. Testimonia, et Fides historica.
173. Meditatio.
174. Meditatio immediata.
175. Meditatio mediata.
176. Auditio aliorum.
177. Lectio. Critica. Hermeneutica.
178. Critica.
179. Hermeneutica.
180. Methodica Lectura.

CAPUT II. De Communicatione Cognitionum.

181. Institutio. Collocutio.
182. Institutio vocalis et scripta.
183. Methodus didactica.
184. Didactica analytica, synthetica, erudita et popularis.
185. Speciales Formae externae Methodi.
186. Collocutio, et Disputatio.

METAPHYSICA.

Conspectus.
Introductio.
1. Conceptus Metaphysicae et Nomen.
2. Differentia Metaphysicae a Logica, eiusque Pretium.
3. Metaphysica Naturae et Morum.
4. Metaphysica pura et applicata.

PARS I. Metaphysica Pura seu Ontologia.

5. Distributio Ontologiae.

SECTIO I. De Cognitione universe.

6. Cognitio qua Factum Conscientiae.
7. Cognitio. Obiectum Cognitionis.
8. Sumtio Realitatis του cogniti.
9. Vis ac Potestas Sumtionis Realitatis του cogniti.
10. Realitas est Repraesentatio originaria.

§. 11. Elementa Cognitionis.
12. Mutua Obiecti et Subiecti Cognitionis-Relatio.
13. Lex Cognitionis universè.
SECTIO II. De variis Facultatis cognoscendi Ambitibus.
14. Tres Facultatis Cognoscendi Ambitus, s. Sphaerae.
CAPUT I. Analytica Sensualitatis.
15. Perceptio. Intuitio et Sensatio. Sensus.
16. Forma et Materia Sensualitatis.
17. Repraesentationes sensibiles fiunt in Spatio et Tempore.
18. Repraesentatio Spatii et Temporis.
19. Spatium et Tempus negative determinata.
20. Spatium et Tempus positive determinata.
21. Repraesentationes Spatii et Temporis, ut purae, sensibiles, universales et necessariae Repraesentationes.
22. Categoriae s. Praedicamenta Sensualitatis.
23. Dimensiones Spatii et Temporis.
24. Spatium et Tempus absolutum et relativum.
25. Spatium et Tempus completum et vacuum.
26. Locus. Duratio.
27. Extensio spatiosa, et temporalis.
28. Motus.
29. Spatium et Tempus intermedium.
30. Situs. Simultaneitas. Successio. Prius. Posterius.
CAPUT II. Analytica Intellectus.
31. Metaphysica Intellectus Consideratio.
32. Forma et Materia Intellectus et Conceptuum.
33. Triplex Facultatis cognoscendi Operatio.
34. Metaphysicum Iudicii synthetici et analytici Discrimen.
35. Relat. Formae Concept. originariae, ad originar. Iudic. Formas.
36. Categoriae Intellectus, quà originarii s. primitivi eius Concept.
37. Quadruplex Categoriarum Intellectus detegendarum ratio.
38. Categoriae Quantitatis.
39. Categoriae Qualitatis.
40. Categoriae Relationis.
41. Categoriae Modalitatis.
42. Systematica omnium Categoriarum Tabella.
43. Schemata Categoriarum.
44. Schema Categoriarum Quantitatis.
45. Schema Categoriarum Qualitatis.
46. Schema Categoriarum Relationis.
47. Schema Categoriarum Modalitatis.
48. Aliquid et Nihil. Ens et Non-ens.
49. Praedicabilia Intellectus.
50. Magnitudo. Pars. Totum.
51. Aequalitas. Inaequalitas. Magnitudo. Parvitas.
52. Extensiva, intensiva, protensiva Magnitudo.
53. Continua, discreta Magnitudo.
54. Homogeneitas. Heterogeneitas. Similitudo. Dissimilitudo. Congruentia. Incongruentia.

§. 55. Mensura, mensurare, numerare. Immensurabile. Innumerabile. Infinitum. Finitum.
56. Magnitudo Qualitatis. Gradus.
57. Limites. Termini.
58. Incrementum et Decrementum Magnitudinis.
59. Extensum reale. Figura.
60. Corpus mathematicum et physic. Superficies. Linea. Punctum.
61. Substantiale. Accidens. Duratio. Vicissitudo. Aeternitas.
62. Essentia. Essentiale. Extra-essentiale.
63. Substantia simplex, et composita. Monas. Atomos.
64. Caussalitas. Dependentia. Independentia.
65. Caussa sufficiens et insufficiens, — immediata et mediata, — coordinata et subordinata.
66. Caussa Conditionata et libera, s. inconditionata.
67. Finis. Consilium. Caussa finalis et efficiens. Medium s. Instrum.
68. Efficacia. Vis.
69. Influxus. Reactio. Actio. Passio.
70. Antagonismus Substantiarum.
71. Possibilitas interna et externa, inconditionata et conditionata.
72. Exsistentia. Mundus.
73. Ortus. Interitus. Eventus. Factum. Initium. Finis.
74. Status. Mutatio. Modificatio.
75. Necessitas interna, s. inconditionata, externa s. conditionata.
76. Contingentia.
77. Conditio. Conditionatum. Series.
78. Principia Cognitionis humanae. Legalitas Experientiae.
79. Principium Cognitionis quoad Quantitatem.
80. Principium Cognitionis quoad Qualitatem.
81 Principium Cognitionis quoad Relationem.
82. Principium Cognitionis quoad Modalitatem.
83. Physiologia transcendentalis.
84. Vacuum. Saltus. Casus. Fatum.
85. Amphibolia Conceptuum Reflexionis logicorum.

CAPUT III. Analytica Rationis.

86. Ratio, quâ Facultas Principiorum.
87. Ratio, quâ Facultas conditionem conditionatorum quaerendi.
88. Ratio, quâ Facultas το Absolutum s. Inconditionatum quaerendi.
89. Ratio empirica, eiusque Principium subiectivum.
90. Ratio pura, eiusque Principium obiectivum.
91. Idea psychologica, cosmologica et theologica.

PARS II. Metaphysica applicata.

Introductio.

92. Conceptus Metaphysicae applicatae.
93. Partes Metaphysicae applicatae.

SECTIO I. Metaphysica inferior.

94. Conceptus Metaphysicae inferioris.
95. Differentia Somatologiae metaphysicae a Physica empirica
96. Partes Metaphysicae inferioris.

CAPUT I. Hylologia Metaphysica.

§. 97. a) Conceptus Materiae, Statusque eius primitivus.
97. b) Conceptus fundamentalis Hylologiae est Motus.
98. Sola Materiae Mobilitas.
99. Motus. Quies.
100. Directio et Celeritas Motus.
101. Continuitas Motus.
102. Relativitas Motus.
103. Motus rectilineus et curvilineus.
104. Motus aequabilis, inaequabilis, retardatus, et acceleratus.
105. Motus Versatilis et progressivus.
106. Motus simplex et compositus.
107. Vis motrix.
108. Vis repulsiva s. expansiva, attractiva s. compressiva.
109. Spatium completum. Impenetrabilitas. Vacuum.
110. Impenetrabilitas, quâ Resistentiae sequela.
111. Resistentia, quâ vis repulsivae sequela.
112. Vis Materiae repulsiva est originaria s. essentialis.
113. Gradus vis repulsivae.
114. Materia per vim expansivam impenetrabilis est.
115. Physica Materiae divisibilitas in Infinitum.
116. Vis attractiva Materiae, est essentialis s. originaria.
117. Contactus Physicus. Actio in distans.
118. Vis repulsiva, quâ vis superficiei s. Contactus.
119. Vis attractiva, quâ penetrans, s. ultra contactum.
120. Resultata vis attractivae et repulsivae.
121. Elasticitas originaria. Gravitatio.
122. Communicatio Motus.
123. Quantitas Materiae. Massa. Corpus. Quantitas Motus.
124. Quantitas Materiae, a Quantitate Motus aestimanda.
125. Lex Subsistentiae Materiae.
126. Lex Inertiae Materiae.
127. Lex Antagonismi Materiae.
128. Lex Continuitatis mechanicae.
129. Relatio Motus ad Facultatem cognoscendi.
130. Motus rectilineus, quâ possibile Corporis Praedicatum.
131. Motus curvilineus, quâ actuale Corporis Praedicatum.
132. Motus reciprocus, quâ necessarium Corporis Praedicatum.

CAPUT II. Organologia Metaphysica.

133. Totum Naturae.
134. Cosmogoniae et Geogoniae.
135. Vis Naturae originarie formativa.
136. Crystallisatio. Organisatio. Nisus formativus. Technicismus Naturae.
137. Natura, quâ Totum Organicum.
138. Vita. Vis vitalis. Sanitas. Morbus. Mors.
139. Organisatio originaria.
140. Vis altrix, reproductrix, genitrix. Sexus.

§. 141. Classificatio Productorum Naturae.
142. Tria Naturae Regna.
143. a) Discrim. homin. et brutorum. Perfectibil. et Progenies eius.
143. b) Vita Plantarum, Animalium, Hominis.

CAPUT III. Teleologia Metaphysica.

144. Finalitas Organicorum Naturae Productorum.
145. Finalitas Naturae universae.
146. Subordinatio rerum naturalium teleologica.
147. Finalitas rerum inorganicarum, quoad organicas.
148. Finalitas rerum irrationalium, quoad Entia rationalia.
149. Homo qua FinisNaturae.Destinat. hominis in cult. eiusd. inest.

SECTIO II. Metaphysica Naturarum suprasensualium, s. Metaphysica sublimior.

Introductio.

150. Transitio ad Naturam suprasensibilem.
151. Critica Naturae suprasensibilis Tractatio.
152. Partes Metaphysicae sublimioris.

CAPUT I. Psychologia Metaphysica.

153. DifferentiaPsychologiae metaphysicae,s.rational. ab empirica.
154. Argumentum Psychologiae rationalis.
155. Substantialitas. Simplicitas. Numerica Identitas Animi.
156. Immaterialismus, s. Spiritualismus.
157. Materialismus, s. Antispiritualismus.
158. Dualismus psychologicus, transscendens et empirico-criticus.
159. Monismus psychologicus, spiritualisticus, et materialisticus.
160. Tria alia Problemata psychologica.
161. Origo Animae. Creatiani. Traduciani etc.
162. Commercium Animi et Corporis.
163. Immortalitas Animi sensu speculativo.
164. Immortalitas Animi sensu practico.
165. Psychologia, qua Pnevmatologia considerata.

CAPUT II. Cosmologia Metaphysica.

166. Differentia Cosmologiae metaphysicae ab empirica.
167. Repugnantia, in quam Ratio, in Metaphisica cosmologica secum implicatur.
168. Series Conditionum Cosmologicarum.
169. Ideae cosmologicae s. rationales Mundi Conceptus.
170. Problemata Cosmologica. Antithetica cosmologica.
171. Primum Problem: Initium et limites Mundi.
172. Secundum Problema: Divisibilitas Materiae Mundi.
173. Tertium Problema: Determinismus et Indeterminismus.
174. Quartum Problema: Necessitas et Contingentia exsistentiae.
175. Mundus, qua Complexus Phaenomenorum cognoscibilium.

CAPUT III. Theologia Metaphysica.

176. Differentia Theologiae metaphysicae, a statuaria s. positiva.
177. Coniunctio Necessitatis inconditionatae cum summa Perfect.
178. Ideale Rationis: Deus.
179. Problemata Methaphysico-theologica.
180. Supernaturalismus, et naturalismus.

§. 181. Argumenta Naturalismi pro Exsistentia Dei.
182. Argumentum Ontologicum.
183. Argumentum Cosmologicum.
184. Argumentum physico-theologicum.
185. Argumentum historicum.
186. Deismus s. Theismus. Atheismus. Pantheismus.
187. Attributa Dei. Antropomorphismus. Idololatria.
188. Attributa Dei originaria et derivata, — naturalia et moralia, — interna et externa.
189. Opera Dei. Creatio. Conservatio. Gubernatio. Providentia.

AESTHETICA.

Introductio.

1. Conceptus Aestheticae, Nomenque.
2. Scopus et Pretium Aestheticae, Modusque eam pertractandi.
3. Aesthetica pura et applicata.

PARS I. Aesthetica Pura.

4. Distributio Aestheticae purae in Ideologiam aestheticam et Crimatologiam.

SECTIO I. Ideologia Aesthetica.

5. Tres Ideologiae aestheticae Partes.

CAPUT I. Calleologia.

6. Complacentia velut universale Pulchri Criterium.
7. Discrimen Pulchri a Iucundo et Utili, tanquam Complacentiae Obiectis.
8. Discrimen Pulchri a Vero et Bono, tanquam Complac. Obiect.
9. Complacentia Invitamento subiecta, eoque libera.
10. Invitamentum sensibile et intellectuale s. rationale.
11. Invitamentum aestheticum.
12. Invitament. materiale et formale. Invitament. aesthet. est form.
13. Prima Pulchri et Pulchritudinis Declaratio.
14. Pulchritudo libera s. substantialis et inhaerens, s. fortuita.
15. Pulchrum pro Obiecto sensibili consideratum.
16. Pulchrum pro Obiecto sensus externi consideratum.
17. Pulchrum pro Obiecto sensus interni consideratum.
18. Externe, s. corporal. Pulchrum, et interne, s. spiritual. Pulch.
19. Affinitas Complacentiae aestheticae, cum sensibili et intellectuali, atque Invitamenti utriusque.
20. Secunda Pulchri et Pulchritudinis Declaratio.
21. Relatio Pulchri ad originarias Animi vires, harumque in Pulchro contemplando Occupatio.
22. Tertia Pulchri et Pulchritudinis Declaratio.
23. Ideale Pulchritudinis.

CAPUT II. Hypseologia.

24. Universale Sublimis et Pulchri Discrimen. — Prima Sublimis, et Sublimitatis Declaratio.
25. Aestimatio Magnitudinis via Comparationis instituenda.
26. Externe s. corporaliter, et interne, s. spiritualiter, — extensive, s. mathematice, et intensive, s. dynamice Sublime.

§. 27. Secunda Sublimis et Sublimitatis Declaratio.
28. Relatio Sublimis ad originarias Animi vires, occupatioque harum, qua per Sublime tenentur.
29. Tertia Sublimis et Sublimitatis Declaratio.
30. Coniunctio Sublimitatis cum Pulchritudine, — Idea Pulchritud.

CAPUT III. Syngeneiologia.

31. Argumentum et Ambitus Syngeneiologiae aestheticae.
32. Bellum.
33. Venustum.
34. Svave. — Gratia.
35. Lepidum. — Ineptiae.
36. Ornatum. — Elegans. — Simplex.
37. Magnum.
38. Colossale.
39. Nobile. — Dignitas.
40. Solenne. — Magnificum. — Augustum.
41. Patheticum.
42. Permovens. — Sensibile.
43. Mirabile. Terribile. Horribile. Portentosum.
44. Tragicum.
45. Deforme et Humile, qua Pulchri et Sublimis opposita.
46. Nauseosum, s. Fastidiosum.
47. Ridiculum. Festivum. Ingeniosum. Acutum. Nativum. Iocosum. Scurrile.
48. Comicum. — Absonum. — Caricatura. — Satyrico-comicum et Tragico-comicum.

SECTIO II. Crimatologia aesthetica.

49. Character Iudicii aesthetici universe.
50. Differentia Iudicii aesthetici et logici.
51. Gustus respectu transscendentali et empirico sumtus.
52. Regulae Gustus. — Critica Gustus.
53. Exemplar Gustus. — Classicitas.
54. Resultatum universae Doctrinae Gustus purae.

PARS II. Aesthetica Applicata.

55. Transitio.
56. Aesthetica applicata, ut Philosophia Artis pulchrae, seu, ut Calleotechnica considerata.
57. Distributio Aestheticae applicatae.

SECTIO I. Calleotechnica universalis.

58. Ars. Scientia. Natura.
59. Artes liberales, et illiberales.
60. Ars pulchra obiective et subiective considerata. Lex Pulchritudinis, velut Calleotechnicae Principium.
61. Facultas exhibendi. Virtuositas.
62. Ingenium (Genie).
63. Inspiratio, s. Enthusiasmus.
64. Expressio. Stylus. Modus agendi.
65. Character aestheticus, — essentiales et contingentes Artefacti Pulchri Proprietates.

§. 66. Simplicitas, Veritas, et Moralitas.

SECTIO II. Calleotechnica particularis.

67. Artes pulchrae. Systema Artium pulchrarum.
68. Tria Artium pulchrarum Regna.
69. Duo Artium pulchrarum Ordines.
70. Duo Artium pulchrarum Genera.
71. Duae Artium pulchrarum Species.
72. Distributio Calleotechnicae particularis.

CAPUT I. Calleotechnica tonica.

73. Universalis Regni Artium tonici Consideratio.
74. Ars tonica.
75. Poësis.
76. Ars canendi.
77. Ars loquendi pulchra.
78. Ars narrandi pulchra.
79. Ars oratoria.
80. De Artibus tonicis universe. Artes loquentes.

CAPUT II. Calleotechnica plastica.

81. Universalis Regni Artium plastici Consideratio,
82. Ars statuaria,
83. Ars pictoria.
84. Ars hortensis.
85. Architectura.
86. Calligraphia.
87. Numismatica pulchra.
88. De Artibus plasticis universe. Artes delineantes.

CAPUT III. Calleotechnica Mimica.

89. Universalis Regni Artium mimici Consideratio.
90. Ars gesticulationum mimica.
91. Ars saltandi.
92. Theatrica.
93. Duellica gymnastica pulchra.
94. Ars equitandi pulchra.
95. Ludus equestris pulcher.
96. De Artibus mimicis universe. Artes exhibentes.
97. Tabellaris omnium Artium pulchrarum Conspectus.

Errata.

Pag.	25	lin. 3	Indroductio	lege: Introductio.
—		21	nunc statim	Id nunc statim.
	26	10	discernanda	discernenda.
	29	31	earum	eorum opus sit.
	32	16	omnia	omnino.
	39	11	lege absque hac, omnes rel.	
	44	14	exstarent	exstaret.
	47	4	Proculdubio	procul dubio.
	48	36	Lysiscae	Lyciscae.
	50	14	in quibusque	non in quibusque.
	53	43	arbittariis	arbitrariis.
	55	4	Repraentatio	Repraesentatio.
	57	15	Sed Indinatio	Sed Inclinatio, empirica: Instinctus orig.
	60	38	Iucunditatis	Iniucunditatis.
	62	5	ad Princ.	ac Principia.
	70	7	utilis ne	utilisne.
	75	35	ratione	Ratione.
	80	13	praevalens	praevalent.
	82	28	vadimento	vadimonio.
	83	15	scire	sciri.
—		38	eat	exit.
	85	1	Didactica	Architectonica.
—		6	lege: fundamentalis, Tractatio.	
	87	5	Callologiam	Calleologiam.
—		35	Ethetica honestatem ext.	Ethica honestatem internam.
—		46	experentiam	experientiam.
	88	28	Callologia	Calleologia.
	92	14	si id	si ea.
	93	11	Callologiam	Calleologiam.
—		21	denominata	petita.
—		28	coepit	coeperit.
	94	48	Catharctica	Cathartica.
	97	11	nec	nae.
	99	19	explicabis. Quemadmodum	explicabis quemadm.
	104	27	cogitationes, quoad meteriam	cogitationesquoadFormam verae sunt. Inde tamen non sequitur, datas cogitationes, quoad materiam.
	108	41 — 44	Aut Entia cogn.	lege: Aut Entia cognoscentia, tanquam Intelligentiae sumuntur, quae, in actu cognoscendi consideratae, conceptus exemplares imitando, secundarias quasi imagines postmodum produxere: tum vero Ens cognoscens.
—		49	in re	lege: in re nominantur.
	109	2	adquisitae cogn.	adquisitae iam cognit.
	111	15	nam	non solum.
	113	2	quod cum ad. deleatur: quod.	
—		21	necessarii	necessariae.
	116	37	hoc ipsam,	hoc, ipsam.
	121	46	Quo intuitu is, solum	Quo intuitu, is solum.
	123	27	ne ipsa	re ipsa.
	124	12	videntur se	videntur esse.

Pag.	128	lin. 26	mingit	lege: ningit.
	—	30	ut unum	ut una alteri non inhaereat, sed ab ea.
	—	45	indenticae	identicae.
	129	46	inter quae Iudicia,	inter quae, Iudicia.
	132	15	compositus	compositum.
	133	28	Enunciationis	Enunciationes.
	134	9	diversa, — identica	diversae — identicae.
	—	11	Ab hoc	Ab his
	—	49	augustiori	angustiori.
	135	2	augustiori	angustiori.
	136	9	cogitabilis	cogitabile.
	139	2	qui	quae.
	151	29	Cathegoricum	categoricum.
	155	4	Assumptione	Assumtione.
	158	7	συ Θυμεισθαι	συνθυμεισθαι.
	166	12	designatae	designati.
	168	29	querenda	quaerenda.
	169	20, 21	habendus, quotiescunque	habendus. Quotiesc.
	170	3	επιχεςημα	επιχειρημα.
	—	6	abreviatio	abbreviatio.
	—	32	Gochlenianus	Goclenianus.
	175	37	imbuerit	imbueret.
	177	22	genus, communis	genus, genere cognatis communis.
	182	10	Si	Sic.
	—	24	Supra modum	in infinitum.
	184	28	eorum	earum.
	192	12	varietas	varietate.
	194	22	nosmet, deleatur.	
	195	29	problematicae	quia problematice.
	202	18	cognitionibus	conditionibus.
	205	17	Philosophus	Philologus.
	—	—	Scripturae	Scripturae, s. Scriptoris.
	208	17	series	serius.
	215	25	adstantem	per adstantem Ludim.
	216	28	ligitima	legitima.
	224	30	dic	dici.
	226	4	φαινομηνον	φαινομενον.
	228	16	unt	ut.
	230	ult.	easque res	easque ad res.
	232	22	Cognitionesquoque	Cognitiones quoque.
	233	27	perspicatiam	perspicaciam.
	234	antepenult.	analogicae	analogice.
	235	5	Enim vero	Enimvero.
	238	4	Subiectum	subiectivum.
	—	43	cumqua	cum qua.
	239	29	individuum	Individuum.
	—	ult.	quo ad	quoad.
	240	12	perquam	per quam.
	241	29	obiecto valido	obiective valido.
	243	35	demonstro	de Monstro.
	246	36	ut Possibilitas	aut Possibilitas.
	—	37	Sensuslitati	Sensualitati.
	247	11	universae	universe.
	248	13	illud et	illud est.
	251	12	quae est	quale est.

Pag.	253	lin. 16	Non = exsistentia	lege: Non — exsistentia.
	256	26	Pereptionem	Perceptionem.
	260	3	centingens	contingens.
	263	35	pronunciarit	pronunciavit.
	268	45	lege: quam ut ea, Phaenomena.	
	269	21	Quatitatis	Quantitatis.
	273	14	commutatis	Commutatio.
	277	22	tot	toti.
	281	21, 22	haud quapiam	haud quaquam.
	283	32	quoque	quaeque.
	284	8	quae ei	quod ei.
	288	16	res quapiam	res quaepiam.
	299	38	Substantiae	Subsistentiae.
	307	30	Incibilitatis	Incitabilitatis.
	308	37	diametro	e diametro.
	313	35	capax sit	capax fit.
	316	antepenult.	hyperphysicos	hyperphysicas.
	319	22	cum	eum.
	322	36	dispecitur	dispescitur.
	323	17	indentica	identica.
	328	14	exsisterat	exstiterat.
	336	24	earens	carens.
	338	21	queritur	quaeritur.
	344	10	divisi	diversi.
	—	23	in determinatam	indeterminatam.
	349	25	Intitu	Intuitu.
	—	46	negare	regerere.
	350	3	illis	illius.
	354	33	in in Relatione	in Relatione.
	359	26	fundemanta	fundamenta.
	—	35	innixa sunt	innixa, sunt de.
	—	41	Ulla ne	Ullane.
	362	34	pedent	pendent.
	—	43	Theoriae	Theoria.
	365	27	est quod	est, quod.
	376	36	pulanda	putanda.
	377	18	repraesentione	repraesentatione.
	382	18	latatire	latitare.
	385		qua	quam.
	386	9	animos	animus.
	387	34	Iunovis	Iunonis.
	389	20	aestheticae	aesthetice.
	—	penult.	Aestheticae	Aesthetice.
	391	8	Serici	Seriei.
	392	46	Sensit	Sentit.
	397	7	hac tenus	hactenus.
	—	25	queant	queunt.
	399	38	augeter	augetur.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
3009/1939 gyarapodási naplószám.

779161